NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
A

14-28-A-7

THESAVRVS ARCANVS:

LVSITANIS GEMMIS REFVLGENS, IN QVO ÆGIDII MAgi olim Theurgici ſtupēda hiſtoria, variis exculta dialogis, atque aliorum S. Patrum ord. præd. ex eadē Luſitania, geſta, multaque alia ſcitu digniſſima continentur: que verſa pagella indicabit.

Per R. P. F. Stephanum de Sampayo Luſitanum, eiuſdē ſacri inſtituti, & Theologiæ profeſſorem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBL. SEC. COLL. ROM. S. J. IHS

13

PARISIIS,

Apud THOMAM PERIER, via Iacobæa ſub Bellerophonte.

M. D. LXXXVI.

Cum Priuilegio Regis.

CATALOGVS.

Conuerſio Ægidiana.	fol primo.
Geſta Sancti Gondiſalui.	fol. 129
Conuerſio B. Petri Tudenſis.	155
Compendium geſtor S. Pelagii.	173
Compend. geſt. S. Laurentij.	175
Geſta B. Petri Ebor.	185
Stemma ord. Præd.	212

Ego Dominicus Sergent D. facultatis Theologiæ vniuerſitatis Pariſienſis conuentus eiuſdem ciuitatis ord. Frat. Præd. Prior teſtor me exactè legiſſe vtrumque volumen hoc ſancti Ægidij & S. Gondiſalui, nec quicquā eo reperiſſe fidei aut bonis moribus contrarium, quin valde eccleſiæ Chriſtianæ fore vtile, ſi preloda[illegible]r. In quorum fidem ſubſcripſi quinta die menſis Martii anno domini 1586. F. DOMINICVS SERGENT.

Ego ſubſignatus Doctor Regens in Theologia in hac facultate Pariſienſi Prædicator Reginæ matris Regis aſſeuero me nihil in hoc volumine legiſſe quod fidei catholicæ diſſonum ſit, vel quod aduerſus pietatē & bonos mores pugnet teſte ſigno manuali meo hic appoſito die 29. Martii 1586.

ROYER REGENS THEOLOGVS.

Ego frater Petrus Berthauld Doctor Theologus in vniuerſitate Pariſ. ac Prior Carmelitarum, fateor me paſſim legiſſe hunc librum, de vitis nonnullorum diuorum ordinis D. P. Dominici, in quibus nihil contra fidem aut bonos mores reperi, ſed prædictum librū religioni catholicæ Apoſtolicæ atque Romanæ maxime profuturum iudicaui. Teſte meo chirographo hic appoſito 2. Ianuarij anno 1585.

F. P. BERTAVLD.

ILLVSTRISSIMO D. DOMINO GVILLELMO RVZEO ANdegauenſi Antiſtiti, Doctori Theologo inſigni, ac Chriſtianiſſimi Henrici Regis Franciæ & Polloniæ à ſacris confeſſionibus & eleemoſinis.

Fr. Stephanus de Sampayo Luſitanus, atque Theologos minimus, S. D.

PERIERAM *niſi periſſem, dixiſſe ferunt, Præſul integerrime, ſtrenuum, illum & omnium Græcorum ducum longè præſtantiſſimum Themiſtoclē, cum patria exulatus, & ab Admeto Moloſorum Rege, ad quem confugerat, expulſus, inimicam Perſidem tenuit. Poſtquam enim inter ſpem timorémque fluctuans, à fideliſſimo amico tectè ductus, Regiam pauidus intrauit: & temporis in-*

CATALOGVS.

Conuerſio Ægidiana.	fol primo.
Geſta Sancti Gondiſalui.	fol. 129
Conuerſio B. Petri Tudenſis.	155
Compendium geſtor S. Pelagii.	173
Compend. geſt. S. Laurentij.	175
Geſta B. Petri Ebor.	185
Stemma ord. Præd.	212

Ego Dominicus Sergent D. facultatis Theologiæ vniuerſitatis Pariſienſis conuentus eiuſdem ciuitatis ord. Frat. Præd. Prior teſtor me exactè legiſſe v te volumen hoc ſancti Ægidij & S. Gondiſalui, nec quicquã eo reperiſſe fidei aut bonis moribus contrarium, quin valde eccleſiæ Chriſtianæ fore vtile m ſi praelodatur. In quorum fidem ſubſcripſi quinta die menſis Martii anno domini 1586. F. DOMINICVS SERGENT.

Ego ſubſignatus Doctor, Regens in Theologia in hac facultate Pariſienſi Prædicator Reginæ matris Regis aſſeuero me nihil in hoc volumine legiſſe quod fidei catholicæ diſſonum ſit, vel quod aduerſus pietatẽ & bonos mores pugnet teſte ſigno manuali, meo hic appoſito die 29. Martii 1586.

ROYER REGENS THEOLOGVS.

Ego frater Petrus Berthauld Doctor Theologus in vniuerſitate Pariſ. ac Prior Carmelitarum, fateor me paſſim legiſſe hunc librum, de vitis nonnullorum diuorum ordinis D. P. Dominici, in quibus nihil contra fidem aut bonos mores reperi, ſed prædictum librũ religioni catholicæ Apoſtolicæ atque Romanæ maxime profuturum iudicaui. Teſte meo chirographo hic appoſito 2. Ianuarij anno 1585.

F. P. BERTAVLD.

ILLVSTRISSIMO D. DOMINO GVILLELMO RVZEO ANdegauenſi Antiſtiti, Doctori Theologo inſigni, ac Chriſtianiſſimi Henrici Regis Franciæ & Polloniæ à ſacris confeſſionibus & eleemoſinis.

Fr. Stephanus de Sampayo Luſitanus, atque Theologos minimus, S. D.

PERIERAM niſi periſſem, dixiſſe ferunt, Præſul integerrime, ſtrenuum, illum & omnium Græcorum ducum longè præſtantiſſimum Themiſtoclē, cum patria exulatus, & ab Admeto Moloſorum Rege, ad quem confugerat, expulſus, inimicam Perſidem tenuit. Poſtquam enim inter ſpem timorémque fluctuans, à fideliſſimo amico tectè ductus, Regiam pauidus intrauit: & temporis in-

duciis impetratis, itineris ſui cauſam perorauit, potentiſſimi Xerxis Perſici Imperij *moderatoris, non minus munificam quam inſperatam expertus eſt liberalitatem, tribus ſibi clariſſimis ciuitatibus gratuitò dono conceſſis, diuerſa rerum affluentia ad humanos vitæ vſus ſe inuicem ſuperantibus. Harum prima, Magneſia frumenti feraciſſima erat, Mionta piſcium copia præſtabat; Lapſacum vero, ſuauiſſimo abundabat vino. Appophthegmati huic Themiſtoclis, argumẽto ſanè & eleganti, Plutarchus, Diogenes Laertiꝰ, & alij applaudũt ſcriptores. Maiores enim apud Perſas exul, diuitias inuenerat, quam Athenis apud Græcos amiſerit. Attamen ſi coram Pontifice ſapientiſſimo philoſophari licet, iudiciúmque proprium ferre, elogium certè fuit hoc, non tam philoſophicè & prudenter prolatum, quàm talem decebat virum, & in proſperis & in aduerſis ſatis expertum. Quid nàm, oro diuitiæ, honores, gratia Principum, rerúmque omnium affluentia, quæ teſte L. Æ. Seneca, bona ſunt* Fortunæ *non noſtra, labore adquiſita, timore poſſeſſa, & dolore amiſſa. Quid*

nam, oro ſunt, niſi palmaria quædam eiuſdē Fortunæ pila, ad reciprocum omnēq; ictū ſemper paratiſſima? Ipſius enim cæco & inordinato nutu, nunc ad nobiles, nunc ad ignobiles, hodie ad probos, cras ad improbos: promiſcuo motu hæc bona agitantur. Non me fugit P. S. vanū eſſe fortunæ nomen, ſi eam aut deitatem aliquam aut naturalem cauſam deitati oppoſitam cogitare velim vt Aug. lib. 4. de ciuitate docet, ſed tamen de illa vt de quadam cauſa per accidens loquor, rerum quas Deus occulto ſuo iudicio nobis tamen incognito rectiſſimè diſponit. Hoc & Ariſt. innuit cum dixit. Quanto in vnoquoque noſtrûm minus eſt de intellectu, tāto magis eſt fortunæ. Cū enim hic abyſſus diuinæ iuſtitiæ & ordinationis nobis ſit incognitus, ſecundū noſtrum intelligendi modum, bona temporalia hoc ſemper Fortunæ pede claudicant. Hoc & Prophetæ conſiderabant. Dauid pſal. Ecce ipſi peccatores, obtinuerunt diuitias & cæt. Hieremias etiam cap. 12. Quare via impiorum proſperatur? & Eccleſiaſtes cap. 10. Vidi ſeruos in equis, & Principes

ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos. In eodem etiam Themiſtocle, huius rei exemplum videre planè licet. Qui cum pauliſper tanto rerum faſtigio potiretur, ne Regi poſt ea eidem Mæcenati ſuo, in quadam ſibi minus honeſta belli expeditione, morem gereret vel obtemperare cogeretur, vltrò ſibi mortẽ hauſto veneno intulit, vt referunt idem Plutarcus, Diodorus Siculus, & alii. Melius quidem magiſque conſultè Zeno ille ſapientiſſimus (quem D. Melania ſecuta eſt, vt refert D. Hieronymus in epiſt. ad Paulam) de quo Diogenes Laertius narrat, quod facta precioſarum mercium iactura, poſtquam ſeminaufragus portum tenuit, lætus dixit. Iubet nos Fortuna expeditius philoſophari. Tunc bene nauigaui, cum naufragium feci. Themiſtocles ille diuitiis lætabatur denuò inuentis, ac vero Zeno hic illis amiſſis lætatur, atque cum ab illarum periculis & ſolicitudinibus eſt liberatus, bene ſecũ actum eſſe reputat. Nihil ſane aliud Regius pſaltes nobis inſinuare videtur cum dixit. Bonum mihi domine quod humiliaſti me: Bonum mihi lex oris tui

ſuper-milia auri & argenti.

Chriſtianam iſtam philoſophiam, D. Gregorius Magnus etiam perſuadere cupiebat. Cum enim ſui ſeculi homines, flagellis multis & variis afflictos videret hom. 35. receptui Euangelica tuba à vanitatibus fallacium bonorum canendo, tanquam bonus paſtor ouibus ſuis hæc proponebat. Aliquando, inquit ille, nos mundus delectatione extraxit à Deo, nunc verò tantis plagis plenus eſt, vt ipſe nos mittat ad Deum*. Ecce iam mundus in ſe ipſo aruit. Vbique mors, vbique luctus, vbique deſolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur. Quid quæſo diceret ſanctꝰ hic Chriſti vicariꝰ ſi huiꝰ noſtri infœlicis ſeculi calamitates oculis ſuis inundantes intueretur? Si bella ciuilia inter Chriſtianos Principes circũcirca tãto excitata incẽdio & furore? Si frugum continuam penuriã propter aeris incleme ntiam modo hic, modo illic, cœlo nobis ſe ferr o in præpoſteris influentiis oſtendente? ſi horrendã noſtri ſæculi peſtillentiam vbique terrarum ferè iam aſſidue graſſantem? Et quod magis flendum,*

Quid inquam diceret ſanctus hic Pontifex, ſi dilectam Chriſti ſponſam, eccleſiam nempe Catholicam & Apoſtolicam, propter nefanda crimina noſtra, candelabris multis ab Europæ plaga mutatis, vt olim contigit in Aſia & Africa, ad antipodas Orientis & Occidentis, magna iam ex parte tranſmigraſſe conſpiceret? In Florentiſſimis namque totius ferè noſtræ Europæ Regnis, omnium antiquorum hæreſum ſuſcitato ſemine mortifero, luxuriantibuſque iam præ vbertate innumeris hæreticorũ ſarmentis, vineã Domini Sabaoth, fide ferè extincta ſuffocatam iacere videmus. Apoſtolica vero Petri ſedes duabus heri ſuffulta & ornata auguſtiſſimis Imperiis Regniſque plurimis, illis iam pro maiori parte orbata mæret, atque ab eis repudiata luget. Et facta eſt quaſi vidua Domina gentium, omnes amici eius ſpreuerũt eã, & facti ſunt ei velut inimici. Non abs re, venerandiſſime Antiſtes, philoſophicum propoſueram diſcurſum niſi in elegiam incidiſſem. Cũ enim per Gallias hactenus errare

compellar, Themiſtoclis in initio ſocius, & Zenonis in fine particeps, in libros Chriſtianæ Philoſophiæ attentius oculos me Fortuna transferre iubet: atque iuxta huius ſapientis exemplum, Diuíque Gregorij monita ad ſacras aras, ſiminus antea, quam mei inſtituti ratione tenebar, nunc ſaltem temporum iniuria coarctatus feſtinanter confugere. Quia vero exempla ſeruorum Dei *(vt Diui Auguſtini verbis vtar) carbones ſunt vaſtores, tam ad iſtam amplexandam philoſophiam, quam etiam ad huius noſtræ ferreæ ætatis, venenoſas hæreſes arcendas atque confutandas, religioſam hanc antiquamque aliquorum S. Patrum Luſitaniæ hiſtoriã & fundationis inſtituti noſtri Dominicani, varia & perutili intextam materia perlegendo communem facere, & in lucem emittendo ruminare ſtudui. Iubet enim me fortuna expeditius philoſophari. Multis autẽ euidẽtibus miraculiſq; ſaluberrimis exemplis, nec apochriphis, & ſolidiſsimis conſiliis in hoc volumine quamuis rudi & indigeſto,*

contentis, laborum tolerantia pro Chriſto, gloriæ futuræ ſpes, ſacramentorum vera fides, ciborum vtilis delectus, Eccleſiæ traditiones, atque cœnobitárum religioſa vitæ obſeruantia, euidentiſſimè comprobãtur. Altera etiam philoſophandi ratio mihi acceſſit, quod transferendi in proprio noſtro Luſitano idiomate chronicon ordinis noſtri, à duobus mihi eiuſdem prouintiæ Præfectis cura onuſue iam dudum fuerat delegatum & iniunctum, quod hactenus aſſiduis illic præpeditus cõcionibus, lectoriſque officio, diutino occupatus adimplere hactenus minimè potui. Sed cum eiuſdem operis fragmentum hoc præpolire aliquo tiens & in lucem emittere, ne omnino periret, optarem: neutrum efficere potui, bellorum vndique circunſtrepentium tumultibus, ex vna in alterã religione aufugere coactus. Iamque penitus ab inſtituto deſtiteram, atque in aliud tempus & regnum minus volubile, rem iſtam abſoluendam differre decreueram, niſi noua mihi inopinanti conciliÿ mutandi occaſio obuiaret. Poſtquam enim diebus elapſis Andegauenſem vrbẽ intraui,

& de tuis Paſtor digniſſime, animi dotibus certior effectus ſum (meis abſit adulatio verbis) ſpem animũque reſumpſi, atque quaſi ſi noua mihi lux affulſiſſet, fauſto omine ſententiam mutare ſperaui. Tui enim nominis ſplendor, vitæ ſinceritas, ipſius etiam noſtri Andegauenſis conuentus antiqua fundatio & origo, inquo R. Magiſter F. Clemẽs Bigoth Prior me diu hoſpitatꝰ eſt, taliter allexerunt, atque deuinctum reddiderũt, vt non ſolum, redintegrato animo remiſſum hoc opuſculum abſoluere mox inſtituerim, atque deliberauerim quo ipſum tibi preſentare poſſem: verum etiam, nunc, vt Chriſtianæ huius philoſophiæ alios vberiores ſelectioréſque fructus producere parturirèue cupiam, tibi poſt iſtum ſimiliter ſacrandos vrgentiſſimè perſuadent. Ab antiqua namque te illuſtrium Ruzeorum ſtirpe progenitum eſſe, & in alma huius Lutetiæ vniuerſitate, ab ipſa ineunte ætate optimis moribus honeſtiſque diſciplinis, non minus piè quàm vrbanè inſtructum eſſet intellexi. Non etiã me latuit quanto totius vniuerſitatis applauſu, poſt lauream

adeptam coronam, hic eiuſdem ſupremus Rector extiteris. Quæ faſtigij conditio quanta ſit, & in quanta ſemper habita veneratione apud Chriſtianiſſimos Francorum Reges; ſatis eſt notum. Quibus de cauſis ſi vterque Chriſtianiſſimorum fratrum Carolus & Henricus Reges, te ad ſacras confeſſiones conſultiſſimè eligentes, in ſede ſancti Malonis primò colocarunt, deinde & ad ipſam Andegauenſem tranſtulerunt, audebo dicere ipſos potius Eccleſiæ Epiſcopum dediſſe, quam Epiſcopo Eccleſiam. *Conſtat enim quanta ſemper tibi cõmiſſarum ouium ductus ſolicitudine, miniſterium hoc adimpleueris, atque adimpleas: & cũ quãta liberalitate iuxta diuini* Apoſtoli *Pauli conſilium, auaritiam vitando, theſauros Eccleſiæ iuſtè diſpenſes, domum tuam atque menſam omnibus quibuſcunque egentibus cõmunẽ faciens, ſcolaſticisque multis pro literarum ſtudio perſequendo, expenſas nõ minus largiter quam humaniter miniſtrando. Accedit ad hæc, quod in ipſa antiquiſſima Andegau.* Eccleſia, *multi ſancti Paſtores & inter Diuos iam relati te præceſſerunt, à quibus inſtituti noſtri profeſſores tantis*

affecti ſunt beneficiis, vt etiam illorum vmbras in eadem ſedē referentibus, nos gratos ſemper exhibere teneamur. Eorum *verò nomina in cathalogum redigere, quàm mihi eſſet difficile, vel ex hoc conſtare poterit, quod nouæ integræque litaniæ, illis tantũmodo numeratis poſſent ferè inſtitui. Qui omnes ſacro ſuo cœleſtiq; choro te aſſociādũ, poſt mortalis huius vitæ curriculum, nõ dubito quin ouantes preſtolãtur. Nõ autẽ præteriri audebo Guillelmũ Maioris & Michaëlẽ Auis pientiſſimos ordinis noſtri fautores, quorum primus in ſuo euãgeliſandi miniſterio, coadiutores voluit habere, viuo adhuc D. Dominico, eius fratres & filios, atque nõ minus affectuoſè quã piè in vrbem ipſam Andegauensẽ illos accerciuit, accedentes hilariter excepit, remanentesque paternis ſemper viſceribus fauit ac fouit.* Et *vt nobis tradit antiquitas, in vitreis etiam feneſtris eccleſiæ cõuẽtus eiuſdẽ, viſo iſthic vel Romæ vt alij autumant Apoſtolico Patriarcha noſtro D. qui ab eo ſacrã Epiſcopalẽ poſtulabat benedictionẽ, nõ minori deuotione quã humilitate denegauit & à ſã-*

ćto potius Archicœnobita benedici enixè petiit atque inſtanter efflagitauit, quoúſque tandem obtinuit. Baptiſtam certe humilis hic paſtor & bonus ſancte imitatus eſſe videtur, qui ad Iordanis ripā poſitus prope, ſe viſo Chriſto totus tremefactus ſacrum eius verticem limphis non audebat tangere, ab illo potius baptiſari debere palā cōfeſſus eſt.

Secundus vero religioſiſſimus Epiſcopus Michael Auis, eâdem affectus pietate erga fratres prædicat eodemque amore ipſi olim florentiſſimo conuentui vel cœnobitarum Apoſtolici muneris ſeminario, pro voluntariæ paupertatis ſarcina ſuſtinenda, non modicas eleemoſinas contulit viuens, & vita functus terrena ſua ſpolia ſacrum nempe cadauer, in eorumdem fratrum noſtrorum Eccleſia magnis prius ab ipſo conſtructa expenſis, voluit recondi. Indulſit etiam Priori pro tempore eiusdem cænobii, vt fertur, nonnullas honoris gratia libertates in eadem cathedrali ſede, quæ noſtrorum ſocordia patrum vel temporum aſſidua viciſſitudine, penitus abolita & obliuioni tradita ſunt. Lex igitur na-

turalis, qua nobis mortalibus à rerum Autore eſt inditum, virtutes & animi dotes tanquam veras diuitias amore & veneratione proſequi, debita etiam ſupradictorum recordatio beneficiorum, in cauſa eſt, Preſul digniſſime, vt tibi tanquã Protectori & Patrono noſtro humaniſſimo & tuo nomine & tuorum etiam prædeceſſorum cauſa, gratitudinem, filialem amorem, obſequiũque preſtare omnes prædicatoriæ familiæ alumni vt de me ipſo taceam, teneamur. Quanuis autem ſanctorum exemplis, & reformatæ religioſæque patrum vitæ ideis, in hoc libello contentis: aliquorum pſeudo cænobitarum huius noſtri deplorati ſæculi non poſſint non vita collucere (oppoſita enim inquit Ariſt. iuxta ſe poſita magis illuceſcunt) non propterea veritas occultari debet, cum illis in hoc non fiat iniuria, multóque minus piis ſacrarum legum ſuarum cultoribus. Antiquam Romanorum fuiſſe legem, Plinius maior refert libro 35 naturalis hiſtoriæ, ſatis laudabilem & poſteritati meritò conſecrandam, qua cautũ erat nouis illuſtrium domorum habitatoribus, vt mo-

nimenta heroum in veſtibulis vel ſuper liminaribus inſculpta, abradere vel amouere nõ poſſent, quanuis non iure hæreditatis ſed emptionis & venditionis eas poſſiderent. Cupiebat enim ſenatus ille Rom. vt ſuppoſititiæ nobilitatis homines, nouiter ſublimia tecta habitantes, ad maiorum facta enhelarẽt, exprobrantibus quotidie victribus tectis, Tropheis nobiliſſimæ vetuſtatis ornatis, intrantem imbellem Dominum in alienum triumphum. Vtinam religioſis omnibus noſtræ ætatis, vbique locorum, inuitis etiam oculis, ſancti mores; honeſta conuerſatio & modeſta viuendi obſeruantia ſuorum veterum patrum, quorum vitam profitentur, & in quorum labores introierunt, vt Chriſti verbis vtar, obiicerentur. Forſitam namque ſtimulis propriæ conſciẽtiæ puncti, huiusmodi fratres qui ſimulata paupertate, religione exterminata, legum ſuarum obſeruantia contempta, imo irriſa, tanquam animalia ventris viuunt, non ita ſecurè, lethargico grauati morbo, genniales dies ſemper agentes & nil de futuro ſæculo cogitantes, Eccleſiæ vniuerſali ſcãdalum

dalum & confuſionẽ tam horrendam præbeant atque miniſtrent. Veriſſimilè enim apparet, ne quàm veriſſimum eſſe dicam, quod paſſim cõpreſſo ore à multis ſecularibus dictitatur, effrenatã noſtram multorum monachorum, & eccleſiaſtici ſtatus virorum viuendi licentiam, vrgentiſſimam vel ſaltem opportuniſſimam hæreticis occaſionem præſtitiſſe, in Anglia, Germania & Gallia, vt ſcandalo in odium mutato & zelo in hæreticam rabiem declinante, ſolidam, veram, & Apoſtolicam Eccleſiæ Romanæ fidem abnegantes, tam immaniter ſacra profanis miſcere tentauerint. In cuius rei ſignum precipue eccleſiaſticas videmus quod adeo hodie perſonas abhorẽt: ſpeciatim verò religioſos, quod libentius abiectiſſimæ plebis homines venerentur, excipiant & obuios ſibi fieri cupiant illoſque humanius tractent: quod etiam de Albigenſibus hæreticis narratur qui in eũdem lapidem impegerunt. Et quã uis illorum ſcelus abhorrendum ſit maximè, non tamẽ mirandum videtur harum veritate ſuppoſita, ſi contemptibile & ignobile vulgus nos eſſe

iudicent. Candelabro namque nocturno tempore inmedio domus collocato, ſi lucernã accenſam habeat, ab ingredientibus lætanter conſpicitur, ſi vero extinctã, graue intranti obſtaculum præbet, & pedibus offenſionem, non ſine magna ſæpe offendentis indignatione. Denique Chriſti ſentẽtia comprobatur quod ſi ſal euanuerit, ab hominibus impune conculcabitur. Hoc in ſe ipſo exemplificauit Cardinalis noſter Caietanus, quando per milites Imperiales irruptione facta in ſacrã vrbem, inter alios ex ſacro collegio patres in captiuitatẽ redactos, & vili etiam argenti præcio venũdatos, ipſe met vnꝰ ſe fuiſſe fatetur. Nec tamẽ propterea quod temerariũ & ſacrilegũ huius deploratæ gentis facinus, anſam accepit ex noſtris, nõ inquã ꝓpterea laude aut approbatione dignũ cẽſeri debet abominãdũ facinus aut aliquo modo honeſtari poterit. Quis enim æquũ eſſe iudicet, prophanos & deperditos hoẽs quales ſunt apoſtathæ noſtri ſæculi oĩbuſq; vitiis inquinatos, luporũ rabie eccleſiaſticũ inuadere gregẽ, & propter aliquorũ abuſus Chriſtos Domini omnino extermi-

nare reconari. Nunquid propter piſces malos rũpuntur retia Domini? Nunquid ſancta Patrum ſtatuta, eccleſiaſtici ordines, Apoſtolica viuendi in communi forma, ſacra ieiunia, cæleſtes vigiliæ quæ omnia fimbriæ ſunt ornãtes Chriſti ſponſam, mala dicenda ſunt, atque omnino execranda quia mali illis abutuntur? Inter ſpinas inuenitur & roſa. Inter malos latent & exercẽtur boni. Non eſt abreuiata manus Domini in eccleſiaſtico religioſorum ſtatu. Adhuc martires, adhuc confeſſores rutilãt in hoc quantũcumque colapſo & deformato noſtro ſeculo. Quando Helias nullum in terra relictum eſſe fidelem Dei ſeruum cogitabat, orta quadã Regia perſecutione, diuinitùs cognouit adhuc ſeptẽ millia ſuper eſſe fidelium in Iſraelitico populo: qui non curuauerant genua ſua ante Baal. Nouit Dominus qui ſint eius: & non nobis expedit, multo minus ſeditioſis apoſtaticiſque hominibus, de eccleſiaſtico ſtatu iudicare. Non diù eſt quod Eccleſiæ Paſtor extitit ſanctiſſimus Pius quintus ex cœnobitarum aluearijs in lucem populi Chriſtiani extractus, qui non minus

vita, quam paſtorali baculo cœleſtes oues rexit: & in cuius morte tota Roma teſtimonium de ſanctitate eius præbuit. Ecce hodierna die adhuc alter etiam Monachus cimbam Petro commiſſam ſanctè moderatur, Sixtus 5. qui alicuius ſuo tempore fortunatioris ſeculi futuri ſpe magna nos omnes lactat. Ecce in confirmationẽ ſtatus regularis eunuchorum propter Regnum Dei, quædam hodierna die ſacra virgo & ſanctimonialis inſtituti ord. præd. Maria de viſitatione dicta ſtigmatibus Chriſti inſignita in Oliſiponenſi vrbe Luſitaniæ ab orbe inuiſitur. Voluit enim pius Deus, anno 1584 in feſto Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, hanc virginem à multo iam tempore ſibi dilectam, & per viam anguſtam deductam, paſſionis ſuæ cicatricibus inſignire, in hereticorum noſtræ ætatis confuſionem, tam immaniter virginum ſacrarum ſtatum inſectantium: atque oculis illorum cœcutientibus demoſtrare vbi paſcat in meridie. Ecce *B. frater Ludouicus Beltran. 4. annis mortuus miraculis clarus. Ecce in eadem Luſitania, D. frater Bar-*

tolomeus de martiribus eiuſdem prædicat o riſa milıæ profeſſor, & Archiepıſcopus Primas *Hıſpaniarũ*, *Pontificia reiecta dignitate, in qua circiter triginta milia aureorum ſcutorũ annuatim poſſidebat, imo potius eius cauſa pauperes, quibus ille tamquam fidelis œconomus omnia dıſtribuebat, occaſione nunc indagata ad portum tranquilum religionis ſuæ refugiens, etiam in uita vt fertur, clarus miraculıs priſtınum ſtatum clauſuræ amplectıtur. Ecce ın* Indıis *Orientis & Occidentis adhuc in hıs calamitoſis temporibus cænobıtæ multi ordinum mendicãtium non tanquã Harpiæ, vt canino dente mali illos lacerant, ſed tanquã pellicani, cum dıſpendıo ſepe proprij ſanguinis & vıtæ temporalıs, celeſtem cıbum populis variis euangelıca promulgatione miniſtrant.* N*on ſolum autẽ, multis regnıs & Prouintiis ad fidem catholicam redactis, vt toti Chriſtiano orbi patet, Fratres Domınicani, Francıſcani, Auguſtıni & alii antiquiores à multis iam annis laborant: ſed & nouus ille & Apoſtolicus ſocietatis Ieſu ordo, cui, pace omniũ dixerim, magna debetur laus in euangelio, inter omnes*

alios in hac ſaltem noſtra ætate. Non gitur propter Zizaniam, ab inimico immiſſam, ſelectiſſimi tritici, tot horrea, tot agros, demolire æquum eſſet. Si Deus enim caſus Luciferi præſcius, vt inquit Sirillus in Geneſim, ab angelorũ creatione ceſſaret, cœleſtibus careret modo Hierarchiis. Si propter Iudã futurũ proditorem, Apoſtolos abhorreret non exiret in orbem terræ vniuerſum ſonus eorum. Propter Abraam Iſaac & Iacob, Iſraelitico ſæpe populo pepercit, & propter Dauid vrbi & Regno Hieruſalem multoties pepercit. Ratio igitur hæc in humanis vim aliquam habere debet. Patronos habent Eccleſiaſtici ordines multos, non tantum in cœlo triumphantes, ſed etiam in terra adhuc militantes, quibus hic etiam reſpectus debetur, vt tantorũ patrum cauſa filiis quanuis degenerantibus aliquidque humanum paſſis indulgeatur. Vt autem à teſtimonio & exemplo aliquas hæc ratio vires ſumat, non pigeat, Preſul ſapientiſſime, dominationi tuæ volumen hoc quamuis non ex omni parte elaboratũ, oculis perluſtrare, in quo non ſolum Luſitanorũ

Patrum pietas ſed & quantum Dominicana, milia vbique etiam terrarum Eccleſiam Chriſti ſuis illuminarit prædicationibus, aliiſque religioſis exercitus ſatis conſtabit. Sub tuo igitur patrocinio, tutè in lucem hoc opus prodire, atque faſtidioſos huius noſtri deplorati ſeculi lectores veritatis nudæ gladio transfodere, firmiſſimè mihi pollicebor proindeque virtutum tuarũ, tuorũq; erga me beneficiorum vbique preco exiſtam. Datum Pariſiis anno CIↃ IↃ LXXXVI.

Dominationis tuæ illuſtriſſimæ
Humilimus cliens.

AD LECTOREM.

HAbes in hoc volumine pie lector Aegidianam conuerſionem, multis & vtiliſſimis, tam Theologiæ quam humaniorum literarum floſculis intextam. Quæ quanto mihi labore cõſtiterit in reuelationem paruulorum, vt Chriſti verbis vtar, & deriſionẽ ſapiẽtũ huius ſeculi, non facilè dixerim. Cum enim in quodam Pictauiorũ caſtro diebus elapſis, quaſdam meas elucubrationes ſolicitus quæſiuiſſem, propè cœnobium Beluocuriæ: fortè & inopiniatè inter militum manus, pedeſque hanc ſancti viri hiſtoriam illuc caſu dellatã & à doctiſſimo Magiſtro Andrea Reſendio olim conſcriptam, offendi, collegi, atque redemi. Quanuis autem autoris ſui nomine & hiſtoriæ principio grecíſque carminibus deletis, adeo informis apparebat: vt non facile à me dignoſci poſſet, aut reparari videretur: comunis tamen mihi cum D. Ægidio natiui ſoli origo, ad hoc eius reſarciendum & viuificandum opus allexit. Altera deinde peculiaris ratio, quam non ſine magna ingratitudinis nota ſubter fugere cogitarem, ad hoc me vrgenter commouit. Ingenue namque meritis eiuſdem diui vitam me vel ſaltem oculum dextrum,

iam à multis annis, ſaluum, ſanúmque habere fateor. Cũ enim adhuc tiruneulus in religione eſſẽ, anno circiter 1560. inſtantibus comitiis Prouintia libus noſtris, in Scallabitano cænobio agendis, in in quo ſepulcrũ huius S. Patris veneratur, à cõuentu meo vliſiponenſi illuc ire ſum iuſſus. Eſt autẽ intra ſepta monaſterii, puteus quidã profundæ altitudinis, quem antiquorum traditione, vulgus iactitat é terræ intimis, vt adhuc cernitur, effoſſum, exquadrato lapide á ſummo vſque ad deorſum à malignis ſpiritibus per obedientiam D. Ægidii vni ca nocte extructum eſſe. Huius rei inuiſendæ cauſa iuenili quadam motus curioſitate, cum me illuc ſemel proriperem, aderat illic fortè familiaris quidam noſter agaſo, qui hauſtro altero duorum longiſſimo fune pendentium, aquam ab eodem puteo hauriebat. Cum vero iam prope medium profundę altitudinis ſitulam vnam aqua plenam extractam pendulam & tunc tenus aprehẽſam firmiter è manibus incaute ruere permiſit deorſum, vaſe pleno tãto impetu peſum eunte, vt vacui alterius aſcẽdẽtis vncus ferreus ſemicircularis à quo pẽdebat, per concauum dextri oculi me introſpicientem apprehenderit atque paululum in aëra eleuauerit, priuſquam ego periculum cauere poſſem. Mentis igitur ab ſtatu ex hac concuſſione deturbatus, quaſi per ſomnium ex præuia apprehenſione, D. Ægidii nomen cæpi afflicte inuocare. Accurrerunt religioſi & cranii fractione me in breui monturum vel ſaltẽ oculo dexrro orbatum eſſe iudicabant, non parum mirantes quod nõ intra puteum decidiſſem in cuius hic mihi ore ventri tenus procumbebam. Denique

trim eſtri ſpacio ſemiuiuus lecto decumbens Chi
rurgis mediciſque de vita mea actum eſſe iam
cogitantibus apponebant ab oculi centro horrēdo
putore inceſſanter defluente, non tamen deſtiti D.
Ægidii in cuius domo & ad cuius putei oram (voca
tur enim puteus fratris Ægidii) paſſus fueram huius
modi læſionem auxilium implorare. Nec vana fides
lethalis enim illa contuſio & immedicabilis cōtra
ſpē omniū ſanabilis in dies magis cœpit apparere,
& ſiccato ſaniei fluore, centrica illa plaga, hiatuſque
horrendus occludi. Poſtea demū nō ſolum vulnus
eſt, ſed & cicatrix abolita fere euanuit. Teſtis mihi
eſt Deus quod verum loquor & vere cœleſtem me
dicum, vt Salomon conſulit, propter infirmitatem
honoro, quę eius ſuffragiis, vt ab omnibus iudicatū
eſt, præter ordinē naturę deluſa atque exterminata
fuit. Semper enim mihi perſuaſi magnum eccleſiæ
Dei incommodum & ſcandalū commentitia mira
cula generare. Præſtat vtique Diuorum hiſtorias vt
vere contigerunt vere narrare, non autem imperito
vulgo eos fictionibus velle commendatiores redde
re. Hæc D. Aegidii geſta quidam antiquus pater
Scallabitani cōuentus Prior fideliter, tanquā ocula
tus multorū teſtis, conſcripſit, poſtea vero citiſſimo
nobis tempore M. Andreas Reſendius repurgatis
multis, nobis illuſtriora ſuis reliquit, elucubra-
tionibus omnino abſolutis. Quia tamen colloquii
familiaris occaſione ſtillo admodum mordaci &
Satyrico in iis vtebatur, tam in gratiā lectoris quā
authoris eiuſdem, multa inuertere, addere, immu
tareque ſū coactus neceſſariu videbātur. Eraſmiri
ca enim liberate (ſalua pace tanti viri) aliqua in du

bium vertere voluit ſiue cenſoria virga notare, de librisDioniſii Areopagitæ de quibus ſine graui ſcā dalo,nec mutire iā licet. Itē cōtra Apoſtolū gallia rū, & de tēplariorū exterminatione. De aliis etiam multis quib⁹ antidotū ſolutionis appoſitū eſt, quæ lector curioſus nō infructuoſe inſpiciet. Aliorū vero Luſitaniæ patrū geſta in quibus magis filum veri tatis hiſtoriæ quam ſtilli ciceroniani nitorē tēporis preſſ⁹ breuitate pro nunc mihi aliquid ab humano lectore indulgendū precor quouſque limatior pro dire poſſit in lucē Stemma ordinis prædicatorum in calce appoſitum eſt,ex variis actoribus diligenter collectū videlicet à Iordano,Thoma Brab . ſeraphi no,Leandro,Sabelico , Iacobo Suſato Felice & ex aliquibus manu ſcriptis olim libris quę, in Galliarū diuerſis bibliothecis reperi,non parum etiā adiutus ex elucubrationibus illuſtriſſimi Mag. noſtri Luſi gnani, cui maxima in multis laus debetur,qui non ceſſat in ordinis noſtri ſplendorem quotidie labori bus remp. Chriſtianam iuuare. Hæc omnia boni conſulatcandidus lector. Nam de his qui terrena ſapiunt parum curare nos docet lex Euangelica. Vale.

CONVERSIONIS MIRANDÆ D. ÆGIDII LVSITANI, *Doctoris Pariſienſis, ordinis Prædic.*

LIBER PRIMVS.

IN occidentalibus Europæ finibus, Oceanum propè, ſita eſt inclita & bellicoſa Luſitania. Prouintia ſanè, quæ (ſi incorruptis teſtibꝰ) extraneis inquam, authoribus, fides adhibenda eſt: ex tribus, in quas antiqui ſcriptores, Hiſpaniā diuiſerūt; primū ſemper locū tenuit. Attento ſaltem hominum ingenio. Habet hæc regio, Taraconenſem ab Oriente, in qua Calletiæ magna pars comprehenditur. Ex eadem vero parte verſus Septentrionem, Minio flumine ſecundū veram Strabonis ſententiam, diſtinguitur. Ab Occidente, tota freto Oceano, inlongum ablüitur. A meridie autem Ana flumen, Beticam prouin-

CONVERSIONIS MIRANDÆ D. ÆGIDII LVSITANI, *Doctoris Pariſienſis, ordinis Prædic.*

LIBER PRIMVS.

IN occidentalibus Europæ finibus, Oceanum propè, ſita eſt inclita & bellicoſa Luſitania. Prouintia ſanè, quæ (ſi incorruptis teſtib⁹) extraneis inquam, authoribus, fides adhibenda eſt: ex tribus, in quas antiqui ſcriptores, Hiſpaniã diuiſerũt; primũ ſemper locũ tenuit. Attento ſaltem hominum ingenio. Habet hæc regio, Taraconenſem ab Oriente, in qua Calletiæ magna pars comprehenditur. Ex eadem vero parte verſus Septentrionem, Minio flumine ſecundũ veram Strabonis ſententiam, diſtinguitur. Ab Occidente, tota freto Oceano, inlongum abluitur. A meridie autem Ana flumen, Beticam prouin-

ciam ab illa diſterminat. Atque proinde duobus his clauſa fluminibus, Minio nempe & Ana, aurifero media interſecatur Tago. Hoc ſortita eſt nomen Luſitania à Luſo Liberi filio, vel à Liſa eius ſocio, Liſitania potius dici deberet. Huic ameniſſimæ ac inuictiſſimæ prouinciæ, non tantùm Romanorum Fortunam victricibus armis nocuiſſe, credo, quantùm ſuſpectis & minimè veracibus eiuſdem gentis, hiſtoriographis. Omnes enim qui horum temporum annales, memoriæ & poſteritati tradere ſtuduerunt, Buccinis concrepantibus, ſuorum geſta, victorias, vaniſſimóſque triumphos, artificio magis quàm veritate celebrarunt dolos, fraudes; turpes fugas, retrogreſſúſque occultantes belli & clades frequenter receptas: aliarum verò nationum maximè Luſitanorum, infractos in prælio animos, corda leonina, conſtantiam inauditam pro patriæ ſuæ libertate tuenda, tenebris obliuionis inuoluere ſemper conati ſunt. Ex illorum namque hiſtoriis, huius rei veritas multis elicitur argumentis. Nulla enim prouincia (teſtantur ipſi nolentes) tanto cruore Romanis, vt Hiſpania, ſpeciatim vero Luſitania conſtitit. Adeò Luſitanorũ ingenuos animos, vires inflexibiles mini-

méque ſeruilia experti ſunt corda : vt aliquãdo (fatentur ipſi quod non leui timore perculſi) arma omnino illis demere & tollere, ſibi neceſſe iudicarint, ne noua bella, (tanto ſæpè ſuorum ſopita ſanguine & non extincta) orirentur. Ita L. Florus, & multi alij. Sola enim regio Interamnis (Calletiæ pars illa quę Durio & Minio anguſtatur) quadraginta prius annis, ante quam expugnata foret omnino, omnes Romanorũ exercitus vel abſumpſit & contriuit, vel terga vertere ignominioſè coëgit. Adhuc illic; ſemper celebrandæ Cinaniæ, venerandi cineres, iuxta flumen Auis dictum, inter Bracarã Auguſtã & Vimaranũ, atque victrices ruinæ, ſuſpiciũtur. Eius heroicam audaciam atque fortitudinem ſupremã, Valerius max. quamuis obſcurare & occultare volens, non potuit non euomere, ipſa veritatis cogẽte vi. Hęc parua ciuitas, tota iã Luſitania bello exhauſta, & in deditionẽ à Romanis accepta, retẽtis armis, Bruto, qui tẽtata redẽptione, anceps bellum ſubterfugere cupiebat, animoſè reſpondit. Ferrũ nobis à maioribus noſtris quo vrbem tueamur, nõ aurũ, quo libertatẽ ab imperatore auaro redimamus, relictũ eſt. Melius, inquit ille, totus inuidia excruciatus ſine dubio iſtud noſtri ſanguinis homines, dixiſſent quàm audiſſent.

Quid de Viriato Luſitano etiam duce, dicam? Velit nolit, fatetur Plinius, cùm multis aliis ex ſuorũ hiſtoriographis, non ſolũ per ſpacium quatuordecim annorum, innumeras de Romanis exercitibus reportaſſe victorias, atque multa per ſiluas Luſitaniæ erexiſſe trophea; verũ etiam Fabiũ ſibi pacẽ petere ignominioſè coegiſſe. Nec alia via audentes iam inuincibilem aggredi Luſitanũ hũc, turpi dolo & nefando crimine, à ſuis ſatellitibus emptũ argenti precio, ſublata ſine bello vita, immortalem effecere apud poſteros.

Qui, de Luſitanorum cum Romanis conflictu, anceps ſemper fuiſſe, ex vtraque parte bellum coniecturis euidentiſſimis velit percipere (ab inimicis educto teſtimonio) Columellam, Iuſtinum, Strabonem & alios fariñæ eiuſdem legat autores. Quales vero fuerint Luſitani, poſtquã, Chriſto nato, intellexerunt arma militiæ noſtræ, non carnalia ſed ſpiritualia fore: à principibus Apoſtolorum Petro & Paulo illuminati primo, deinde D. Mancio, Torquato & Petro martyribus, illorum diſcipulis in fide inſtructi poſt eos: vſque ad hanc horam incorrupta ſẽper ſeruata fides (de Arriano taceo incẽdio) euidens eſt teſtimonium. Hæreticum inquit D. Hieronymus, Hiſpania, nec tyran-

num nutriuit, aut citiſſime aboleuit. Poſtquam autem nomen Luſitaniæ cum Portugalia coiuit, breues eiuſdem Regni annales non floſculis verborum, ſed puræ veritatis ornati, ſatis indicant quantũ eccleſiæ Chriſti Luſitani, gloriæ, cumularint. Cum enim Henrico Lothoringiæ duci, Rex Caſtellæ minimam antiquæ Luſitaniæ portionem, à feris poſſeſſam, ruderibus occupatam, cum filia ſua, nomine dotis cõceſſerit, à Sarracenis pro altera maiori parte illius vndique ſubiugatam, Chriſtianis omnibus extermininatis, ille vir egregius ſuíque ſucceſſores, ſanguine ſæpe fuſo, vitam pro Chriſti fide contemnentes paucis adunatîs Portugallis, non ſolum Luſitaniam totam à Mahumetica peſte liberarunt: ſed in Africam, deinde in Aſiam traiicientes: innumeros crucis triumphos ſuſcitantes, in terminis Orientis, vſque in hodiernum diem, diſtrictis gladiis pro fide decertant. Sed de his hactenus.

Cum igitur diebus elapſis, Almerinium petere, aulicum in eadem Luſitania Pagũ, pro Regum tantum venatione, pulchrè extructum, incultis latiſſimiſque circumſeptũ campis; vario ferarum genere refertis, negotio pro quo illuc perrexeram abſoluto, Scallabim quoque adij vrbẽ, quam nunc *Nar* *mihi*

Sanctarennam dicũt) vt ſepulchrum ſancti patris Ægidij, quod eſt in templo cœnobij noſtri. D. Dominici, religionis cauſa, viſitarem, ſimúlque vt librum geſtorũ eius, commodato à meis cœnobitis peterem. Cupiebam enim ſancti viri hiſtoriam, paulo mundiori ſermone conſcribere, partim quòd id patriæ debebam, partim etiam, peculiari quodam erga illum affectu. Præerat autem conuentui, religioſus & benè doctus vir quidam, qui cum me comiter, & iucundè, pro veteri amicitia noſtra ſuſcepiſſet, librũ quem petebam, non modo libenti & alacri animo tradidit, verumetiam quod ego mea ſponte pollicebar, multis ipſe verbis cœpit efflagitare. Spopondi me, tunc, facturum, illíq; valle dicẽs, meã ſum reuerſus in vrbẽ. Poſteà verò cum circa ferias quadrageſimales, ſacrarum concionum cauſa, Vianam me contuliſſem, oporterétque ter in hebdomada concionari, eo factum eſt, vt ſerius meum promiſſum implerem: nihilominus tamen ſuccſiuis horis quibus à concionum onere vacabam, rem ſum aggreſſus, & ſeſquimenſe, ſtudio interpolato, confeci. Quàmpridem, equidem potui, euulgaſſem, niſi incidiſſet occaſio vertendi ſtyli & orationis rationem immutandi, vt ſermonem cum

amiciſſimis meis ſuper ea re habitum, in literas mitterem. Nam cùm rediiſſem in vrbē, atque domum me recepiſſem, die quadā meridiano tempore ſedebam cogitabundus, librum illum conferens cum mea noua hiſtoria, interuenit autem Loiſis Pyrrhus, medicus, vir mihi & eruditionis luculentæ gratia, & morum facilitate, non modo amicus, verumetiam iucundus. Is aduentui meo cùm eſſet gratulatus, & vidiſſet librum veterrimū, membrana ſcriptum, à blattis ſemicomeſtum, vt tu, inquit, tibi ſimilis ſemper es. Sed è quibuſnam latebris vetuſtiſſimā hāc prædā eruiſti? E cœnobialibus, inquam Pyrrhe. Expecto, inquit ille, theſaurum aliquem. Nam tu niſi elegantiſſima quæque, prędari non ſoles. Theſaurum ſanè, inquam, licet appelles: elegantiarum verò ſiquid expectas, audi. Deinde legi verſus aliquot prodigioſæ latinitatis, imò barbariei monſtroſiſſimæ. Erat enim liber, compoſitus à neſcio quo auctore, probo ſanè & religioſo viro, qui, quantum apparet, virum Dei Ægidium adhuc in humanis agentem, non modo familiariter nouiſſet, verùm etiam teſtis, oculatus admirabilis vitæ eius fuerit. Hic igitur geſta beati viri ſcribere eſt adortus, ſermone quidem

Latino, vt illius ætatis ferebat conſuetudo, ſed ſparſim, inordinatè, ſolœce, balbè, planéque barbarè: nec alia ſcriptori cura fuit, quàm veritatem, multis nominatis teſtibus, quouis modo dicere. Vitę verò ſeries, patria, parentes, ſtudia eius & conuerſio: ab altero recentiore deſcripta ſunt, eodem caractere, hoc eſt, planè barbarè. Pyrrhus, vt eſt rudis ſermonis inſolens, Prô, inquit, Iuppiter, carbonarium theſaurũ! Sile, quæſo te, & tu potius, quidnam barbarus iſte liber cõtineat, eloquere. Vitam, inquam, & miracula beati patris Ægidij Scallabitani. Et ille, Hunc Ædium magum ego fuiſſe inaudiui. Et Cypria nus, inquam, magus fuit, ſi tu credas ſceleratam hominũ vitam plus nocere, quàm prodeſſe Dei clementiam. Atqui in hoc diuina potẽtia pietáſque elucet vel maximè, quòd peruerſiſſimos ipſorum culpa homines, reddit, gratia purificante rectiſſimos. Eſt ita, inquit ille. Sed quem tu Cyprianum magum appellas? Afrúmnæ illum doctorem, Carthaginenſem epiſcopum, ſcriptorem luculentum? an Cyprianum alterum, Syrum, de quo & Iuſtina quadam virgine, circunfertur hiſtoria? Afrum inquam, illum doctorem, Carthaginẽſem Epiſcopum, ſcriptorem luculentum. Faciunt, vt ita ſentiam, primùm

ipſe,in libro de duplici martyrio;ſi modò is liber Cypriani eſt, vbi ita ſcribit. Quemadmodum qui magicis artibus vtuntur,à quo malo nos Domini miſericordia liberauit,ſicut à cæteris omnibus,quibus iuxta veterẽ hominem ambulantes,tenebamur. Deinde grauiſſimi duo teſtes, alter Gregorius Nazianzenus in oratione illa ſua, numero vndeuigeſima, quæ incipit; Parũ abfuit,quin nos Cyprianus præteriret. Vbi magicas eius arteis recenſet & ſolicitatam, ab eo fruſtrà, per dæmonem virginis cuiuſdam Chriſto dicatæ pudicitiam, ſiue ea Iuſtina appellata fuerit, ſiue aliter, neque enim nominatur. Atque hæc Gregorius non minore gratia, quàm facundia. & ne dubitaremus, quiſnã ille Cyprianus eſſet, patriæ & eccleſiæ & doctrinæ pariter meminit, ita dicens. Non enim Cartaginienſium eccleſiæ præfuit ſoli, ſeu Africæ, quæ ex illo & per illum celebris in præſentem vſque diẽ eſt facta,ſed & Heſperiæ vniuerſæ,imò Oriẽti fere ipſi ad finem vſque meridiei & ſeptemtrionis, quocumque ille admiratione ſua peruenit. Alter meus illo amaſius Prudẽtius,qui de Cypriano ita cecinit. Punica terra tulit,quo ſplendeat omne, quidquid vſquã eſt. Inde demũ Cyprianum, ſed decus orbis & magiſtrum

Deinde de magica eius, hæc ait:

Vnus erat iuuenum doctiſſimus, artibus ſiniſtris, Fraude pudicitiã perfringere nil ſacrum putare, Sæpè etiam magicum cantamen inire per ſepulchra, Quo geniale tori ius ſolueret eſtuante nupta. Fabulam autem alterius Cypriani & virginis Iuſtinæ, ab illis ſuſpicor eſſe confictam, qui verebantur ne magno Cypriano, aliquid auctoritatis imminueretur, ſi ante conuerſionem fuiſſe diceretur magus. Veriſimile, inquit, narras. Sed redeamus ad tuum iſtum Ægidium. Et niſi tibi moleſtum eſt, & vacas; cuperem vitæ eius ſeriem audire, ſed nitidiore, atque ex officina tua ſermone. Multum enim detrahit rebus, alioquî eximiis, rudis & impolitus ſermo. Certè barbarie & ignaua compoſitione, etſi fides dictorum nõ minuitur, quanquàm & id quoque, friget tamen affectus. Ea ipſa cauſa eſt inquã Pyrrhe, cur hoc operæ, ſuſcepi. Habeant ergo ſacerdotes noſtri, Diui Dominici, barbarum ſuum librum, atque in fidei teſtimonium ſeruent. Ego operã dedi, vt Ægidij nomen per aures eruditorũ, faſtidioſiſſimæ ætatis huius, paulo inoffenſiùs, ire poſſit. Tu autem animũ orationi attende, tametſi ego mihi, id non ſumo, vt tam cõptam effecturum me confidam,

Fabulam eſſe putat quod de Cipriano & Iuſtina proditur.

Rebus eximiis multum detrabit impolitus ſermo

vt valeat ſibi ipſa facere audientiam.

Beatus igitur Pater Ægidius natus eſt anno circiter CIↃ CXↃ. ad confluenteis Vagi & Zelæ fluminum, in oppido Vaozela, quod ab vtroque flumine, conflatum habere nomen videtur, quaſi Vaozelam quis dicat. Eſt autem oppidum in Viſæenſi diæceſi, iuxta thermas Alaphoenſeis. Parentes eius iuxta ſeculi dignitatem & genere nobiliſſimi, & moribus religioſiſſimi fuere, & fortunæ amplitudine, inter primos clari. Nã Pater, Dominus Rudericus Pellagius Valladaris nomine; Domini Suerij Pellagij Valladaris filius, de primoribus fuit aulæ Regis Sancij maioris, & illi à conſiliis, adhæc, Regiæ, Maior domus. Quæ dignitas à Francorum Regibus orta, iſthoc nomine, quantum haberet potentiæ, Paulus Diaconus, in geſtis Longobardorum commemorat. Fuit etiam arcis & vrbis Conimbrigẽſis Præfectus, non autem prætor, vt malè barbarus iſte liber continet. Prætor enim iuri dicundo eſt, Præfectus autem militare vocabulum. Id ita eſſe, oſtendit inſcriptio ſarcophagi, quæ, me puero, Conimbrigæ, in cænobio canonicorum. S. Crucis detecta eſt. Ea autem huiuſmodi eſt.

B. Aegidii parentes fuerunt nobiles.

HIC SITVS EST DOMNVS RVDERICVS, PATER FRATRIS ÆGIDIJ, SANCTI-RENENSIS, MAIOR PRÆFECTVS ARCIS, ET VRBIS CONIMBRIGENSIS. Hoc enim ſonat, vocabulum Punicũ Alcaide, quod erat in in ſcriptione, quo etiá nũc in ea adminiſtratione, Luſitani, vtimur. Mater verò illius, domna Teraſia Gilia, ſiue Ægidia vocabatur, Habuit & germanos duos, Pelagiũ Rudericũ, qui patris nomen inuerſum habuit, & Ioannem Rodericũ natu ma iores. Ipſi verò de matris cognomine inditum nomen. Patris autẽ nomen, in cognomen, tranſiit. Nã Gilius ſiue Ægidius Rodericius fuit appellatus. Ita reperio in libro fa miliarũ ſiue geneſeon, ſcripto á Petro Comite, Dioniſij Regis notho. Cõſului etiam de eadem re D. Antonium Limicum ex nobiliſſima, Dinaſtarum Limiæ familia, qui ar gumento ſimili librum confecit, ſermone quidem patrio, verum accuratiore, & ætati huic noſtræ, accommodatiore. Cuius me viri, hoc in loco meminiſſe non piget, vel ob hoc, vt ſupinam quorundam nobilium noſtrorum deſidiam, eo commemorando, ad ęmulationem excitarem, qui, in ſocordiæ ex cuſationem, cùm vnicum nobilitatis decus arbitrentur militare, ita ſibi maximi pugna-

tores ac heroës videntur, ſi maximè ac penitus, litteras ignorent, literatóſque ioco & ſcommatis, inceſſent, ſcolaſticos appellando. Mediuſfidius, inquit Pyrrhus, niſi iſtud mihi aliquãdo contigit. Nam in corona nobilium quorundam, neſcio quot verba Latina protuli, quæ ad rem medicam facerent, éxque vſu illius eſſent (ſed hoc mihi gratiæ relatum eſt) ad ſcholas ire ſum iuſſus. Solet iſtud, inquam Pyrrhe. At Limicus, qui non modò militiæ ſæpe, verùm etiam ducis ſpecimen præbuit non pœnitendam, in ſumma nobilitate & olim iuriſperitiæ dedit operam & nunc ad hiſtoriam, & antiquitatis notitiã ſe tranſtulit: vt veriſſimum ſit, quod noſtrati prouerbio iactatur, literas nequaquam lanceæ mucronem retundere. Sed hæc hactenus. Habuit Ægidius fratrem alium, & neſcio an tãtùm fratrem ex priore patris vxore, an etiam germanum, Decanum eccleſiæ Oliſiponenſis. Mater eius, qnod ad claritatem eorum quæ dicenda ſunt, conducit, amicitiæ fuit Domnæ Ioanne Didaciæ opidi Ataughiæ dominæ, feminæ illuſtri, quæ in aula, Reginam Alphonſi III. vxorem, comitabatur, quam habuerat in matrimonio, Domnus Vernãdus Vernandius Coguominius, ex qua genuerat Vernandum Vernan-

dium minorem, & Nunium Vernandium Cognominios, Is Nunius Vernandius ſub rege Dionyſio regni Thalaſſiarchus, & magni fuit nominis. Ioanna verò Nunij mater, ac Ægidij conſobrina, ædiculam marmoreúmque ſepulchrum, in quo beatus pater Aegidius poſt tranſlationem conditus eſt, ædificauit religionis & neceſſitudinis ergo, ideò commemoraui, Pyrrhe, vt tam cognominis noſtri, quàm illuſtris Athaidiorum familia, in quo hęreditario iure Athaugiæ oppidi dominium deriuatur, intelligant ad ſe beatum virum non parua neceſſitudine pertinere. Benè mones, inquit, Pyrrhus, ſi noſtra nobilitas tam veneraretur Præſtites familiarum ſuarum diuos, quàm olim timebant ethnici eorum conſanguinitatem, etiam per generis dedecus ementitam: Athaidiorum tamen gentem vt illuſtrem, ita potentem opibus, neſcio. Certè de Cognominiis è ſuggeſto te conquerentem audiui, cùm pro concione de ſuperiori loco, dicens diuos tutelareis noſtros, egregios Chriſti martyres, Vincentiũ & eius germanas, Sabinam & Chriſthetidã laudares, à quibus cùm iure cõſanguinitatis certè ſucceſſionis Cognominia gẽs poſſit, illuſtrari, fanum id ignobile, quæ domus & Diuorum habitatio

Athaidiorum familia illuſtris.

quondam fuit, nunquam in meliorem formam redegerit. Probè tu quidem, inquam Pyrrhe; meæ conqueſtionis, ex concione ab hinc quinquennium facta meminiſti. Sed ſi retines, nō id tunc agebam, vt ſolis Cognominiis ſubcenſerem, qui oſi, iam inde à Diocletiani æuo, ad Vincentium & ſorores per maternum genus pertinerent (nam paternū, cuius ipſum Cognominium nomen gētilicium eſt, nuptiæ ad nos aliunde inuexerūt) legibus tamen poſt annos amplius quā mille ac ducentos iure ſe conſanguinitatis ſolutos reſponderent, ſed cùm Eborenſeis noſtros de neglectu erga indigetes ſuos arguerem, Cognominios, quorum maternum genus ad DIUORUM familiam referri fama iactatur, quorúmque ex fidei commiſſa hęreditate, fani eius curatio erat peculiaris, meritò perſtringi nominatim. A beato verò Aegidio vix plures quàm anni trecenti numerantur, vt & memoria adhuc recens, & propinqua eſſe cognatio, intelligatur. Sed redeamus ad inſtitutū, ſi tibi videtur. Ita, inquit, velim, modò illud expedias, cur tu ſordidiſſimis his & monachilib^9 verbis, DOMN^9 & DOMNAS vſus, quæ te nunquam probaſſe certè ego ſcio. Sordida, inquam eſſe profiteor, monachilia verò minimè, quippe quæ ante monachos, paulatim irrepſerunt

Domnus & domna abſurda eſſe verba profitetur.

à non inhoneſto principio. Nam Domnus, vt vides, colliſione litteræ pro domino dictum eſt. Domini autem appellatio diis aliquot peculiariter tribuebatur, quemadmodum in multis vetuſtis inſcriptionibus animaduerti, MARTI DOMINO. Deas certè fuiſſe, quæ Dominæ, ſiue Heræ apud Græcos nuncuparentur, conſcripſit in Achaicis Pauſanias ex Euripidis Hippolyto. Quam tragœdiã hiſce dieb⁹ in villula noſtra inuentam leunadi tædij cauſa perlegens tibi id ex notatis, oſtendero.

Ιππ. χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα
καλλίστα τῶν κατ᾽ ὄλυμπον
παρθένων Ἄρτεμι.
Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου,
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κομήσας φέρω.

id eſt, ſalue, ô pulcherrima, pulcherrima quæ in cœlo ſunt virginum Diana, tibi hãc certam coronam ex illibato prato, ô Domina, exornans fero. Et paulo pòſt, Θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών, id eſt, Deos enim Dominos, nominare conuenit, & poſt, προσευχόμεθα, δέσποινα κύπρι. hoc eſt, nota facimus tuis his ſtatuis, Domina Venus. Latinè quoque in pleriſque inſcriptis ſaxis reperi, ISIDI DOMINÆ, confirmante, id Iuuenale;

A Meroë

A Meroē portabit aquas vt ſpargat in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ouili.
Credit enim ipſius Dominæ ſe voce moueri.
Martialis quoque lib.12.ad Iuuenalem,
Aut collem Dominæ terris Dianæ.
Propertius item lib.2.
At tu per Dominæ Iunonis dulcia iura *Ierodulſi i.ſacerdotes, miniſtri*
Parce.lib. etiam 3. *Et Veneris Dominæ.*

Factum id arbitror ſumpto more ab hierodulis, id eſt, ſacris ſeruis, erant enim ἱερόδουλοι ſeruituti Deorum, Dearũue mãcipati. Quales venerios ſeruos oſtendit in Verrinis Cicero, quales & Veſtales erant virgines, quas ſacras Veſtæ famulas Dionyſius Halicarnaſſenſis, tertio antiquitatum Romanarum libro, appellat. *Dioniſius Halicar.* Qualem ſe etiam, Apuleius, factum teſtatur, cùm aſino depoſito, Iſidi eſt initiatus. Imitati morem hunc veteres Chriſtiani, apud Græcos, conſecratæ memoriæ animas, ea nuncupatione honoris cauſa, venerabantur, quemadmodum videre licet, in ea epiſtola quam de inuentione reliquiarum protomartyris Stephani, Græcè, presbyter Lucianus, Latinè, Abundius, Auitus, ſcripſerunt, Quæ cùm Gothis mirum in modum adhibuiſſet, dignationis ergo proceres, eam aut oblatam, aut quæſitam mordicùs arripuerunt, ad noſtram vſ-

que ætatem,qua vice prænominis vterētur.
Gregorius Papa. Sic loquitur ſępè beatiſsimus doctor ac Papa Gregorius in epiſtolis,ſed ſatis fuerit vnã ad Narſen Patricium lib.1. indicaſſe.Eſt igitur ea pręnominatio maiori,& quaſi puriori nobilitati,tantũ peculiaris.Quare ego,vt nõ ſolùm beati Aegidii parentes fuiſſe nobiles, ſed de ſumma nobilitate cognoſcerentur, ſordidis illis vocabulis, de induſtria vſus sũ in hoc opuſculo,in quo nõ tã elegantiæ mihi laudem quæſiui, quàm manifeſtiorem in vulgus ipſius DIui notitiã. Rectè tu, inquit, Pyrrhus,de inducta paulatim cõſuetudine commentatus es, niſi addidiſſes, eã ſoli puriori nobilitati eſſe peculiarem, quam quaſi promercalem videmus,certè contigiſſe hominibus,non iam dicã nouis, ſed ferè tã ſordidis,quã ipſamet vocabula,ſi latinitatẽ ſpectes, modò benè numatis. Iſthuc, inquam, Pyrrhe,ipſi Reges viderint.Ego de vocabuli vſu, non abuſu verba faciebã. Conimbri-
Iudæus quidã Conimbrigæ nobilitatẽ ambijt. gæ, me puero, fuit quidam prius Iudæus ex colluuione illã quę ad nos ex hiſpania exundauit,poſtea neſcio an Chriſtianus. Is ex negotiatione & veſtigaliũ redemptionibus ad ſummas,nec parum inuidioſas opes peruenerat. Atque,vt eſt genus hoc hominũ impudentia ſingulari,auſus eſt Emanuẽlẽ Regem de emẽda nobilitate cum iſthac præfa-

tione interpellare, oblata ingenti numorũ aureorũ ſumma. Mouit impudens poſtulatũ Regi, alioqui mitiſsimo, nonnihil ſtomachi & vt inter bilem ac lenitatẽ, audaciã, flagello quo merebatur, percuteret, Tua, inquit, intereſt, minimè id concedi. Nã ſi te nobilem cũ iſthac Domini prænominatione, crearẽ te omnes, Dominũ canẽ, appellarent, obliquè canem illũ vocans. Ita enim vulgus Iudæos exoſum nominare ſolet. Regiæ tamen facetiæ, aut repulſæ fama, vſque eò inualuit, vt nunquã homo ille fuerit aliter vulgô appellatus. Quin etiã hodie conimbrigæ ſuper ſunt poſteri; Domni canis nepotes, publicè nũcupãtur. Hoc modo maximus ille, rex puniuit temeritatẽ, illius; qui natalibus ſe reſtitui, quos claros nũquã habuerat, pretio poſtulabat. Sed quod nihil ad nos, prętermiſſo, ad inſtitutũ reuertamur. Talibus igitur ortus maioribus Beatus Ægidius, magiſtros cœpit frequentare à prima ſtatim pueritia conimbrigæ, in qua vrbe, vt pote tẽpeſtate Regũ Luſitanorũ ſede, literarũ ſtudia tunc vigebant: ſuopte vero ingenio, & inſtituto paterno philoſophica ſtudia ſectatus eſt præcipuè autẽ medicinã, in qua breui multũ, etiã vſque ad nominis famã profecit. Id cũ mirum in modum Regi, cui parentum cauſa

Conimbrigæ iã olim ſtudia literarum floruerant.

Aegidius adhuc iuuenis quot canonicatus & eccleſias habuit.

familiariter notus erat, placuiſſet, cúmque ſibi Archiatrũ futurum iam proponeret, ſtudio eius liberaliter fouebat. Inuenio Regis beneficio illum adhuc intra pubertatem, eccleſiarum Bracarenſis, Conimbrigenſis, ac Igedetanæ canonicum eſſe factum, eccleſiæ item Diuæ virginis ac martyris Irenes Scallabitanæ, Cheruſcienſis quoque eccleſiæ fuiſſe Rectorem. Tùm Pyrrhus, Vtendũ inquit, cenſeo, Magiſter, conſilio tuo, vt id, quod nihil ad me attinet prætermittam; alioqui poteram nõnihil admirari iã ea ætate tot ſacerdotiis, homines adoleſcenteis, necdum ſacerdotes, ſolere onerari: vt minor iam culpa ſit, ſi corruptiſſimo hoc noſtro ſeculo, primarum eccleſiarum Decani fiãt pueri, & inueniantur qui eccleſias tot numero obtinuerint, habeántque, vt earum ne quidem norint nomina. Sicut de quodam Antonio Barbaro Luſitano, Romæ ea gratia nunc agenti, inaudiui, qui viginti & octo ſparſim per Luſitaniam poſſidet eccleſias, cũ tamen neque nobilitate, neque litterarum cognitione, neque alia quapiam re, quàm ſacrorum mercatura, ad prodigioſum hunc viginti & octo eccleſiarum numerum, peruenerit. Imo, inquam, vt tu ne erres, dicas ſupra triginta poſſidet. Sed de his nec mutire quidem longè eſt ſatius. Sinodale enim bra-

Antonius Barbarus in Luſitania 28. eccleſias habuit.

chium, abuſus hic expectat, quod Tridenti forſan inchoatis ſeſſionibus, ſub hoc P. M. Iulio 3. fiet, cùm ſæpè de hac re doctores multi ſint conqueſti. Rectè, inquit Pyrrhus. Verùm illud profectò quòd maximè vel ad me, vel ad ſtudioſos omneis pertinere exiſtimo, nequaquam omiſerim. Quænã vrbs ſit Igædetana, & quare Sanctirenam Scallabim voces, vt expedias. Nam Bracaræ & Conimbrigæ, iam in vulgus innotuerunt. Faciam, inquam Pyrrhe, etſi eam ego rem, peculiari de Luſitaniæ noſtræ antiquitatibus tractatui, conſtitueram reſeruare. Igædetani ſunt, qui vetuſtam eam vrbem incolunt, quam nos paulo, inuerſo nomine, Idaniam veterem nominamus, in qua olim ſedes fuit Epiſcopalis, quæ poſt in vrbem Gardiam, tranſlata eſt, priſca tantùm appellatione retenta: vt errent qui Egeditanorũ Epiſcopum Egyptanienſem appellent. Cõprobatur hoc, multis à Romanorum temporibus quæ illic ſunt monumentis, & ex inſcriptione in ponte illo ſuper flumen Tagum, nobiliſſimo, quem Alcantaræ vocant: in qua inſcriptione, inter reliqua Luſitaniæ municipia, quæ ſtipe collata, opus pontis effecerunt, primi Igædetani recenſentur. Scallabis verò, ea eſt, quam ob honorem

Igædetana eccleſia quænam ſit.

Scalabitana ecclesia quænã ſit.

ſanctæ virginis & martyris Irenes ibi ſepultæ inſecuta ætas Sãctirenã maluit, vt dixi, nominare. Colonia hæc fuit, & vnꝰ ex tribus iuridicis Luſitaniæ cõuentibus, vrbs olim nobilior; quamquã neque tempeſtate hac, ignobilis: & vt etiam pœne obliteratam, & prorſus intermortuã hãc eius gloriã memorię faciam rediuiuã, quæ Gothorum tẽporibus Ioannem Monachum Catholicæ religioni dedit; virum ſuo tempore maximis comparandum. Hic, ſicut in libello de illuſtribus viris ait Iſidorus, qui illi συγχρονος, aliquanto, tamen iunior fuit, gente Gothus, natione Luſitanus, Scallabi natus, ſermone tam Gręco quàm Latino apprimè eruditus, beatiſſimi Fructuoſi tunc quidem Dumiẽſis cœnobiarchæ, poſt autem Bracaræ Auguſtæ pontificis magiſterio, omni monaſtica ſeueritate nutritus, amore ſtudiorũ, adoleſcens Conſtantinopolim perrexit. Vnde perluſtratis cœnobijs, veſtigatis bibliothecis, omnium orientalium patrum, qui fama virtutis & ſapiẽtiæ præcellebãt, factus diſcipulus, ipſe quoque ſcientiæ & ſanctitatis opinione, iam tum cõſpicuus, poſt decẽ & ſeptem elapſos annos in Hiſpaniã reuerſus, Arrianã impietatẽ, verbo & ſcriptis cõfutabat acerrimè: propter quod decennij exilio à Leugildo Rege Arriano damnatus, & mul-

Ioãnes monachus vir illuſtris Scallabitanus.

συγχρονος. Sincronos. i. Cõtemporaneus.

tas ab hæreticis perſecutiones paſſus, ac tandem à Recaredo rege Chriſtianiſſimo reuocatus in patriã, multis cœnobijs ædificatis & non minus ſcriptis, quàm vita clarus, Gerundẽſis epiſcopus factus eſt. Heic Pyrrhus. Beas tu, inquit; profectò Scallabim. Sed quid? eiúſne authoris ſcripta vidiſti? Quam vellẽ, inquam, Pyrrhe, idque minimè contigiſſe, non vulgariter doleo. Libẽter enim noſtrorũm, videlicet Damaſi, Apriſij Pacenſis, atq; huius de quo ſermo eſt, ſcripta, vel diuenditis ſarcinulis meis coëmerem, quę nondum omnia perijſſe confido. Teſtatur enim, bonus ille monachus Tritemius, extare nõnulla; certè eius de Apriſio elogium, quod ab Iſidoro eſt mutuatus, videlicet quod tam glorioſè & profundè, ſacras ſcripturas expoſuerit, vt eius cõparatione veteres ſcriptores non expoſuiſſe videantur. Ita me accendit, vt cupiam ſola hac cauſa iterũ in Germaniã proficiſci, ad inſignes & vetuſtiſsimas monachorum Benedictinorum bibliothecas perſcrutandas. Scis verò me patriã non modò diligere, verũ omnino etiã deamare. Quare patriæ ornamenta, chariſſima ſemper habui. Intelligo; inquit, Pyrrhus, cur Damaſũ noſtrũ voces, nẽpe Vimaranẽſem ex Bracarẽſi cõuentu. Pacẽſem verò illũ quónam pacto noſtrũ, hoc eſt Luſitanum dicas, non intel-

Apriſius pacēſis Luſitanus.

Damaſus patria Vimaranenſis.

ſa & deſiderio (quod ipſe tacitus ſuccendebat) vehementer propoſitum illius conlaudauit, ſed tam longinquam & diuturnam peregrinationem non probabat, præſertim cùm poſſet ad apicem naturalis philoſophię & medicinæ artis, magno & viæ & tẽporis compendio, peruenire. Inſuper occultas & penè diuinas arteis, quas vani quidam homines, velut illicitas per ignorantiã, odioſè inſectarentur, pollicebatur illum conſecuturum, quibus & morbos depellere, & rerum euentus præſcire, ac mira ſuper mortaleis omneis valeret operari. Non longè eſſe vrbem Toletum, in qua illis artibus poſſet erudiri, modò dictis eius obtemperaret. Intellexit Ægidius magicas ſibi arteis, à quibus illa tempeſtate, in Hiſpaniis non abhorrebant homines, ab illo viæ comite perhiberi: & paululum quidem cogitabundus ſubſtitit, deinde autem peſſimè perſuaſus, peſſimo acquieuit conſilio. Quare omiſſo cœpto itinere, Toletum deflexit, ſéque magiſtris impię ac nequiſſimæ diſciplinæ, loca ſubterranea atque ab hominum conſpectu remota frequentantibus (cùm ſubterraneis enim dæmonibus, myſtagogos eos ſolere congredi & coire, annotauit Nazianzenus, oratione in impium Iulianum priore) iuxta imperatas leges horrendo nefarióque ſacramẽto

Aegidius magicis artibus operam nauat

Gregor. Nazanz.

Chirographũ ſuo ſanguine ſcriptum Diabolo dat. addixit,ſeſéq; in animæ exitiũ deuouit chirographo ſua manu de ſuo ſanguine facto in teſtimoniũ illis dato. Decurſo ſeptenni ſpatio,benè,ad malè agendum, inſtructus,permiſſúſque abire quò vellet, Pariſienſe iter, quod priùs inſtituerat,eſt aggreſſus,& breui maximo totius Academię plauſu permiſſionem adeptus eſt, vt medicinæ artis doctor, & vocaretur,& eſſet. In arte autem exercẽda cũ, partim,naturalis philoſophiæ,exacta cognitione, partim, propitiorum tunc dæmonũ fauore,adiutus fœliciſſimè operaretur,ac morborum criſeis facillimè prçueniret, omneis tam doctos qnàm indoctos, in ſui admirationem attraxit. *Ægidius pariſiis medicinæ doctor creatur.* Nec curationibus contentus, miracula ad nominis oſtentationẽ edebat plurima, tũ in rebus grauioribꝰ,tũ ioco,& ridiculi gratia:& quæcũque animo cõlibuiſſent, boni & ęqui poſthabita ratione,ſibi permittebat. Ampla mi Pyrrhe hic hiſtoria manet,tamẽ quia magis curioſa quã vtilis illã omittamus. Interea appropinquauit tempus, quo Domino placuit, illud cõtumelię vas in vas honoris cõmutare.Cõtigit igitur, adhuc Lutetiæ cõmoranti,vidiſſe ſpectrũ huiuſmodi.Erat quadã die, in ſua bibliotheca,ſolus,clauſóq; oſtio &ecce oblata eſt ei ſpecies viri armati,facti quãtũ vide-

Viſio diuina Ægidio facta ut ſtatum mutet.

batur ex lapide marmore, equo marmoreo inſidẽtis, qui lãceã manu vibrãs, hæc ad illũ vultu terribili & minaci, verba locut⁹ eſt. MVTA vitæ tuæ ſtatũ: MVTA, inquã, tuæ vitę ſtatũ: Et his dictis euanuit. Ille verò tũc quidẽ triſtis & attonitus, viſa ſecũ reputabat, & ex ſcelerũ cõſciẽtia, meritò terrebatur. Sed poſtea inlecebris amœnioris vitæ, & peccatorũ vinculis iretitus, ſeſe cœpit redarguere, quaſi phãtaſmatũ ludibria, religione nimia vereretur. Obduruit itaq; animũq; in priſtina vita ſua cõfirmauit. Pauci interceſſerũt dies, cũ in bibliotheca legẽti adfuit iterũ armat⁹ ille, vir ſimili apparatu, ſed habitu oris lõgè terribiliori, & admiſſo in eũ equo, Muta, MVTA, MVTA, inquit, vitæ tuæ ſtatũ, alioqui te interficiã. Tũ verò ſtupefactus, MVTABO, inquit, DOMINE, & quæſo mihi ignoſcas, quòd priori iuſſioni tuæ nõ maturius obedierim. Quẽ cũ ferox ille eques, demiſſius ſe gerẽtem vidiſſet, lãceæ mucrone, illi pectus leuiter ſupra cor pupugit, ſtatímq; diſceſſit. At ille ita pũctus, exiſtimabat plagã in cor intimũ deſcendiſſe. Quare flẽs & eiulãs cœpit famulos inclamare, ac imperare, vt ſtatim abitũ adornarent: velle enim ab illa terra recedere, atq; in patriã remeare, accẽſóq; igne copioſo, libros magicæ ſuperſtitionis combuſſit, & cõ

Eadẽ riſio illi iterum apparet.

Conuertionis efficacis primus actus.

poſitis celeriter ſarcinis, clàm diſceſſit, rectà magnis itineribus, contendens in Luſitaniam. Dúmque eſſet in via ex mæſtitia, & inedia & laſsitudine, quarta nam febrem incurrit, propter quam tamen, profectionis, cōtentionē, nūquā intermiſit, vtpote corde ſaucius, & ſemetipſum fugiens, incertúſque animi, quid ſibi potiſſimum eſſet ad ſalutem agendum. Interim, Palentiam deuenit, vbi tunc, nuper admodùm, exorti Prædicatorij ordinis ſacerdotes, iuxta ſanctiſſimi viri DOminici inſtitutum cœnobium ædificabant. Quos cùm Ægidius vidiſſet in opere laborantes, cementariiſque ac artificibus reliquis, ſedulò abſque vllo ſanguinis, gradus & ſcientiæ ſupercilio miniſtrare: optauit ſe illis iungere, & manè facto, Rectorē cœnobii cō uenit, petiuítque anxiè, vt eius exciperet confeſſionem. Cúmque eatenus actæ vitæ labes, recenſque propoſitum aperuiſſet, religioſus ille vir, lucri faciendi eius cupidus, conſuluit cœnobitas ſuos, placerétne illum recipi. Mox magno omnium gaudio, raſo capite, depoſitíſque laicis indumentis, regulari ordinis habitu eſt indutus, & veniens ad oſtium cœnobij, famulis ex eo facto conſternatis, multūque plorantibus, valedixit, omni inter illos diuiſa ſupellectili. Ad hæc litte-

Nota primitiui or. humilem paupertatem.

Aegidius Placentiæ D. Dominici fit religionis alumnus.

ras ad patrem dedit, quibus ordine quæ ſibi contigiſſent, enarrabat. Ipſe verò in carne ſua, priſtinam indulgentiam puniens, totum ſe ieiunijs, & pœnitentiæ operibus dedit, ad tantam ſui humiliationem, demiſſionémque redactus, vt ad abiectiſſima quæque miniſteria, hilarior eſſe videretur, quàm humanæ laudis & gloriȩ prius fuerat appetentior. Victu vtebatur parciſſimo, partim ſua ſponte, partim quia tanta paupertate monachi premebantur, vt fere craſsiore pane, & paucillo vino exceptis, nihil illis in prãdio lautius apponeretur, quàm cuilibet cocti cauliculi folium, aliquando exiguo vnctum oleo, nonnunquam ex aqua tantùm bulliente & ſale maceratum, potiùs quàm condîtum. Cingulo ferreo, quatuor, diffracto internodiis, ſub cilicino ſago, ſuper nudam carnem ſe incinxit, ita fibulato, ne facilè aperiri defibularíue poſſet. Id donec vixit omnino ignoratò ac latens, poſt obitum dum polliceretur, compertum eſt. De quo ſuo dicemus loco.

Abſtinentia patrũ noſtrorum

Peracta annua catecheſi, quæ antequàm initiaretur, iuxta cononicam ſanctionem, præceſſura erat, cùm vitæ inſtitutum vouiſſet, rediit in patriã, & cœnobium Scallabitanum, regulari diſciplina, & grauiſsimorũ

Monaſteri in San Cteranenſe noſtri ord. viuo adhuc D. Dominico fũdatum eſt.

patrum frequentia tunc celebre, ad habitādum elegit. Quod quidem cœnobium, primis exorientis ordinis initiis, viuo adhuc ſanctiſsimo patre Dominico, beatus Dominicus Cubenſis, eius diſcipulus ac ſocius, ab eóq; in Luſitaniā miſſus, de cuius ſanctitate in lib. qui Vitæ fratrum ord. præd. inſcribitur, peringens eſt teſtimonium, non multis retrò annis, regio fauore conſtruxerat, vbi & ſepultus requieſcit. In hoc ergo Ægidius, mira ſe afflixit aſperitate. Grauiter autem illum angebat fœdus pactum cùm dæmone, & chirographum infœlix, quod ſuo ſanguine ſcriptum illi dederat. Quare abundanti lachrymarum fluuio, & Chriſtum vt ſui miſereretur, anxiè deprecabatur: Dei tamē genitricem, vtpote prędicatorum ordinis ſpecialius patronam peculiari & ardentiſſimo venerabatur affectu, in quam permagnam collocauerat fiduciam fore, vt eius meritis chirographum illud deleretur. Ideò excubitor aſſiduus in ſacello comitiis quotidianis extructo, capituli locus vocatur, in quo pēdebat, demiſſus à turri per foramen, funis quo cymbalum pulſatur, ante beatæ virginis altare proſtratus totas fere nocteis, ducebat inſomneis, cùm tamen interim grauiſſimas dæmonum, pateretur ſycophātias,

B. Ægidius multū cruciatur propter chirographū quod Dæmoni conſcripſerat.

illum ad deſperationis barathrum, pertrahere molientium. Nam ſicut ipſe poſtmodum, cum ad tentationũ tolerantiam iuniores hortaretur, ſimplici animo ac familiariter referebat, varios diaboli inſultus perpeſſus eſt, modò illi chaos & horribileis tenebras, modò in æternis ignibus ardenteis, cũ corporib⁹ animas oſtendẽtis. Aliquando ſe nequã hoſtis, in maximæ ampliſſimęque teſtudinis ſpeciẽ obiiciebat, nõnunquã trucis ſaggitarij imagine, formidoloſis eũ ſagittis impetentis, iam iãque immiſſuro ſimilis, ob oculos ſe ponebat. Interdum verò qui eſſet cõfeſſus, probroſis vituperationibus ac maledictis illũ proſcindebat, vt aſſeueraret poſteà malè ſe milies capitalem ſubire ſententiã, quàm in ſpectrorum talium fœdam imaginẽ, dæmonúmque ſæuitiã iterum incurrere. Ad quorũ improba territamenta, multimodáſq; illuſiones & formas, quibus ſe illi conſpicabiles obiiciebãt, exſternatus, & ex præteritorũ conſciẽtia formidoloſus Ægidius, quærula anxietate impendio magis ad pientiſſimę Dei genitricis cõfugiebat aſylũ. Nã poſt ſeptem fere, à ſua conuerſione annos, nocturna quadam peruigilatione afflictiùs, & importuniùs oranti adfuerunt dæmones clamoribus validis, nihil illũ agere,

Dæmõ ſub variis formis B. Ægidium tentat.

ſubinde obſtorpentes: meminiſſet, vt peſsimo, ſe inferis auctorarat facinore, meminiſſet Chriſti per inexpiabile ſcelus eiurati, meminiſſet religionis Chriſtianæ pro nihilo habitæ, nullũ iam quãtæuis pœnitentię relictũ eſſe locũ fruſtrà ſe afflictare, fruſtrà pręcibus fatigare, occluſum ſibi omnino cælũ. Hæc & his ſimilia cùm iactarẽt, quò de conſtantiæ gradu deiectus deſperationis extremo ſcelere ſe afflictus animus impiaret, Aegidius ad virginis ſtatuam, quæ erat in ara, pauliſper erectus inter acerbiſsimos ſingultus, qua voce potuit, pientiſsima, inquit, Regina, reuera cùm mea mecumſcelera expendo, digna omnia meis factis, quæ obiiciunt iſti, egomet agnoſco. Sed cũ omnipotentiæ, cùm miſericordiæ, cùm placabilitatis filij tui, cùm pietatis quoque tuę recordor, non poſſum ſpem magnam non reſumere, non poſſum meliora quàm mereor, non ſperare. Oſtende eos, virgo clementiſſima, iuxta filij tui ſententiam, & mendaces eſſe, & mendacij patres, & famulum tuum maxima te cordis ac ſpiritus anxietate adorantem, ad hanc aram tuo ſigno venerandã confugientem, tuum cœleſte numen afflictim implorantem, ſpe bona, & bona qua potes ope conſolare. Quid multis immoramur?

Chirographus initi fœderis inter Aegidium & Dæmonẽ Aegidio reſtituitur.

mur?Inter ſuperbè intonantium & commi-nantium voces, conſternatus præ anguſtia & terrore ſupplex Ægidius, parum aberat, quin animam efflaret.Ecce autem chirographum infœlicis pacti,ante altare virginis apparuit,demiſſum per ſupra memoratum foramen,ab improperãtibus & vim ſibi factã à beata Dei genitrice conquerentibus.Non poterit non dico mea, quæ perexigua ſanè eſt,ſed humana vlla eloquentia pro dignitate explicare lætitiam,lachrymas, gratiarum actiones, ſanámque pro diuinæ matris dulcedine inſaniam, quibus Aegidius afficiebatur,cui noua oculis lux cælitùs oblata eſt,vt intelligeret non diſplicere benigniſſimo patri reuertentis filij ſobriam pœnitentiam. Multum tamen illi in beatam virginem auctus eſt affectus,qui iã antea non poſſe creſcere videbatur. Intantum vt ſi rebus ſacris ἐρωμαγιάν adſcribere licet,non aliubi ea magis, quam in vno Ægidio eſſe deprehenderetur.ita illum totum diuinę matris amor ſpeciali cura cuſtodiebat. Pro ſeptennio enim illo perſeueranti, vrgentium tentationum patientia exantlato; altero ſeptẽnio illibatæ virginis gratia remuneratus adeo eſt, quod perpetuo à Deo lucẽ quãdam in modum accenſæ lampadis vbique ſibi adeſſe

Chirographum initi fœderis inter Ægidium et dæmonem Ægidio reſtituitur.

i. arcana Scientia.

conſpiciebat, quaſi certum ac præſens aduerſus nefarias poteſtates munimentum, donec tandem, poſita fœdorum ſpirituum formidine, non modò ad conſpectum, non terrebatur, ſed illis ipſe potius terrori erat. Heic tunc Pyrrhus, euge, inquit Ægidi: feliciter tibi tuæ maleficæ artes ſucceſſêre. Imò, inquam, fœliciter illi ſua ſucceſſit ad Deum reuerſio. Et Pyrrhus, ita profectò. Sed corrector, quid ſi te moneam, vt dictum etiam tuum corrigas? an non frequenti concione, ita pridem ex te audiuimus eam, peccantis conuerſionem in Deum, quam vos theologi, pœnitentiam nominatis, nō humanæ fragilitatis opus, ſed eiuſdem Dei eſſe munus? Ad quod oſtendendum illud propheticum adduxiſti; conuerte me Domine, & reuertar. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitētiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Ego tamen ſcio de obedientia arbitrij, qua Deo vocāti paruit Ægidius, te intellexiſſe. Quare mihi quoque condonabis, vt ita fœliciter Ægidio ſuas ceſſiſſe maleficas arteis dixerim, vt vos ſoletis interpretari illud. O felix culpa, quæ talem ac tantū meruit habere redemptorem, cùm neque vlla fœlix ſit culpa, neque vnquam ea redemptorem meruerit. Sed quia ſupra crepidam,

habere me acumen vetabis (nam imperioſum genus eſtis theologi) vobis iſta relinquo. Vnum dixero, mihi, cùm me tamen duriorem arbitrarer, inter narrationem extremam tuam, hanc oculi fateor maduerunt. Non mireris, inquam, Pyrrhe. Habent enim eam vim diuina omnia, vt ſi paulò attentiùs expẽdantur, & vero gaudio, & vero pióque fletu nos afficiant. Ecquod enim cor, tã lapideſcet, tam erit ſaxeum, vt ex cõtemplatione tantæ erga hominem Dei bonitatis non protinùs emoleſcat? Verum ad narrationẽ reuertamur

Tanto hoc onere, quo, ratione maxima, angebatur & premebatur Ægidius, per Chriſti gratiam, & merita genitricis eius ademſpto, indies animo euadens quietior ac hilarior, non quod propterea pœnitentię rigorem intermiſerit, aut ſe cupiditatibus efferri permiſerit, imò eo ſe deinceps macerabat amplius, quo etiam iam confidentius. Sed tamẽ animo factus hilarior, diuina ſacræ theologiæ ſtudia eſt adortus, tanta auiditate, vt dies noctéſque, quantum ab oratione vacabat, aliud nihil aut ageret, aut meditaretur. Id quo ageret expeditiùs, Lutętiam iterum ſe contulit; atque à conlegio Dominicalium ſacerdotum, recens quidem ibi ſtructo, ſed

Reuertitur in Lutetiam.

maximis eius ætatis ingeniis florente, nonnihil ſuperiore adiutus fama, & regia, per litteras, commẽdatione, benignè receptus eſt, & ſanctæ memoriæ Iordani, qui beato Dominico in regimine ſucceſſerat, ob conſpicuam vitæ ſanctitatem factus charus. Familiariorem tamen contraxit amicitiam, cum venerabili Vmberto, qui etiam poſt eũdem ordinem ſumma laude gubernauit. De ſancta vero eius tunc temporis conuerſatione cap. 2. quartæ partis, lib. qui dicitur, vitæ fratrum, nomine tamen eius ſuppreſſo, hæc habentur. De quodam fratre Hiſpano, viro eximiæ ſanctitatis, & auctoritatis præclaræ, qui in ſeculo fuit in ſtatu magno: narrauit, venerabilis pater Magiſter Vmbertus, qui eius ſocius & valde familiaris fuit diu in Pariſienſi conuentu, & cum eodem in eadem camera infirmus. Quod fuit tantarum virtutum, quod cum fratres eſſent in Scollis, ibat ipſe ad cameras, & quas inueniebat deturpatas mundabat, & ſordes infirmariæ efferebat. quę apponebãtur quamuis cõtraria & eſſet medicus, cum gratiarũ actione ſumebat. Cum aliquis eo indigebat in aliquo, ſtatim dimiſſis omnibus ſe totum ei prompto animo, & læta facie, exhibebat. Et non tantùm corporalia, ſed etiam oratio-

B. Ægidius fuit familiaris valde Vmberto olim Magiſtro ordinis

[illegible]ne hiſtoriã ſeraphin. alteri patri aſcribit.

nem & deuotionem, & ſimilia, propter fraternam charitatem dimittenda, factis & verbis docebat. Neminem offendens, maioribus in omnibus acquieſcens, ſemper, aut orans, aut legens, aut docens, aut meditans, ſtudium minus vtile, & pro modico reputans, licet eſſet magnæ literaturæ. Vitas patrum & ſanctorum audiebat, & referebat libenter. Feſtinare ad prædicationem & fructum circa alios, ſe neglecto, plurimum reprobabat. Omnes ſancta ſua conuerſatione fortificans, ad amorem ordinis & ſanctæ paupertatis, & veræ obedientiæ, animabat. Vix nunquam, tentati nouitij ducebantur ad eum, quin multum conſolati redirent. Infirmos autem ipſe infirmus multum ſuis conſolationibus recreabat, monens vt non curarent de medicinalibus, ſed in fide Chriſti, quicquid apponeretur, lætanter acciperent, & optimè proficeret illis.

Quia (dicebat ille) plus poteſt gratia, quàm natura, Chriſtus quàm Galenus. Cum autem aliqui, ſe fundebant per rumores, vel ſecularia verba, tacens & aliquantulum ſubſtinens, paulatim & inſenſibiliter quaſi, immiſcendo verba de

Deo, curialiſſimè eos transferebat ad ſalubriorem materiam. Ita vt in eius præſentia non poſſent verba ocioſa durare. Vix nori poterat, quod ſemel in anno, verbum diceret ocioſum. De loco ſuo nunquam recedebat, pro aliqua recreatione vel aliâs, niſi pro cauſa neceſſitatis vel vtili.

Erat autem, ita raptus in ſanctis meditatio nibus & contemplatione, quod interdum fratres ſuperuenientes, ad viſitandos infirmos, ſedētes quoque etiam iuxta ſe, non aduertebat. Et poſtquam rediret de alio ſeculo, aſſurgebat eis, & recipiebat gaudēter, quaſi de nouo venirent. Hæc in libro ſupradicto ex parte cōſcripto: ex parte approbato à magiſtro Vmberto. Quo ſtudiorum ſocio, tāta ingenij dexteritate vſus eſt, cooperante iam quoque ſpecialiore in illo diuina gratia, vt paruo temporis curriculo, à cācellario Pariſienſi, ad doctoris culmen fuerit promotus, & ſacrarum litterarum, patrum ordinis auctoritate, per Hiſpaniam lector ordinatus. De hoc, quod in hiſtoria eius inueneram, cùm aliquantulum addubitaſſem, liber ille quem fratrum vitas, inſcriptum ſuprà me minimus me confirmauit, cuius iſta ſunt verba lib. 4. tit. De virtute orationis. Hæc frater Ægidius de Portugallia ſcripſit,

vir ſimplex & rectus, & timens Deum, in ſæculo magnus, in artib⁹ & Phyſica, & in theologia, in ordine doctor. Et item in tit. De diuerſis viſionibus, frater Ægidius Hiſpanus, qui fuit in ſæculo magnus, in artibus, & Phyſica, & in ordine, in ſacra pagina lector, qui Prior fuit prouincialis bis in Hiſpania, vir religioſus, pius, & verax, ſocio ſuo, fratri Vmberto Magiſtro ordinis, ſcripta miſit, hęc quæ ſequuntur exempla. Vbi etiam aduertendum iis eſt, qui librum illum legunt, tam in his locis quos atuli, quàm in aliis, vbi Ægidius teſtis in libro illo citatur, nõnulla miracula quæ ipſe Ægidius, ſuppreſſo auctoris nomine, commemorat, ab eodem ipſo fuiſſe facta, quemadmodum patebit iis, qui ea quæ nos ſcribimus, cũ libro illo contulerint. Reuerſus poſt hæc in Luſitaniam, agendo, docendo & prædicando, talentum, ſibi creditum, duplicare etiam ſupra virilem ſtuduit. Inuidebat tãtis ſucceſſibus antiquus ille animorum ſicarius, tantóque id magis, quantò ampliorem ſeueriorémquem olim in Ægidio exercuerat dominatum. Quem tandem amiſiſſe cum torqueretur, nihil non agebat, nihil inſidiarum prætermittebat. Sed cùm iam aperto Marte, nequaquã proficeret aduerſus eum, qui ſpiritus virtute vn-

B. Ægidius fuit bis prouinciali Hiſpaniæ.

diquaque ſe communierat: obcultioribus cuniculis experiebatur. Erat igitur quodam tempore, vir Dei in Conimbrigenſi cœnobio, diuinis litteris & verbi miniſterio, nec indiligentem, nec infructuoſam operam impendens. Id quoniam diſplicebat illi malo, virum Dei in ſecreto loco meditantem ementita monachi cuiuſdam imagine, ipſũ eſt adortus, & paulatim excandeſcens (opprobria & iniurias procaciſſimè in illũ conjecit, beato Ægidio inſolentiam eam admirante plurimum) inhoneſtiſſimè diuexauit. Non euicit tamen nebulo ſycophanta, quod volebat. Nam Ægidius, nihil immodeſtè reſpondens, ab illo diſceſſit, & petito, religioſi patris, fratris Dominici Pelagij cœnobiarchę, conloquio, facultatem diſcedendi Scallabim inſtantiſſimè poſtulabat, affirmans ſe amplius Conimbrigæ, non manſurum, niſi ex obedientia compelleretur, nullam interim de illatis iniuriis mẽtionem faciens. Admiratus cœnobij præfectus, poſtulati nouitatem, & ſuſpicans (quod erat) aliquid indigni ei accidiſſe, æquè inſtanter cauſam, cur id tantopere vellet, percontabatur. Tum ille, nunquam, inquit, maiora opprobria, nec grauiorem vituperationem quiſquam à quoquam audiuit, quàm

ego modò à fratre quodam. Vrgenti, ſciſcitantíque, quiſnam frater ille eſſet, ipſe, ait, eſt frater Iulianus Gallus. Fecit illum eò vocari præfectus, & coram adſtanti. Proſterne te, inquit patri Ægidio, & veniam ab eo poſtula. Proſtratus Iulianus, vir admodum probus & modeſtus, cauſam, inquit, ſcire vellem, & quam pater Aegidius de me conqueſtionem habeat. Habet, inquit, præfectus, atrociſſimis à te hodie iniuriis impetitus. Per ſanctum Dei filium, ait Iulianus, ego hodie verbum ſiue bonum ſiue malum patri Aegidio nullum feci, quem ante hanc horam non ſum allocutus. Et meliorem ſpero mihi mentem dabit omnipotens, quàm vt eò veſaniæ deueniam. Mirari itaque cœperunt, denique detectæ ſũt, mali dœmonis, præſtigiæ, ſatagentis & publicam vtilitatem impedire, & in ſancti viri animo ſpinoſi odij, aduerſus fratrem, aculeum infigere. Sed mentita illi ſua eſt iniquitas. Nam & ampliori deinceps, ipſum Iulianum vir Dei charitate dilexit, & magnum docendi ac prædicandi laboribus addidit cumulum, vt bono illi fuerit modica illa, & ſuo fratri caſſa illuſio. Ergo augeſcente indies ſanctitatis eius fama bis totius Hiſpaniæ (nondum enim in prouincias diuiſa erat cœnobiorum adminiſtratio)

Rector prouincialis non tam ſuffragiis in tabellam indicem conlectis, renunciatus eſt, quàm viua omnium voce conſenſúque pro clamatus. In quo magiſtratu, ſeu potius miſterio, vix dici poteſt quãtis ſe laboribus exercuerit, honore nũquã ad ſuperbiã abuſus, ſed indies ſe infra ſe, magis deiiciens, etiam adultiore iam ſenio, quaquà Hiſpania eſt, pedibus iter faciens, niſi admodum raro vilis aſelli inſeſſione, ex fatigatione nimia ſubleuaretur. Poſteriorem tamen huiuſcemodi magiſtratum, quem nõ multos poſt annos, quàm Priorem obierat, inire compulſus eſt, vt ſibi eiurare liceret, in comitiis generalibus, ægrè impetrauit, verùm per nimiam ſenectutem, gerendo parem ſe non eſſe aſſeueranti, permiſſum vti eo ſe abdicaret. Inde tamen ad ſuos, Scallabim ſe recipiẽs, requiem ſepulchri feſſo corpori, & animæ magnis laboribus functæ, cœleſte præmium, quando Deo placitum eſſet, lætus expectabat.

Sed quoniam vitæ ſeriem ſummatim ac breuiter percurſam audiuiſti, Pyrrhe, non ab re fuerit etiã de eiꝰ, in cœnobiali militia, conuerſationis tenore, diffuſiorẽ nos tractatum adoriri, non quidẽ ordine, vt quæque contigerunt, ſed vellicatim, ad certa quædam capita illius acta, alioqui ſparſa, redu-

centes, & ſi tib i, Pyrrhe, non diſplicet, cras iſta potius exequemur. Nam vt hodierno ſermoni finem imponamus ſuadet, vel appetens veſpera, vel procurandorum corporum iuxta morem patriæ conſuetudo. Vt lubet, inquit ille, modò cras expectationi meę, fide non labefactata reſpondeas. Mira enim ſunt quæ narras, & ita ſenſim in animum ſe mihi inſinuauit Ægidius: vt incidi ſermonē tuum, niſi adueſperauiſſet, laturus æquo animo non fuerim. Cúmque promiſiſſem ita vt cupiebat fore, ille diſceſſit, ego rei domeſticæ operam dedi.

LIBER SECVNDVS.

De ſancta conuerſatione diui Aegidij Luſitani & eius miraculis, vitam adhuc agentis.

POſtero die ad conſtitutam horam, cùm rediiſſet Pyrrhus, méque ego ad narrationem compararem, inſperatò pulſauit foreis, Egnatius Moralis, vnus ex bonarum litterarum, Conimbrigæ profeſſoribus, cum quo mihi peruetus eſt amicitia, homo ſanè honeſtis præditus diſciplinis, vt ſi quis apud nos alius, certè in poëtica, venæ facilimę & Ouidianæ, ad quam ſe componit, tam ſimilis, vt qui vbiuis gentiũ maximè. Quem, vbi atrienſis adeſſe nunciaſſet, hilaris effectus admodum ſum, niſi quò hilaritatem illam, ſordidus & lugubris eius habitus, temperauit, Pullis enim & intonſis indutus erat, ob non ita pridem raptum Duartem Bracarę Auguſtę, deſignatum Pontificem, facilè non modò noſtræ, ſed omnis etiam iuuentutis, principẽ, Ioannis III. Luſitanorum Regis, etſi non matrimonio, non tamen minus dignum, quàm

Mors principis Eduardi tangitur.

charum, filium. De cuius immatura & properata morte quid attinet dicere? Eſt ſanè quod admirari ſatis nequeamus, ſemotum à paterna domo, inter monteis Bracarenſis prouincię, id curante patre, ñe nouercam reginam, offenderet proles non ſua, quam tamen, ſine vxoris genuiſſet iniuria, nēpe adoleſcens, & nondum maritus, ſemotum tamē, vti decebat & quaſi exulem, corporis pulcritudine, ac animi dotibus, & Latina Grecáque eruditione, ad hæc philoſophicorū ſtudiorum aſſidua inſtitutione, ad annum vigeſimum ſecundum perueniſſe incolumem, nec vnquam aduerſa affectū valetudine. At poſteaquā è latebris prodire, ac iam in luce verſari, permiſſum ſecundo menſe; quàm patris domum eſt ingreſſus, infœlix elatus eſt, robuſta illa vegetáque iuuenta, intra ſex aut paulo amplius dies effracta extinctáque magno patris mœrore, magna doctorum hominum iactura, maxima ipſius Egnatij, quo magiſtro, diuina illa indoles, etiam cū laude ad poëticā vſq; peruenerat, mea certè non parua. Quam cùm mihi luctuoſus hoſpitis habitus refricuiſſet, & partim mea, partim amici cauſa, nonnihil humanis affectibus eſſet datum, tandem huic, inquam, incommodo, Egnati quia mederi ne-

quãquam dolendo poſſumus, neque demittendus omnino animus eſt, neque litteratis præſidiis non ſuſtentandus. Quid enim me iuuit, quòd adhuc duos illos meos amicos Principes lugeo? Quidue aliud emolumenti ſum nactus, quàm tempus terere in mœrore, & ingenium pati obruteſcere, adeò vt ſtabiliendi mei etiam rationem ſubducere, aut inire non queam? de qua re, ne fortunæ, noſtri cauſa, obirati vulgariter, eſſe videamur, conſultiùs puto ſilere modò. Cùm ob alia multa tum etiam quòd promiſſam Pyrrho huic, ſermonem noſtris commemorandis calamitatibus fruſtraremur. Equidẽ ita velim, inquit Egnatius. Futuri tamen ſermonis, ecquod ſit argumentum, licebit, arbitror, percontari. De Ægidio, inquã, Scalabitano, priùs mago, poſtea magnarum virtutum viro, de quo iam ab heri, ſermonem alterum habuimus, quem modo repetere neceſſe nequaquam eſt, præſertím, quia tu mecũ domi, pluſculos adhuc dies, arbitror, manebis. Et ſi tibi libenti erit, poterimus ocioſiùs, ea de re confabulari. Nec ego inquit, poſtulo inceptum iam ſermonem mea cauſa interrumpi, aut quaſi Penelopes telam retexi. Quapropter ipſe, vt cœpiſti, perge, ego attentè ac libens auſcultabo. Tum ego.

Heſterno ſermone Egnati, cùm Ægidij noſtri acta, pœnè ab incunabulis, vt ita dicam, ad perfectum vſque deduxiſſem, pollicitus ſum cõuerſationẽ & virtutes eius, particulariùs me hodie narraturum. Vnde igitur aptiús exordiar, quàm ab illius charitate maxima, qua erga Deum, ita afficiebatur, vt ſæpe ex vehemẽti ſupernorum deſiderio languorem incurreret, nec à lecto per dies aliquot ſurgere valeret, nullam languoris cauſam habens aliam, niſi cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto, cui ſolùm iam viuere Chriſtus erat & mori lucrum. Certè quoties, aut ſe orationi daret, aut paulò attentius, diuina contemplaretur, frequẽtiſſimas patiebatur extaſeis. Nonnunquam à terra duobus cubitis eleuatus, igneum illum ſpiritum et diuino amore flagrantem animam, corporea mole propè iam nihil grauante. Et cum vix poſt multarum horarum ſpatium à ſomno contemplationis euigilaret, dolebat ſibi dulcem illam ſpiritus ebrietatem, fuiſſe ſublatam. Siue autem procumbens oraret, ſiue flexis & poſitis in terra genibus, ſiue erectus ac ſtans, ſiue expanſis manibus, & denique quouis alio corporis ſtatu habitúque eſſet, eo, cùm rapiebatur, immobilis permanebat. Nec tum erat ei vox, neque anhelitus, neque ſenſus vllus ex-

B. Ægidius à charitate cõmẽdatur.

Extaſis.

terior. Tantùm vbi ad humanitatis ſenſum ex illa, diuinæ contemplationis dulcedine, redire animus cogebatur, crebra ſuſpiria & gemitus etiam procul audiebantur, quaſi ęgrè ferentis animæ ad corporeas functiones reuerti: quo pacto debet & conqueritur infans, ſi in ſummo lactis deſiderio, à chariſſimæ nutricis vberibus auellatur. Et ſicut ipſe, in contemplatione, ſuauitate maxima fruebatur, ſic alios ad illam hortabatur ipſemet, aſſerebátque cõtemplationem de ſupernis vbilibet nullo eſſe pacto deſerendam, ſed quocumque in loco, eam Deus menti inderet diuinitati parendum, ſeceſſum quidem magis idoneum, ſi commodè haberi poſſit quęrendum, ſi non poſſit, cauendum, ne dum commodior locus quęritur, langueſcat ardor, animum ſuccendens, & amitatur dulciſſimus ille fructus. Referam, exempla nõnulla vt dictu miranda, ita etiam auditu iucunda.

Simile accomodum.

Venerabilis pater, frater Petrus Oſcenſis, rector prouincialis Hiſpanię, cùm viſitandorum cœnobiorum cauſa, Scallabim deueniſſet & fratribus mirabileis beati viri raptus narrantibus nequaquam crederet, contigit, quadam ſollemni die, poſt peractum ſalutare ſacrificium, virum ſanctum in odeo, hoc eſt chori

B. Ægidij extaſes referũtur.

eſt chori loco, qui eo capacior, quàm prius conſtruebatur, iuxta conſuetudinem ſuam ſolum remanere, cúmque ſtans erectus oraret, vehementi contemplationis vi, abſorptus & raptus eſt. Quod vbi aliquot ex monachis comperiſſent, feſtina adierunt Rectorem, & num vellet, de eo quod non credebat, certior fieri, interrogabant. Ille cùm nihil ſe aliud malle reſpondiſſet, accurrit & extendens aurem ad os, & ad nareis, ſe à ſenſibus alienatis amouit. Cúmque neque anhelitum, neque reſpirationem vllam percepiſſet, malleo fabri lignarij ibi inter reliqua fabrilia inſtrumenta relicto, propter diei celebritatem, in tabulato iuxta virum Dei, ſæpe iteratis ictibus ingenteis ſonos & ſtrepitus fieri pręcepit, attamen in caſſum. Tum verò, manibus illum contrectans, & huc atque illuc frequenter & vi magna impellens, & denique irrito conatu, fatigatus, tandem in pias lachrymas prorumpens, ſinamus, inquit, illum in ſuo ſibi exceſſu fœliciter quieſcentem. Suſpendium vtique fœlix elegit anima eius, & partem optimam, quam ab eo auferri, equidem periniquum eſſe cenſeo. Et abiit eo, adhuc in illa mẽtis à corpore iucũdiſſima abſtractatione, perdurãte.

Alia quidem die cùm in cubiculo, legen-

dis beati Dionyſij libris,vacaret, quorum lectione ſupra modum afficiebatur, incidit in eum locum,vbi ſcriptor ille, ecſtaticũ et ſingularem,ad hęc dulcem,& inluminatorium diuinum eſſe amorem commemorat. Ibi Ægidius pauliſper immoratus,ſubitò in voluptuoſiſſimum mentis raptum, abſtractus eſt. Venit interea,ſocius eius & miniſter, frater Petrus Ioannides, illúmque à terra toto corpore eleuatum ſupra menſam, in qua liber apertus erat,manibus ad Deum protenſis,inuenit.Et ex pagina,aperti libri,intellexit ecſtaſis occaſionem. Cúmque per veſtiũ fimbrias trahens illum, deponere niteretur, nec vllo modo valeret, egreſſus cubiculum, feſtiuus cœpit quærere cœnobij Rectorem, fratrem Stephanum, vt ei quę viderat,nunciaret,ac tam miræ rei teſtem adhiberet, & cùm diutiùs quærendo,moraretur, fratrem Petrum Crutium, & fratrem Alphonſum Toletanum, ſibi occurrenteis eò deduxit: ſed virum Dei iam in ſella, iterum legentem repererunt.

Heic tum Pyrrhus, Non committam, inquit, noſter Choriphee,vt etiamſi iterũ, nimis curioſum me voces,quæ ſcire vehemen ter cupio vel importuna interrogatione, nõ extorqueam.Quare aperi quæſo nobis quid

de his libris quos beati Dionyſij commemo raſti, ipſe ſentias. Quod, inquam, de ſcriptis mirificis & pientiſſimis æquum eſt ſentire. Ludis, inquit, interrogationem meam, callida reſponſione. Nam intelligis me non id rogare, qualia ſcripta ea ſint, quæ & ipſe, procul dubio, ſuſpicio & admiror, ſed potius ad quem Dionyſium referenda eſſe arbitrêre, cùm & Laurentio Vallenſi, & Deſiderio Eraſmo, & multis benè eruditis hominibus (vt prætercam Philippum Lutheri diſcipulum) Areopagita ille non videatur, & ſint qui Apollinarium, ſint rurſus qui Dionyſiũ Corinthiorum epiſcopum, eorum auctorẽ faciant. Quid, inquam, opus eſt, poſt eos homines, iudicium, me meũ interponere? Viſne tu me Gallis odioſum reddere, nationi ad ſe vindicandum non minus inſtructæ, quàm promptę? maximè cùm pro ſe Budæũ ſuum id ſentientem habeant? En iſthoc, inquit, verbo præiudicium feciſti, nihil veritus Gallorum iras. Perge igitur etiam iudicium ferre. Nam Budæi teſtimonium graue alioqui futurum, parte magna eneruat excellens hominis in terram natalem amor, quem nonnunquam intra modum cupias retinere. Quandoquidem, inquam, vrges, vt fatear eſſe complura, quæ Apoſtolorum prę ſe

Quid de Dionyſij libris qui Areopagitæ aſcribũtur ſentiẽdum.

Quidã, libros Dionyſij Areopagitæ, illi ſubtrahunt.

tempora, vicinitatémque ferant, rurſus tamen multa, eius ſint generis, vt mihi aliquãdo, non magis Areopagitæ Dionyſij eſſe, libri iſti, viderentur, quàm diui Martialis, epiſtolæ duæ, nuper euulgatæ, altera ad Burdegalenſeis, ad Toloſates altera. Niſi quòd Dionyſiaci libri, vniuerſè, ſcriptoris ſunt grauiſſimi, & diuinorum conſultiſſimi: ſed adultam iam Chriſtianam religionem referentis: Nequaquam enim audiendus vllo modo eſt ὑσδρυμῶν ille ſingularis ferus vineam domini depaſcens Lutherus, qui in libris hiſce, nihil ſolidę eruditionis. ineſſe ebrius ſomniauit, neque Melanchthon, qui magiſtri mali inſiſtens veſtigiis, ventoſa loquacitate, & ſpiritus ſuperbia inflatus eos exauctorat. Sunt enim mira grauitate, uti dixi, conſcripti. Hæ verò epiſtolæ inſulſiſſimi ſunt nugatoris commentum. Sciebam, Ioannem Damaſcenum, virum pientiſſimũ, veluti Areopagitæ Dionyſij, diſcipuli Pauli libros hos, & citare & in ſententiis eſſe imitatum, in Apologetico, in quo venerandarũ imaginum, cauſam tuetur, teſtimonia inde ſumere. Sed cùm Damaſcenus, non admodum vetuſtus ſit auctor, nempe, qui per Leonis Iſauri tempora, neque in media Germanáque Græcia, ſed inter Damaſcenos vixe-

i. a Saltibus.

Epiſtolæ Martialis quæ ſunt in libris Dionyſij illius eſſe negantur.

rit Arabas, videbatur mihi vulgatam iam opinionē ſecutus, vti fecerat, in diſſipata vulgò fabula, de ſuſcitato ab inferis, Gregorij Magni precibus, Traiano. Nec item ex neotericis, me mouebat Michael Syngelus quidam Hieroſolymitanus, cuius meminit Suidas, obſcurus alioqui, neque, certæ notę, homo, multo etiam minus, Nicephorus Calliſtus, heſternus, vt ita dicam, ſcriptor, qui in ſuis rythmis inter eos, qui ſcriptis ornauerunt eccleſiam, Dionyſium Areopagitam primum recenſet, μέγας Διονύσιος, præſertim, cùm ex vetuſtioribus qui apud nos extent, nemo aut Areopagitam ſcripſiſſe teſtificetur, aut ſcriptorum ab eo, meminiſſet. Quod perquam mihi ſanè mirum videtur, neque mihi perſuadebat Suidas tantum potuiſſe Proclum, aut quemuis alium vt in vniuerſum libros occuleret, ad diuinum Timotheū ſcriptos, quaſi nō potuerit tātus Epiſcopus, tanti Epiſcopi & condiſcipuli ſcriptis, plus prodeſſe quàm obeſſe vel centum Procli, vel mille plagiarij philoſophi. Accedebat nonnullorum opinio de librorum auctore varia: cum ſint, vt dixiſti, qui Dionyſio, Corinthiēſi Epiſcopo, eos attribuāt, nec deſint, qui Apollinari. Quare arbitrabar ἀλλοτρίους & inter tot nomina ἀνωνύμους, dignos tamen

Verū ſint. D. Dionyſij Areopag. libri qui ſub eius nomine circunferuntur.

i. Dionyſium magnum.

i. ſtranos.

quos graues & intelligentes homines, non aſpernentur, ſed πάντη πάντως meritò legant & venerentur. Nam cum ſcripturam ipſam communi plauſu atque conſenſu, pij receperint, de auctore, non perinde fuiſſe ſollicitos exiſtimabam. Non enim multum referebat. Quod autem Dionyſio Corinthienſi tribuerentur, tantum aberat, vt diſpliceret, vt hoc ipſum maiorem, prope dicam, auctoritatem, illis faceret, quàm ſi ab Areopagita prodiiſſent. Siquidem Corinthienſis ille & ſanctitate, & apoſtolica doctrina, & eloquétia, concordi ſcriptorum teſtimonio, mirabilis fuiſſe, & non modo Corinthios ſuos, verùm orientaleis omneis eccleſias, epiſtolis erudijſſe perhibetur, & ad eos ſcribédos libros, propagata iam religione, ac plenius eccleſiaſtica re conſtituta, magis mihi videbatur idoneus, quàm Dionyſius Pauli diſcipulus, à naſcentis eccleſiæ, primordijs, inter ethnicos nondum Chriſtianis pacatos, nondũ religioni acquieſcẽteis, qui perſuaſi eſſẽt, epiſcopus. Hæc, Pyrrhe, mea erat olim ratio, precipuè impellentibus ad hanc ſententiam Valla atque Eraſmo, quos commemoraſti. Conſideratiùs tamen poſtea vetuſtatem indaganti, non ſatis firmæ eorum mihi rationes, videntur, qui ad alium ab Areopagita,

i. Vſque quaque.

Dionyſius Corinthienſis probatur non fuiſſe author librorum Dionyſij Areopagitæ.

cuius titulum præferunt, eos, parũ vehemẽti ac incerta ſuſpicione, transferunt, Primum, vt de Corintienſi Dionyſio prius dicam, libri ad Thimoteũ ſcripti ſunt. Non ergo eos ſcripſit Corinthienſis, qui longo poſt Timotheum interuallo claruit, nimirum. M. Antonini Veri, & L. Aurelij Commodi tẽporibus, vt præter Euſebiũ ait in catalogo Hieronymus. Deinde ſi eos Corienthienſis ſcripſiſſet, tanto poſt Thimotheũ tempore, quid fuiſſet cauſæ, ſuſpicemur, vt Timothei nomen & in Hierarchijs & in de diuinis nominibus libro, ementiretur? anne vt autoritatẽ libris faceret? atqui tanta, Corinthiẽſis Dionyſius, autoritate, in oriẽtali eccleſia pollebat, vt ante dixi, vt aliunde quàm à ſe ipſo, mutuari eam, opus illi nequaquam eſſet. Hæreticorũ, perinepta, vel fidei non bonæ, ſcripta imponere ſtudentiũ, eſt iſta ſolertia. At Corinthienſis ille catholicus doctor, & ſanctus epiſcopus cur falleret? cur libros ipſius titulo inſciberet? cur Timothei, olim defuncti, nomen effingeret? fuerint ſanè, qui ita aliquãdo, luſerint, ſed, vt dixi, hæretici, & qui ſub magnorum virorum nomine, fucum facere molirentur, certi, alioqui, ex perſona ſua, ſe nunquam perſuaſuros.

Is verò de quo maxima eſſet hominum opinio maximáque floreret ad perſuadendum & copia & auctoritate, ridiculus vtique videretur, ſi librum ederet, nomine alieno, ac non ſuo potius. Non ergo eorum auctor exiſtimandus eſt Corinthienſis. Apollinarẽ taceo. Nam cur libros tantæ eruditionis & orthodoxæ doctrinę, non orthodoxo homini adſcribamus? At eorum non meminerunt, priſci eccleſiæ Græcæ, doctores, non Hieronymus noſter. Quod argumentum magnũ putauit Eraſmus. Græcos admiror, quamquam alicubi reperio Dionyſium Alexandrinum, in Dionyſij Areopagitę opera, ſcholia edidiſſe. Quod autem ad Hieronymum attinet facilè reſpondebo, non omneis illum euoluiſſe, Græcię Bibliothecas. Per me igitur Pyrrhe, integer is celebris titulus permanebit, illorúmque auctor Dionyſius Areopagita, vt à multis piis hominibus iam olim creditus eſt, ita à me quod perhibetur, non quia Gallorum iras (vt antea tibi ioco dixeram) multum verear, qui libenter veritatem amplectentur vbique, ſed quod leuibus coniecturis, vt aliqui facere conſuenerunt, librorum inſcriptiones conuellere, mihi res per quam immodeſta videatur. Ad hæc Pyrrhus. Sanè iam ego contra te inſur-

Hos libro Dionyſi! Areopagi te eſſe concluditur.

gere decreueram mente, niſi in ſententiam iſtam communem eccleſiæ iuiſſes, quæ in rebus alicuius momenti, grauibus ſemper ducitur rationibus. Memini me etiam in antiqua hiſtoria manu ſcripta ex bibliothecis Gallicis ſancti Victorij, Pariſ. extra muros legiſſe, quod anno gratiæ octingenteſimo duodecimo, Michael Conſtantinopolitanus Imperator inter aliqua precioſa dona, quæ Ludouico, Caroli Magni filio, miſit, libri D. Dionyſij de cœleſti Hierarchia referuntur in Latina lingua nouiter traducti. Quibus Chriſtianiſſimus rex, ſupra modum fuit exhilaratus, ſubſequēti vero nocte, decem & nouem infirmos à variis langoribus oppreſſos, apud eccleſiam eiuſdem D. Dioniſij nomini dicatam, mirabiliter ſanatos eadem lectura teſtatur, quod magis vrget, eccleſia Oriētalis in eius feſto, inter alia preconia quibus eum colaudare conſueuit, vnum ex Græco traductum (nolo enim, nec audeo coram te Græciſare) tale eſt, numero 13. Mētis puritate, ſuper cœleſtium corruſcationes, & radios effūdere meruiſti, corúmque explanationem, ô Hierarcha Dionyſi. Non mihi, inquam, tua pietas nec ratio iſta diſplicet. Attamen ſi huiuſce quam retuliſti hiſtoriæ veritas omnino irrefagabilis eſſet, ex eadem nobis etiam

Hilduinus Abba S. Dion. in Epiſtola ad Carolum Pipini nepotē hoc affirmat.

conſtaret celebratiſſimũ illũ Pariſiorũ martirẽ,quẽ Galliarum Apoſtolum vocant,eſſe Areopagitã eundẽ diuini Pauli diſcipulum. Cum tamen de oppoſita opinione,nõ modicam generet ſuſpitionẽ, peruetuſti & grauis cuiuſdã authoris ſentẽtia. Et ſi forſan Galli hoc malè ferant, ſtomachũ egerant in ſuos, qui id ſcriptis poſteritati,tradiderũt. Diuus enim Gregorius Turonenſis Antiſtes, Gregorio Magno Romano pontifici,ætate æqualis, ſanctitate non diſſimilis,in hiſtoriarũ primo volumine,Criſtianorum perſecutionem (quæ ſub Decio fuit) enarrans,ita ait.Huius tempore,ſeptem presbiteri ordinati,ad prædicandum,in Gallias miſſi ſunt.Sicut hiſtoria ſãcti martyris Saturnini narrat:Ait enim ſub Decio Gratto.Coſſ.ſicut fideli recordatione retinetur. Primũ ac ſummũ,Tholoſana ciuitas S. Saturninũ, habere cœperat ſacerdotẽ. Hi ergo miſſi ſunt Turonicis,Gratianus epiſcopus,Arelatenſibus,Trophimus epiſcop⁹,Narbonę Paulus epiſcopus, Toloſę Saturninus epiſcopus, Pariſiacis Dioniſius epiſcopus,Aruernis Stremonius epiſcopus, Lemouicinis,Martialis eſt deſtinatus epiſc. De his vero beatus Dionyſius, Pariſiorum epiſcopus,diuerſis,pro Chriſti nomine effectus pœnis præſentẽ vitã,imminente gladio

finiuit. Saturninus verò iam ſecurus de martirio, quæ ſequebantur legere non potuit, eo quod literę pręciſę erãt. Subducite iam nũc annorum rationem, ab anno dominicæ natiuitatis quinquageſimo ſecundo, quo Euſebius, Dionyſium Areopagitam claruiſſe ſcribit, vſque ad annũ CCLIII. quo anno Decius cum Gratto conſulatum iniit, nimirum cõperietis interceſſiſſe, annos non minus ducẽtos. Tunc Egnatius, Ego, ait, eſto falcem medicas mittere in meſſam alienam, tibi non poſſum, non cõtra venire. Tu enim ſemper, tuis tenaciter adhæres antiquitatibus, in quibus aliquando ſcribarum in curia multa confundũtur. Ex eiuſdẽ in primis Gregorij Turon. teſtimoniis, tibi clarè demonſtrabo, Galliarũ apoſtolũ eſſe antiquũ illũ Areopgitã Pauli diſcipulũ, cuius hiſtoriã forſan integram non vidiſti cũ fatearis pręciis literis, de martyrio ſancti Saturnini, perlegere totũ periodũ nõ potuiſſe, cuius ſi placet, hic erat finis. Dicit duobus presbiteris ſuis. Ecce ego iã immolor & tẽpus meæ reſolutionis inſtati, rogo vt vſq; dũ debitũ finem impleã, à vobis penitus nõ relinquar. Vt igitur quod propoſueram cõfirmẽ, D. Gregorius Tur. libro primo, de gloria confeſſorũ, exẽplo 80. dicit Vrſinum epiſcopũ à diſcipulis Apoſtolorũ

in Bituringas miſſum, & tempore. D. Policarpi, Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli, ait etiam Photinum Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopum, cum quadraginta octo Chriſtianis, fuiſſe martirio coronatum. Ab Apoſtolorum etiam diſcipulis, Saturninum Epiſcopum aſſerit eſſe ordinatum, atque in vrbem Tolozanam deſtinatum, & Eutropium Epiſcopum à Clemente, in Sanctonas miſſum. Adonis etiam Archiepiſcopus Viennenſis, auctor non contemnendus, affirmat, eodem tempore, quo Paulus, poſtquam Romæ cuſtodiam carceris eſt paſſus, Hiſpaniã petẽs, Throphimum, Aarelatę, Viennæ Creſſentem diſcipulos ſuos ad predicandum Euangelium miſiſſe, ſiue pertrãſeundo reliquiſſe. Idem confirmat Epiphanius, hæreſi quinquageſima prima, & Sophronius, Imo & Philippum Apoſtolum, in Gallis etiam prędicaſſe, Euangelij ſorte ſibi commiſſa, aliqui affirmant inter quos Freculphus. Vnus eſt, in ſuis cronicis, capite ſeptuageſimo quinto. Scimus etiam, ſanctum maximinum cum Maria Magdalena, & Martha ſorore, tempore Apoſtolorum, in ciuitate Aquenſi, fidem Chriſti plantaſſe. Quomodo ergo, veriſimile erit, vt cum tota Galliarum regio, tempore fere Apoſtolorũ, fidei preconibus.

Epiſcopi & martirib⁹ repleta extiterit, & ſola Lutætia vſque ad conſulatū Decii & Gratti cum metropolis eſſet regni, ſine fidei luce permāſerit. Recordor etiam veſtrum Breuiarium à doctis patribus mature(vt credo) ordinatum, quin potius & Romanum hoc idem affirmare, nempe diuum Dyoniſium, Areopagitam, à Clemente maximo Pontifice, Pariſiorū Epiſcopum fuiſſe inſtitutum, Eccleſiæ Athenienſi antea de paſtore benè prouiſa, quem fuiſſe Publium opinor Hieronimus enim libro de viris Illuſtribus primitiuæ eccleſiæ, ſtatim poſt Ignatiū & Policarpum relatos. Quadratum Apoſtolorum diſcipulum, Epiſcopum nominat in eccleſia Athenienſi ſuffectum, Publio antea iam prædeceſſore ſuo, ob Chriſti fidem con feſſam martirio coronato, nulla de. D. Dionyſio mentione facta, tāquam doctore iam ad Græcos non pertinente vel apud Græcos non inuenta illius memoria nec etiam in Bibliothecis quas viderat. Saltem quoad vltimā, ſui ſeculi ætatem, ex primo tēpore quo Athenienſem eccleſiā gubernare cœperat: multa ſatis teſtimonia Græcorū extāt. Item Igniarius Remenſis Epiſcopus & Ioannes Scotus ambo in Epiſtolis ſuis ad Carolum miſſis, conſtanter affirmant, Apoſtolum

Tempora Adriani.

Galliarum, Pauli fuiſſe diſcipulum D. Dionyſium. Non eſt igitur dubitandum, quod lapſus calami D. Gregorio Turonenſi vel ſuo ſcribæ in hac parte contingerit, & loco Decij apponēdum eſſe Domitiani & ſocij eius, quorum tempore paſſus eſt diuinus Areopagita; ne ipſe ſibi cōtradicere & veritati ſe opponere videatur vel potius, vt placet Hilduino antiquiſſimo abbati D. Dionyſij ex Petro Abaliardo (qui de hac controuerſia aliquando fuerunt conſulti) D. Gregorius Turonenſis quæ tibi ſcribebat ſine delectu ab aliis narrabātur: ſancta ductus pietate, vnde ſua multum authoritas, in hac re ſaltem communi opinioni nocere non poteſt. Magis forſan Innocentij 3. literæ ann. 1215. cum quibus, tempore Romani cuiuſdā concilij abbati & conuentui ſancti Dionyſij directis quaſdam ſacris reliquiis miſit, à Conſtātinopoli vrbe aſportatas. Sed tamen cùm ipſi etiam Græci apud Latinos hunc confitentur eſſe theſaurum, hoc nobis ſat eſt. Optimè, inquit, Pyrrhus noſter Egnatius, Gallis ſuum defenſauit Apoſtolum. Et ego etiam ſalua tua pace. Magiſter libenter eo in ſententiam eius. In eodem enim libro de quo nunc meminerat, ſi benè recordor. refertur etiam quēdam Arelatenſem epiſcopum,

eidem Dionyſio contemporaneum, nomine Regulum ſacram celebraret Miſſam,& in canone, vbi principum apoſtolorum nomina ſic recenſentur:& beatis apoſtolis tuis,Petro & Paulo caſu addidiſſe: & beatis martyribus tuis Dioniſio Ruſtico & Eleuterio. In ſe autem reuerſus,cogitabat enim eos adhuc viuere totus tremefactus, quid illud portendere vellet conſiderans,& ecce ſubitò in cruce quę coram in altari erat tres candidas colūbas proſpexit,ex quarum conſpectu & viſione,illos ad dominum migraſſe cognouit. Quàre hac veritate piè & rationabiliter ſuppoſita, incœptum ſermonem proſequaris oro . Satis tunc, inquam ego, & perbellè ambo vos , meum contra me retorſiſtis argumentum.Et forſan me exanimem redderetis,ſi vltra,ita audax vt inermis in certamine vellē perſiſtere.Ita ſanè inquiunt.Sedſcin tu,ait Egnatius,quā magno tuo cōmodo euenitvt vel Rauiſius Textor vel Boletus in viuis eſſe deſierint ? Tace tu,inquā qui ſemper facetias garris. Ego vero,inquit ille,& taceo & auſculto. Seriò & ex animo doluit frater iſte Petrus,quòd admirando illo ſpectaculo caruiſſet,ſuæque indignitati eā inſœlicitatē imputabat:proceſſu tamē tēporis,dat⁹ in ſociū , ſācto viro,ſimile quiddā videre meruit,

Erat domicilio viri Dei contiguus hortulus, altis parietibus circumſeptus, quem illi rex (nam in magno apud illum honore, & in magna habebatur reuerentia) ædificari & plãtari fecerat, vt vel relaxãdi animi, & quietius contemplandi cauſa illò Ægidius comearet. Ergo poſt veſpertinã ſynaxim quã receptus eccleſiarum vſus, completoriũ appellat, prędictus frater Petrus, in templo poſt orationem pauliſper remanſit, & veniens ad cubiculum viri Dei ipſum in hortulo ſub dio ac in aëre pendentẽ, inuenit iũctis ante faciẽ manibus & ſurſum erectis: quem ita conſpicatus, ac fruſtra anxius ne caderet, adiit concitum fratrem Marcum Martinium cœnobij ſuppræfectum, & relatis quæ viderat, ſecum illum aduxit, vt deificati hominis ſpeciem contemplaretur, ſimul vt iuuaret ſacrum illud, ſine ſenſibus corpus, in lectulo conlocare. Igitur vterque ex vtróque latere, huc & illuc impellentes, ægré tandẽ mouere potuerunt. Quare nihildum ſentientem, per pedes & caput, quo valuerunt modo trahentes, ad lectulum deduxerunt, ac detractis calceis, cum Ieſu dilecto quieſcere ſiuerunt.

B. Ægidius nominis Ieſu deuotiſsim⁹.

Quoties dulciſſimum Ieſu nomen, nominari ab alijs audiret, aut nominaret ipſe, quod ſolitus erat frequentiſſimè, incredibile dictu eſt,

dictu eſt, quam tota eius anima liquefiebat. Ergo cùm ex more viſitaret locum vbi ægroti procurantur, monachi vocant infirmariã, aut ſi vobis non diſplicet: nos valetudinariũ, νοσοκομεῖον aut νοσοτροφεῖον Græce dicamus percurſis omnibus, tam ex arte medecinæ (conſummatus enim erat medicus, vt priore ſermone oſtenſum eſt) quàm ex promptuario ſpiritali, aliis ægrotationem, aliis ægritudinem etiam leuaret, accedit cuidam fratri Martino Oliſiponẽſi, quẽ ab exaſperato morbo vrgeri acriùs animaduertit. Atque inter conſolatoria verba (nam ſingularem ei contulerat gratiam Deus, in affectis aut dolore, aut mœrore animis ad tolerãtiã & ęquanimitatem excitandis) contigit, vt ægrotus vehementia doloris, O Ieſu, diceret gemebundus. Cõuerſus ad illũ Ægidius, ſciſne, inquit, frater, quàm dulce nomen protuleris, Ieſu, Ieſu Ieſu? Et hæc dicens ſurrexit, ac ſtans baculum quem manu geſtabat, cubito ſuppoſuit. Tum Ieſu nomen iterare non ceſſans, coram omnibus qui aderant in tantam mentis abſtractionem eſt raptus, vt nec impulſiones, nec attractiones vllas vel minimùm ſentiret. Tum Egnatius, quantum, inquit auidius, blandius, ac minus barbarum, ſalutare hoc nomen eſſe iudicabat Ægidius, quàm pleri-

i. Locum, vbi ægroti aluntur

Ægidius audito nomine Ieſu in extaſim rapitur.

quæ ætatis noſtræ Italorum poëtarum, qui propter peregrinitatem, vt ipſi fingunt, ſedu lò cauent, ne in ſuis vnquam carminibus Ieſu nomen inueniatur, aut quoties id vſus expoſtulet, circumitione potius vtantur. Prô Chriſte maxime! ait Pyrrrhus, nunc ego demū intelligo, quid ſibi velint carmina quædam tua, in catalogo poëtarum.

Itali poetæ nomen Ieſu à ſuis carminibus reiiciũt.

Ite procul quibus eſt odio, venerabile Chriſti
Nomen, & in verſu ſubformidatis Ieſum
Ponere, mentiti cauſas, peregrináque verba.

Sanè, inquam. Arbitrãtur enim peregrinitatis oſores iſti protinus, ſi id auſi fuerint, vim omnem ac maieſtatem poëticam, ſimul conlapſuram. Cui credo malo vt mederetur Chriſtophorus Lõgolius, tametſi nõ poëta, contra Lutherum diſputãs, nouo cõmento, barbariem nominis huius ſe mitigaturũ ſperauit. Nam ſpreta declinãdi ratione, qua vſi hactenus ſunt ſanctiſſimi doctiſſimíq; patres tã græci, quã Latini, ea formula qua declinatur aut Demoſthenes, aut Ariſtoteles, eadẽ ipſe IESVIS dixit & IESVES in interrogãdi caſu, deinde in tertio IESVI, in quarto IESVEM; IESVE demum in ſexto. Idque ne falſò me illi obijcere arbitremini, en vobis exẽplar, orationis eius, Romæ typis excuſum, ꝙ villatica heic biblio thecula fortè habeo iã proferã,

tametſi poſt Lõgolij mortẽ vel ab amicis ven toſiſſima iſta affectione offenſis, vel à typographo ſæui ore conſilio in veterem formam immutatũ iam video. Euge, Lõgoli, ait Egnatius. Meritò ergo te ciuitate donauit S. P. Q. R. Quiritiũ, ideſt adoleſcẽtulorũ neſcio quot priſcam illam Romam ſomniantium. Facetè tu quidẽ, inquam, Egnati. Sed redeamus ad Ægidium, qui à Paulo didicerat de Ieſu crucifixi nomine gloriari, cui cœleſtiũ, terreſtriúmque, & infernorum genua flecti non dubitabat. Erat in eodem Scallabitano cœnobio quidam frater Vincẽtius Oliſiponenſis, medicinæ artis peritiſſimus; regius enim medicus fuerat, qui adduci nequaquã poterat, vt crederet hæc quæ de viro ſanctiſſimo narrabantur. Manente illo igitur adhuc in eo mentis exceſſu, quem modò expoſuimus, Vincentius feſtinanter eò eſt aduocatus. Venit, vidit, & parum ſuis fidens oculis, baculũ cui vir ſãct⁹ inniti videbatur, velociter illi ſubtraxit, ſperãs ſubtracto illo, ſubitó ruiturũ: ſed cũ eodẽ corporis ſtatu permãſiſſe admiraretur, impellere cœpit, hinc inde & apprehẽſas nareis cõuellere, nõdũ à fœlici ſõno euigilãtis. Inde arrepta acu manus beati viri crebrò & vehementer pupugit, non

probantibus qui aderant, huiuſmodi durita tem. At ille ex contumaci ſæuior effectus, accenſam candelam adhibens, digitos adurebat, nihil omnino ſentienti. Tum demum poſt tam ſæuam experientiam, pręfractus ille animus adquieuit, & pœnitentia facti periculi, durius multum ſe cœpit redarguere.

Lerena ciuitas. Quodam tempore, cùm pergens Conimbrigam deueniſſet, Lerenam, quod oppidum æquis ferè ſpatiis Scallabi diſtat & Conimbriga, diuertit apud nobilem, & religioſam matronam Pichenam nomine: cúmque ad ſolis occaſum cubiculũ ingreſſus, in ſponda lecti ſedens aliquantulum meditaretur: ecce derepenté tam vehementer abſorptus eſt, vt à terra eleuatus, nullo ſuſtentante, penderet immobilis. Quod cernens ſocius eius, frater Andreas Petreius Scallabitanus, harum inſolẽs rerũ adcita matrona & familiaribus domus, aliquot fruſtrà impulſionibus & attractionibus illũ nitebatur deponere. Nõ enim modò moueri de loco non potuit, ſed nec etiam vel leuiter inclinari. Quod vbi innotuit uiciniæ, tanta ſubitò accurrit multitudo, vt cùm neque cubiculum neque ianuæ turbam caperent, tectum ipſum effractum detectúmque ſit à tam miræ rei videndæ, ſtudioſis. Atque eo ſic ad multum iam no-

ctis perdurante, qui ſpectatum aduenerant, partim exorati, partim inrepente iam ſomno admoniti, domum quiſque ſuam ſe receperunt. Poſtea verò quàm ille euigilans, à ſocio reſciuit quod ſibi contigiſſet, ingenuo magis, quàm neceſſario pudore multũ doluit, ſe à vulgo deprehenſum, & cauens ne vel minima ſubreperet humanæ laudis dulcedo, ſi exorta die videndi ſui copiam faceret, ſtatim de tertia vigilia nocte adhuc concubia diſceſſit. Cauca vrbs eſt citerioris Hiſpaniæ, quàm poſteriores, pinguiori appellatione Conquam dixerunt: ad hanc cùm beatus pater Ægidius tũc Rector prouincialis, exigente officio, deueniſſet, & poſtridie in ciuitate verbum Dei proponeret prædicare, initio noctis accepta ab hoſpite Petro Garcia cañdela, ad ſtudendum, cubiculum eſt ingreſſus, & Paululum meditabundus, vt ſolent in proximo concionaturi, inuentionis vtique, aut firmandæ memoriæ cauſa, obambulauit. Inde lecto adcliuis, cùm ſe lectioni dediſſet, ex intentiori diuinarum rerum meditatione, præſenſit animæ vim ſenſim ad diuinitatem contemplandam ſibi euocari. Propterea ne à quoquam videretur, protenſo brachio, candelam in pauimento ſub lecto poſuit, ſed negligentius, cùm ſtra-

Cauca ciuitas Hiſpaniæ quã nunc Conquam dicimus.

giore mora grauarentur qui aderant, cùm penè prandendi hora præterita ob reuerentiam expectarent. Similem abſtractionem paſſus eſt in Parthenone Arocenſi, inſtituti Ciſterciẽſis pręſenti toto monachorum cœtu, gaudentium & mirantium rem tam inſolitam. Similem etiam Scallabi, cùm aliquando fratrem Bartholomæũ Petreum, fratrem Matthęum, fratrem Ioannem Dominicum, fratrem Matthæum Gaudinum, qui ex ſęculari nobilitate conuenerant, nonnullóſque alios adhuc in religione & religioſa conuerſatione nouicios doceret, ac de diuinis inſtrueret, Nam inter verba vehementi diuinorum deſiderio correptus ad inſolitam rei faciem attonitos diu moratus eſt: tandem poſt longam expectationem, obdormiuiſſe rati, diſceſſerunt.

Si verò vt antea groſſam patrum noſtrorum Mineruam audire non graueris auſculta. Frater quidam (refertur ſic in lib. vitæ fra trũdicto) qui ſocius eius in vita fuerat, dixit Magiſtro Vmberto, quod ipſum aliquando viderat in via ſedentem, ſubitò raptum in ſpiritu non attendentẽ exteriora & poſt redeuntẽ ad ſe cum multo gemitu, quaſi dolens de eo quod ab illis ſupernis & internis illuminationibus abſtrahebatur.

Ipſe etiā ſanctus pater, adhuc viuens, ſcripſit de Hiſpania eidem Magiſtro, quod erat quædam lux intrinſeca, qua etiam in hac vita illuminātur corda Sanctorū; ſicut exteriores oculi exteriore luce, & de hoc cert⁹ eſſet quod non aſſereret ſic niſi fuiſſet expertus.

In cœnobio Scallabitano, antequam inter mortaleis eſſe deſiiſſet, annis ferè viginti, cùm die quadam in odeio ſiue choro eſſet monachorum, & poſt ſanctifici corporis Chriſti ſolemne ſacrificium, familiarem illā in Deum ſpiritus attractionem inſtare præſentiret, quodam quaſi impetu eſt egreſſus vt locum magis accommodum quęreret, in quo ab irruente in ſe diuina vi, ex hominum conſpectu ſecretius & ſine interpellatoribus occuparetur. Itaque cùm ſacrarum veſtium, & reliquiæ templaris ſupellectilis reconditorium, ſacriſtiam cœnobitæ vocant, adire inſtitiſſet foreiſque inueniſſet occluſas, ſedili ianuæ coniuncto incubuit, totus iam penè abſorptus. Erat è regione oſtiolum ad pronum, & in eius foribus feneſtella reticulata, vt ibi ab iis qui in templo eſſent, æditiuus oſtiolo clauſo, de iis quæ muneris ſui eſſent, honeſtius poſſet conueniri. Accidit autem in eo ipſo articulo Eluiram Durandam, lectiſſimam & religioſam fœminam ſiue caſu,

Alia b. Ægidij à ſenſibus abſtractis memora- [illegible]

ſiue vt aliquid ædituo mandaret, ſiue diuina id agente voluntate, oſtiolo accedere, & per feneſtellã quod beato viro contigerat, conſpicari. Quare religioſa curioſitate mota attentius inſpectare cœpit, quonam res illa deueniret. Ecce autem columna ſplendidiſſimæ lucis in Ægidiũ deſcendit, quæ ita totum eius corpus viſibiliter penetrans conluſtrauit: vt non aliter quàm chryſtallũ puriſſimũ, ſolari perſtrictum luce, radiaret. Perſtitit mulier ſtupefacta, donec poſt duas fermè horas paulatim diſceſſit lux, & euigilauit Ægidius magno emiſſo gemitu, ſicut facere conſueuerat, quoties à ſomno contemplationis excitabatur. Ac ſurgens vt abiret, cœpit tanquam cæcus palpare parietem. Quod etiam illi ſemper eueniebat, lõgiuſculo poſt diuinas has ecſtaſeis ſpatio, veluti contingere ſolet iis, qui ab ſplendidiſſima & perſpicua ſolis luce, tenebroſum locum aliquem ingrediuntur. Intellexit prudẽs fœmina, nõ fruſtra ſibi quaſi otioſæ ſpectatrici, oſtenſum eſſe diuini præmij arrhabonem illum. Atque ideo tametſi in caſtiſſimo viueret cœlibatu, ſpreto ſæculo & mutato, quod ætatis reliquum fuit, in arctius vitæ inſtitutum, vigiliis, media & aſſidua carnis, maceratione, reliquiſq; charitatis operibus Ægidiũ ſata-

relicta ſponſa (deſpōſatus enim erat) deduxit prius, & deniq; à Cæſarauguſtano cœno bio ad Scallabitanū trāſtulit,vbi tandē & obiit, & ſepultus eſt multis editis clarus & inſignis miraculis.Quandoquidē, ait Pyrrhus cœpiſti Scallabim illuſtrare, nō ab re fuerit M.etiā Bernardū hūc notiorē reddere, & in ſuper Dominicū illū Cubenſēm,de quo ſupra mētionē feciſti.Iſthuc inquā, nō eſt mei hodie inſtituti. Attamē ne me omnino inexorabilē dicas, vnū ſuperaddā de illo verbū. Bernard⁹ hic cōuētus noſtriScalabitani aliquādiu fuit ędituus,atq; inſtituti ſui minime oblitus,charitatē proximi nō obliuioni tradēsquô vires protēdebātur ſuę,illā fouebat. Puerulos enim ad eccleſiā cōfluēteis, cauſa audiēdi ſacrū,humiliter catechiſabat.Illorū verò innocēti pueritia,& ſimplicitate vt fertur,delectat⁹,ille qui dixerat ante,ſinite paruulos ad me venire,taliū eſt enim regnū cœlorū,præuia quadā reuelatiōe in feſto Aſcēſiōis,vt ab eo eflagitauerāt,poſt miſſarū vltima ſolēni, duos ex illis ſelectos huic miſſæ, actu īſeruiētes ſimul cū magiſtro celebrāte ad ſe fœliciter euocauit.Qn̄ aūt cœnobitarū conuētus poſt refectionē,pro gratiarū actione, ad eccleſiā redibat Magiſtrū ſacris veſtibus indutū cū accolitis illis innocētiſſimis, propè altare in Dn̄o dormiētes offenderūt.

Annovero 1577 cũ in eodẽ pariete in quo hic D. pater Bernardus cum diſcipulis, erat à ſæculo immemorabili ſepultus, neceſſe eſſet, portam quandam conſtruere, ſacræ illorum reliquiæ, nõ ſine magna proſpectantiũ deuotione ſunt repertæ. Magiſtri cineres ſacri, in quodam ſeorſim linteamine erant appoſitæ, innocentum verò illorum, in alio ſimili, carne virginea in aliqua oſſium parte ita corruſcante, niuea ſindonis mundicie, vt reſurrectionis immortalis iam in mortuo cadauere ſpeciem præberet. Hæc tãtum in tui gratiam dicta, ſufficiant. Quia nunc vna me cura habet ſolicitum, promiſſum de Ægidio ac propterea debitum ſermonem abſoluere.

Grauis hæc ſarcina humani corporis cùm hæreditario originis vitio in non paucis rebus aliis nobis multum incommodauerit, in hac certè cum primis nocet, quòd quandiu in tenebroſo hoc carnis domicilio includitur & continetur anima, non modò mentis acies, offuſa quadam caligine, deprimitur, verum corporeus ipſe etiam obtutus, à rebus diuinioribus prohibetur. Etſi enim ſubobſcurè concipi ac intelligi aliqua tenus maieſtas illa poteſt, fragili tamen ſenſu conſpici, vllo modo non poteſt, Purgatioribus tamen mentibus, vti ampliorem ſui notio-

nem atque intelligētiam Deus ſemper indidit ac conſignauit, ita & iis qui excellenti animi virtute innocentiáque fuerunt prædi-ti, quíue abſtinētia omni & continētia corpus adeò attenuarunt, vt omnino ſpiritus imperio regeretur ſæpè aliqua mortalibus oculis conſpicua forma ſeſe, alioqui inuiſibilis,non eſt dedignatus oſtendere. Sæpè iiſdem inconcretas & incontrectabiles ſubſtantias quas, ſacrarum ſcripturarum more, angelos appellamus, videre, alloqui,& contrectare donatū eſt.Cuius diuini muneris incapacia ſunt,largior cibus & crapula,& vitę impuritas. Cùm igitur noſter Ægidius adhuc in corpore quaſi extra corpus iam ageret, cœleſtia frequenter illi obiecta ſunt viſa, etiam vigilanti & ſeparatas illas à noſtro conſpectu menteis, ipſis corporeis oculis nonnunquam vidit. In cœnobio Oliſiponenſi, cum die quadam, per meridianam quietem in lecto iaceret ſupinus, ſubiatis in cœlum oculis Ieſum ſeruatorem noſtrum, inlibatam virginem, eius matrem ſibi ſuper eminenteis conſpexit,& ſubitò tam ingenti affectus eſt gaudio,vt vir,alioqui ſæueritatis admirandæ, in effuſum riſum ſolueretur, ac ſubinde manus comploderet immenſo iubilo.Denique protendens ſurſum manus,in

has etiam voces geſtibundus erupit, O mi Ieſu! ô dulciſſime Ieſu! ô in ipſo corde ſcribẽde ac geſtande Ieſu! O Maria pijſſima, pijſſimi Domini mei mater! ô ſanctiſſima Dei genitrix! ô virgo glorioſiſſima, terræ cæliquе regina, quas miſer ego homuncio vobis gratias agam? Hæc cùm ita ſecum exultans replicaret, defixis in tectum oculis, ſocius eius frater Petrus, qui ſeorſum cubabat, rei nouitate pauefactus accurrit, & ſimplici animo quærens, Quid, inquit, rei eſt, pater Ægidi, quòd ita rides, plaudis, geſtis, & loqueris? quidquámne vides? Et ille, Abi frater, & dormi, quid ad te? ſic increpitus receſsit, nec auſus eſt amplius interrogare. Ex verbis tamen quæ audierat, pro comperto habuit id quod res erat, ob pijſsimi Ieſu, & ſuper benedictæ virginis præſentiam interno externóque illo gaudio exultaſſe.

Filiam habuit Rex Sancius, Sanciam nomine, non minus cæteris virtutibus, quàm deuota Chriſto virginitate illuſtrem. Cuius, etſi vitæ ſanctitas & innocentia, erat percelebris, ea tamen modeſtia ac propè animi demiſsione fuit, vt ſi quos religio & virtus commendaret, eos non tãtùm miro affectu coleret, vt pios diligeret vt patres, ſed etiam ſuſciperet vt à Chriſto miſſos, ſuſpiceret &

veneraretur vt Dominos. Talem ſe exhibuerat erga beatos illos, ſanctiſsimi patris Franciſci, diſcipulos, qui poſtea in Africa martyres effecti ſunt, talem ſe etiam Ægidio noſtro prębebat, cui tantum ſemper honorē habuit, vt non modò venienti aſſurgeret, verùm etiā poſitis genibus ſuppliciter illi procumberet, addens protinus. Benè precare mihi pater, benedic mihi pater, ora Deū pro me pater. Hæc poſteaquàm ad cæleſtis ſpōſi nuptias ex hac vita migrauit, quaſi cum Ægidio certare adhuc vellet beneficijs, leuiter dormitanti, nec dum ſopito, apparuit, & in amplexum deſcendit, ad ipſius iam præſentiam vigilātis. Turbatus aliquantulū à principio eſt Ægidius, ſed mox vt illam agnouit, Ecquid, ait, ô Sancia, rectène vales? Ego verò, inquit illa, Chriſti gratia, & precationibus tuis, ô amice, rectiſsimè valeo, Pax tibi: & faciem illius oſculata diſceſsit, tantā vim habuit virginalis cōgreſſus ille, & allocutio hæc fœminæ iam factæ immortalis, vt motū omnem rebellantis carnis non iam in mente, vnde etiam olim affectus is exſulabat, ſed ne vel leuiter quidem in corpore, multo poſtea tempore ſenſerit Ægidius: quemadmodum ipſemet ſecreto retulit fratri Bartholomæo ſocio ſuo, viro religioſo, & fide digno, qui hoc poſt eius obitum enarrauit.

D. Sancia regis Sācij filia iam vita functa B. Ægidio apparet.

Oliſipone in cœnobio regularium ſacerdotum diui Auguſtini, vixit illo tempore conſpicuæ ſanctitatis vir, Conſaluus Menendius, qui à pueritia Deo dicatus, cùm annos plurimos innocentiſſimè vitam egiſſet, meritis exigentibus, cœnobiarcha factus eſt. In qua adminiſtratione cùm neque potentia, neque prauis cupiditatibus vllis efferretur, more eorum qui, honoribus ad voluptateis & ſuperbiam abutuntur, ſed potius ſeſe componens, vt indies melior ſanctiórque euaderet, tãdem poſt quadraginta annorum curriculum quibus in ſanctæ conuerſationis ſtadio deſudauerat, ad palmam cœleſtem vocatus eſt. In hora obitus eius contigit virum Dei Ægidium, in cœnobio Scallabitano ſacris altaribus operari, & ecce in ſubitam mentis abſtractionem raptus vidit, Conſalui à nobis modò memorati animam, terrena mole iam depoſita fulgentiſſima luce radiantem, per immenſi aëris huius ſpatia angelorum manibus ſurſum ferri, Quo viſo mirum in modum voluptate affectus, poſteaquam in illo raptu, immoratus aliquandiu fuerat rediit ad ſe, nec præ gaudij magnitudine, riſum poterat continere, Rector cœnobitarum, qui ad raptum eius videndum, ab æditu fuerat aduocatus, cùm

& contra ſuauitatis ſuæ morem, & cõtra raptuum aliorum conſuetudinem, poſt quos crebra ſemper ſuſpiria & gemitus, exaudiri ſolere, ſuprà commemorauimus, cum modò riſiſſe admiraretur, peracto ſacrificio illum non modò obnixè rogãdo, verũ etiam ex auctoritate interrogando vrgebat, vt cauſam intempeſtiui riſus indicaret. Tum ille ſimplici animo retulit quod viderat, & notata hora, compertum eſt eadem virum illum Deo charum, ex hac vita migraſſe. Is qui ante nos ſancti viri vitam conſcripſit, ait, ſe à Martino eccleſiæ Oliſiponenſis archidiacono, viro doctiſſimo, & in dictis ac factis, optimæ ſpectatiſſimæque fidei, hoc audiuiſſe, in frequenti ſacerdotum & multorum aliorũ hominum corona, rem ita ſe habuiſſe, confirmante.

Cœnobium Scallabitanum ſicut antiquitate & conditoribus illuſtre eſt, ita ſanctiſſimorum olim patrum frequentia tam gloriari potuit, quàm quod vbique terrarum maximè. Inter hos igitur, cùm venerabili patri Dominico Alfonſio, ipſius cœnobij supprę- fecto, poſt emeritũ religioſæ militię curſum, extrema vitæ hora inſtaret, & ad illum monachi concurriſſent, ac iuxta morem litania perageretur, cam rem ſanctus pater Ægi- *Cœnobiũ Scallabitanũ D. Dominici illuſtribus viris refertum olim.*

dius,& quod noctu de-repente accidiſſet, & quòd ipſe lõgiùs ſeparatum haberet cubiculum,ignorabat. Ecce autem cubãti apparuit religioſiſſimus pater Dominicus Comeſius, eiuſdem cœnobij olim præfectus, iam defunctus,cuius etiam dum ſancta & recens erat memoria, & apprehenſo brachio viri Dei, clamoribus illum excitauit,atque vt ocyus,νοσοτροφεῖον pergeret,admonuit,ſupp ræfectum enim animam iam agere, & cunctis ibi fratribus congregatis, eum ſolum abeſſe quem ille potiſſimùm adeſſe cupiebat. Corripuit ſe è ſtrato Ægidius, & inclamato miniſtro,Matthæe,inquit, ſurge feſtinus, & eamus ad ſupræfectum, qui nos,ſtatim moriturus,præſtolatur. Et miniſter, benè ominare, pater. Non moritur. Et ille, bene, inquit, ominor, quoniam ad Chriſtũ migrat: & vt eo protinus properarẽ,hortatus eſt frater Dñicus Comeſi⁹ qui modò ad me venit. Euntes igitur ita inuenerũt, vt in viſione illi fuerat oſtenſum.Vbi itaque Ægidius, ſupremo dicto vale,diuorũ pacẽ morieñti Chriſtiano more, eſſet precatus, reſpondentibus qui aderant,Amen, ille animam exhalauit.

Infirmorũ eſt locus.

Exẽp. 48. Vſq; eò gradũ promouerat Aegidius,vt nõ modo diuina hęc illi viſa familiariter cõmunicarentur, ſed etiã horrẽdas formas ac ira

gines, quibus ei dæmones inſultare nitebantur quibuſque diu afflictus initio fuerat, iam omnino fiducia magna contemneret. Cùm prouinciã Hiſpaniam regeret, & à Cæſaraugusta (quò loci ad prouincialẽ conuentum agendũ profectus erat) in Luſitaniã rediret cũ ſocio itineris fratre Andræa medico, dies aliquot in Zamorenſi cœnobio ſubſtitit, partim officij, partim affectę aliquantulũ ex itinere valetudinis gratia. Ibi cùm ſolus iñ valetudinario ſederet, lectioni ac meditationi otium illud ſolitariũ more ſuo impendens, ſurrexit ſubitò, & arreptũ vtraque manu palliũ, cœpit dextrorſum læuorſúmq; vehementer ventilando motare, tãquam importunas muſcas, linteo quopiam abigeret. Superuenit interea ſocius, & admirãs caſſum illũ opinione ſua laborẽ, eo ꝙ locus à muſcis vacu' oĩno videbatur. Quid eſt, inqt, Pater, ꝙ te ad iſtum modũ fatigas? Et ille, nõ vides, ait, ꝗ multi dæmones cõuenêre, qui me geſtibus deridẽt, inhoneſtísq; dictis ĩpetunt? Ego verò eadẽ in illos maledicta retorquẽs, hinc abigere ꝓcaces & excludere vi ſatago. Hoc ta cõtigiſſe, idẽ F. Andreas poſtmodũ cõſtãtiſſimè, cũ referret is qui ãte nos hic ſcriptis mãdauit, ſe audiuiſſe ab eo ꝓ certo aſſeuerat. Nec latuiſſe Ægidiũ nr̃m multa ꝗ qſq; apud

Dæmones b. Ægidiũ ſuis ajaritionibus fatigant.

ſe tanquam maximè ſecreta & nullis facta arbitris conſeruaret, inter ſancti fratris Bernardi miracula ſcriptum reperi, certò præſciuiſſe illum futura, vel ex præcognitis, aduerſus nouitium quendam dæmonis inſidijs, quas referemus, cùm de efficacia orationis paulo inferius agetur, vel exẽplo quod modò ſubijciam, probari poteſt. Non ignorare vos arbitror, Sanctium hoc nomine poſteriorem, virum ſanè non malum, regem fuiſſe non bonum: quod cùm dico nequaquam tyrannum quempiam intelligatis: (neque enim ſuopte ingenio talis erat) ſed ab optimis regni auſpicijs, non ſine veneficij ſuſpicione, in tantam animi puſillanimitatem ſocordiámque prolapſum, vt palatinis quibuſdã quos, ad potentiam plus iuſto nimiam euexerat, addictus, arbitrio eorum & libidine quaſi ex præſcripto cuncta gereret, nulla boni aut æqui habita ratione, nulla iuſtitiæ adminiſtrandæ cura. Eo, poſteaquam ad Luſitanæ reip. conqueſtiones crebras Honorius. III. & poſt eum Gregorius IX. & innocẽtius, ſummi pontifices admonendo, nihil proficiebant, neceſſe fuit in Lugdunenſi concilio, deſtinato adiutore ac ſucceſſore, lacerato & conlabenti regno conſulere, ſicut ex hiſtorijs noſtris, & ex rubrica illa de ſupplẽda ne-

B. Agidius ſpiritu prophetiæ claruit.

gligentia prælatorum,cap. Grandi,in ſexto, ſcire potuiſtis.In his cùm à legatis & epiſcopis Ægidio eſſet imperatũ,vt priuatim priùs, mox etiam publicè in concionibus pontificias litteras euulgaret, quidam Martinus Rool,ex ijs qui adulationibus & praua conſulendo regiæ facilitati inluſerant, ſæuiter in virum ſanctum, contumelijs iaciendis exarſit.Silentio & patientia impetum ad vlteriora progreſſuri fregit vir beatus. Ac conuerſus ad fratrem Andream medicum, qui illi comes aderat,Crede,inquit,mihi frater,homini huic teterrimus atque violentus inſtat exitus, quem propediem non effugiet, nec longo poſt temporis interuallo, homo ille iuſſu Regis actus in patibulum, laqueo fractis ceruicibus,interijt.

Diligentibus Deum,omnia in bonum cedere,teſtatur Paulus, ijs videlicet qui ſecundùm Dei ipſius propoſitum vocati ſunt ſancti.Nam quos præſciuit,inquit, & prædeſtinauit, cõformes fieri imaginis filij ſui.Quos autem prædeſtinauit,hos & vocauit,& quos vocauit,hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit,hos & magnificauit,in genere locutus eſt Apoſtolus: ſed ſi erga Ægidium noſtrũ Dei propoſitum diſpenſationémque animo attentiore penſitemus, nõ facilè occurret, vbi

abſtinentiæ conſuetæ rigorem, imbecilliori erat corpore,laſſitudine magis,quàm inedia præmebatur. Conſulebat igitur,vt ad vicinũ vicum, quamquam parum frequentem, deflecterẽt,vbi oſtiatim mendicato cibo paulũ à fatigatione interquieſcerẽt. Cõtrà ſocius, quòd & habitior, & corpulentior eſſet,cum min' eſſet feſſus, magis aũt eſuriret,è re dicebat eſſe,vlterius progredi ad pagũ frequẽtiorem copioſioremque. Nam ignobili illo viculo quid ſperandum; quo præſenti neceſſitati vtrumque conſuleretur. Tum ſi naturæ minus fieret ſatis,periculum fore,ne viæ non ſufficerẽt vires. Ægidius,animo ne conlabatur,admonet;potentem vtique Deum in tam exiguo loco, etiam ſuprà quàm indigerent, ſuppeditare.Ille potentem ſanè fatebatur:nõ tamen ita conſueuiſſe. Ne time, ait, chariſſime,heic nobis affatim ſuppeditabit Chriſtus. Dum inter ſe ita conſultant, ſuperuenit nobilis heroïna caſtri ſancti Maxentij,in Pictauenſi territorio Domina, magno comitatu liò pergens. Quæ ex prædicatoria familia, in quam, religioſè propenſa erat eos eſſe veſtitu agnoſcens, ſubſtitit, ac dicta officioſè ſalute, cum Ægidio, quem ætas prouectior, & aſpectus grauitas commendabat,

Suis ſe... Deus i... de ec...ſa... ris ſ bmi- niſtra.

aliquantiſper confabulata, ex verborum pōdere viri ſanctitatem facilè intellexit. Et cōuerſa ad filium qui vna veniebat, Petre fili, inquit, Dei ſeruos hos iter faciendo admodum defeſſos, ob Dei reuerentiam & amorē mei procura: & venerabunda diſceſſit. Adoleſcens verò, ad mādatum matris, ſtatim diſcedens parato competenti meridiationis loco, deductos ad caſtrum conuiuio copioſo refecit, paſtilla namque optima piſcibus bonis farcita quæ ſuæ matri erant parata accepit, & vinum, & caſeum, & oua, & panē quoque recentem, & alios piſces obtulit fratribus abundanter, & non tantùm famulos miniſtrare faciens, ſed ipſe etiam alacriter & ſtabat ad cyathos & curſitabat ad fercula, inuitans & obſecrans, vt cum gaudio ſuſciperent oblata, quandoquidem Chriſti eſſent pauperes, reſtarétque eis via difficilis ac laborioſa. Igitur laute refocillati, cùm gratias egiſſent Deo, Oremus, inquit ad ſocium Ægidius, Dominum Deum, & clementiſſimam virginem, vt iuuenem hunc qui tam effuſè nobis miniſtrauit, benignitate ſua cuſtodiāt ſibíque faciāt peculiarem. Inde poſitis genibus, ac dicto Hymno, Veni creator ſpiritus, & Antiphona, Salue regina, cum accommodatis (iuxta morem) orationibus, valedixe-

runt illi. Trāſacto poſt hæc triennio, vir Dei Ægidius, cùm prouincialem cœnobiorum magiſtratum gereret, ex Hiſpania Lutętiam, ad comitia generalia ſacerdotum prædicatoriæ inſtitutionis, eò loci indicta, profectus eſt. In qua profectione cùm ad Pictauienſe cœnobium deueniſſet, adoleſcens ille, iam monachum profeſſus, cognito ex fama diſſipata aduentu eius, accurrit, & præ gaudio lacrymans, præſente cœnobij præfecto, accidit illi ad genua, atque Noſtíne, inquit, me pater ac patrone. Ad quem Ægidius, non ſatis equidem, frater, niſi quòd faciem videor internoſcere: ſed vbínam te gētium viderim, memoria non teneo. Ecquid, ait adoleſcens, meminiſtíne, domine, caſtri. S. Maxentij, & Petri filij eius, pro quo flexis genibus oraſti? Eccum me, & precibus tuis effectum credo, vt in ſanctam hanc ſocietatem fuerim cooptatus. Quibus auditis, Ægidius ſumma alacritate illum ad pacis oſculum admiſit, cohortatúſque eſt ad virtutum & religionis ſtudium.

B. Aegidii orationis merito ad ordinē iuuenis tractus: gratias illi agit.

Cùm ex officio cœnobium Barcinonenſe viſitaſſet, & Maioricam, alteram ex Balearibus inſulam adire proponeret, nauem conſcendens, aut conſcendit dico, cum ſocio & aliquot alijs, qui honoris & obſeruātiæ cau-

ſa ſe illi adiunxerant. Sublatis ergo anchoris, cœperant vela facere, cùm ex vectoribus quiſpiam clarè ſternutauit. Id ſternumentū nauicularius & mercatores nonnulli, qui vna vehebantur, ceu inauſpicatum omen accipiētes, nauē ad littus flectere decreuerunt. Tum vir Dei cœpit admonere omneis mirifica doctrina, tenerent curſum, nihil metuēdum, ex eo quod ſternuiſſet ille, omnia & auguria rem eſſe vanitatis pleniſſimam, adeóque ab iis qui Chriſtum profeſſi eſſent oportere eſſe animo alienam. Obtemperatum illi eſt: pudore tamen magis, quàm voluntate. Iam ſe penitus in ſalum dederant, & ecce, diaboli, vt credo aſtutia, conſurrexêre venti, & mare ab imo commotum eſt, inuſitato more aquarum montibus intumeſcens. Fœda igitur tempeſtate, horſum, illorſum, iactati, cùm ſaluti deſperarent ex mercatoribus vnus quem cæteris impudens inſania promptúmque ad facinus ingenium, fecit audaciorem, iracundo ac inſolenti vultu, virum Dei eiuſque ſocios probris inceſſere eſt adortus, nullis parcens verbis, quantumcumque inhoneſtis ac contumelioſis, ſe & cæteros multum redarguens, qui ſtulti cucullati vnius ſermonibus perſuaſi in præſens & ineuitabile mortis periculum deueniſſent, nec

credidiſſent ſternutationibus, rei multis antea experimentis comprobatæ: ergo ſtultitiæ dignas ſe pœnas dare, ſtultiores eſſe tamen nimiúmque ignauos, qui in ſuæ mortis ante oculos poſitæ authores neque vindicarēt neque ad vnum omneis illos monachos in mare proiicerent. Vixque ſacrilegas manus à ſcelere temperabat. Hæc Ægidius cùm audiſſet, viderétque informem vndique tempeſtatem, expandens manus ad cœlum placétne, ait tibi Domine, vt ſæuiſſima hac maris procella obruamur & vincat malignus auguriorum oſtentator? Succurre, quæſo, ſeruis tuis, Domine Ieſu, cuius potentiſſima eſt manus, ſiue in terra, ſiue in mari, ad dandam in extrema deſperatione ſalutem. Hæc vbi erectis ſurſum oculis, audientibus cunctis, verba protulit, repentè à furore ſuo ſtetit mare, & ſilentibus ventis, vndæ reſederunt. Ad tam miram rem attoniti qui in naui erant, omnes paulatim à metu reſpirantes accurrerunt ad virum Dei, atque alij manum ad oſcula vt porrigeret, deprecabantur, alij verò fimbrias tetigiſſe pallij ſatis vtique habebant, præter tamen omneis mercator ille prius inſolens, pœnitentia

B. Ægidij oratione multi qui nauigant ſummo in quo erant diſcrimine liberātur.

factiac pudore confuſus, procubuit ad genua, intérque ſingultus maximos veniã poſtulabat. Ignoſcam, tibi inquit, Ægidius, ſi & ipſe ijs qui aduerſum te peccauerunt, ignoueris, ſiquidem homo ille inexorab,ileis gerebat inimicitias cum cognato quodã ſuo, à quo percuſſus in capite grauiter fuerat, ita vt vulnere ſopitus manſerit, & oſſa nonnulla, craniíque particula confracta adempta illi in curatione eſſent: & licet Epiſcopus ciuitatis, primores ciuium, conſanguinei, ac fratres, hunc frequenter cognato placare laborauerint, nullis tamen cuiuſcunque precibus, potuit exorari, ſed ſui vlciſcendi, tempus & occaſionem, odio capitali obſeruabat. Ac nũc vitæ, quæ deſperata paulo antè fuerat, reſtitutus, ad hæc tactus religione, & in peccati ſibi ignoſcendi ſpem ſublatus, animi duritiã fregit, veterémq; offenſam, cognato in ſancti viri gratiam gratis remiſit. Amplexus hominem eſt Ægidius, & tam illum, quàm reliquos omneis, vt Dei erga ſe miſericordiam conlaudarent, hortabatur: tum deinde leni proſperóque flatu commodam inſperato nacti tempeſtatem, Maioricam ſunt delati.

Scallabi cùm eſſet, quodam tempore ſocio vtebatur fratre Geraldo, viro benè litterato, qui poſtmodum ſacræ theologiæ do-

ctoris titulo,meritis exigentibus, eſt inſignitus. Contigit ergo ſero quodam, à Geraldo ſui erudiendi cauſa ſanctum patrem familiarius interpellatũ, ad multum iam noctis ſermonem protraxiſſe. Domicilio tandẽ,quod longiuſculè ſeparatum illi fuiſſe,&priori ſermone & hoc quem hodierno manè exorſi ſumus,iam diximus, cùm iuxta morem ſpeculatum egrederetur, recténe eſſent omnia, dormientibus monachis, tantus ſubitò fragor terribilibus vocibus inſonuit, vt Geraldus qui illi prælucebat, terrore propè corruerit attonitus,& funale quod accẽſum geſtabat,trementi è manu,ceciderit. Ac ille,ne paue,inquit: Ouili noſtro inſidias fecit rapax ille lupus: aliquẽ è cœnobio extrahere molitur quem deuoret. Imperauit ergo,vt funale accenderet,ac ſequeretur. Inter hæc frater Dominicus Alfonſius, cœnobij ſuppræfectus, de quo Paulo egimus priùs, lamentans ſuperuenit, indicauítque gemitibus multis atque ſingultibus, quendam ex catechumenis, ſanè nouicijs, inter tenebras conſcenſo tecto aufugiſſe. Erat is indolis ingeniíque admodum excellentis, & non exigua virtutis ſignificatione, in maximam ſpem,omniũ animos erexerat. Cuius cœptis egregijs inimicus inuidens,illum ſub profeſſionis inſtã-

Diuina reuelatione cognouit nouicium arte demonis exiliiſſe.

tis diem, tam vehementi tentatione concuſſit, vt impulerit nocturno ſilentio, per tegulas exire. Hæc cùm ſuppræfectus delamentaretur, non me, inquit Ægidius, rugiẽs leo fefellit: ſed cohibete lacrymas (flebant enim qui vna aderant.) Iam ego iniuſta præda ac ſpolio, quo fruſtra lætatur, latronem exuam. Statimque procumbens, ſuppliciter reditum fratris à Deo inſtitit cum fiducia poſtulare, nec niſi voti cõpos victórque deſtitit. Nam, fugitiuus qui ſupra tecta euaſerat, notatis priùs ac animaduerſis effugij futuri locis, diu vertigine quadam circumerrans, vbi tandem ad deſiliendum venit, ante deſulturam mente reddita, cœpitquaſi de ſcripto ante oculos poſito, ita hæc ſecum. Quo nunc proditor? Hoccine erat propter quod cùm te huc contuliſti ſancti Ægidij iacens ad genua, in ſuam vt te fidem reciperet, ſupplex adoraſti? Hoccine propter quod diuinum hominem, ad Deum pro te exorandum toties ſolicitaſti? Reuertere ad patronum, inconſulte cliens, ſterne te patri, fili fugitiue. Non ille tibi, etſi mereris, conſuetæ pietatis occludet ſemitam. Et ſubita animi mutatione, qui trepidanter ſilentio abierat, depoſito timore eiulatione magna

B. Ægidii oratione nouitius qui nocte aufugerat redit.

rediit ad clauſtrum, atque ad beati viri domicilium properans, adhuc illum pro ſe in oratione proſtratum reperit: narratóque, fletu vberrimo, quod ſibi accidiſſet, die ſequenti volens ac libens ſacræ ſeruitutis voto ſe adſtrinxit, noménque dedit, & priſtinæ quam ſuſtinebat, expectationi, magnis indies incrementis nequaquam defuit.

Antequam Oliſipone, cœnobium eſſet extructum, nonnulli qui prædicandi gratia ab Ægidio miſſi illuc erant, hoſpitio vtebantur Domnæ Vrrachæ matronæ potentis, quæ propterea ædium partem alteram illis ceſſerat, quod & diues & mater eſſet fratris Dominici Martini, qui eidem religioni etiam nomen dederat. Fuit itaque Oliſipone mulier honeſto genere, quæ annos vndeuiginti, aſperrimam ſpontanei ſanguinis fluxionem patiebatur: contumaci morbo, & omni curatione ſuperiore. Conuenit hæc VRRACHAM, & multis precibus ab ea contendit commonefieri, quando vir Dei Ægidius veniſſet, eam ſe concepiſſe fiduciam, veſtis modo eius contactu, ſtaturum diutinum profluuium. Geſtus mos fuit afflictæ: nunciatóq; aduenisse ſanctum virū, cùm accurriſſet illi, procidit ad pedes, atque imas veſteiş deoſculabatur. Abigebat eam

Ægidius,nõ quòd mulierem deſpiceret, ſed quòd ex modeſtia impenſam dignationem auerſaretur, verùm excuſantem factum ad quod nõ tam temeritate, quàm deſiderio & ſpe remedij facta eſſet audax, iuuerunt qui vnà aderant, obſecrantes vt probæ mulierculę ac ſupplici opitulari ne grauaretur. Opituletur,inquit,illi Chriſtus. Abi filia,& iuxta fidem tuã fiat tibi. Abiens mulier,illico profluentem ſanguinem ſenſit inhiberi, nec eo incommodo præter ſtatam menſium legem vlteriùs eſt conflictata.

B. Aegidii meritis quædã à profluuio ſanguinis liberatur.

Matrona nobilis Maria Antiocha nomine, cùm per decemnium ſterilis manſiſſet, & vt mulierum liberos deſiderantium fert natura,medicamentis conceptioni cõferentibus inani ſe opera diu fatigaſſet, tandem medicorum animaduerſa fruſtratione, ſterilitatis remedia potiùs à Deo quærenda exiſtimauit. Erat ei ſingularis religionis ac pietatis affectus erga ſanctiſſimum patrẽ Dominicum, prædicatorij inſtituti cõditorem nuperrimè eo tempore inter diuos relatum:erat & aduerſum noſtrum hunc Ægidium ſimilis, ac penè par. Quarè multis precibus ab eo contendit vt ſanctum patrem Dominicum,ad opem diutinæ ſterilitati ferendam,exoraret, & ſi vtriuſque meritis filium impetraſſet, illum ſe diuo Dominico

Sterelitatis malum precibus B. Aegidii a quadam muliere partu ſubſequenti fugatur.

nico ſub ipſius Ægi dij diſciplina cōſecratu-
ram. Nec fruſtrata ſpes eſt mulierem, nec fi-
dem pollicitorum mulier. Cōcepit enim pe-
peritque filium, cui nomen fecit Dominicū.
Quem is qui ante me geſta hæc conſcripſit,
teſtatur, in religioſa couuerſatione ſe vidiſſe
adoleſcentem ſpectatæ indolis. Fama verò
impetrati miraculo conceptus diſſipata, oc-
caſionem cœpêre & aliæ infecundæ, ſimilia
poſtulādi. Redibāt Hiſpali frater Stephanus
Virducus, & frater Martinus Cōſaluius Oli-
ſiponenſes. Cumque Pharaum deueniſſent,
oppidum agri Turdetani, ad promontorium
Cunæū atque ad Diodocum Alfonſium ca-
ſtri præfectum, hoſpitio excepti, diuerterent,
vxor eius Mecia, ſeorſū ductis ad colloquiū,
narrabat ſe à puellaribus annis prædicatorū
ordinis perquā eſſe ſtudioſam, propēſamque
ad bene de eis omnibus merendum; Ægidiū
tamē cuius celebris tūc fama haberetur, nec
de facie notum, neque vnquam viſum, miro
animi affectu ſpetiatim obſeruare, quæque
de illo relationibus audiuiſſet, admirari ac
reuereri. Tunc fieri certior, valde cupere, nū-
nam Maria Antiocha quædam, filium eius
precibus obtinuiſſet. Id cùm pro re cōperta
aſſeuerarent, vtinam, ait, tantundem apud
illum preces meæ valeant, nam multos iam-

annos in infœcundo ſum matrimonio, vereórque, ne viro propterea odioſa ſim coniugi alioqui bono. Illi, bono vt eſſet animo, cohortati, receſſerunt poſtulata ſe eius ad Ægidium, delaturos. Cùm ita Oliſiponem perueniſſent, iuxta promiſſum, beato viro & benignitatem hoſpitii, & honeſtæ domus orbitatem, & religioſæ matronæ in prædicatorum ordinem, atque adeò in ipſum Ægidium animi propenſionem expoſuerunt. Motus ad miſericordiam Ægidius, Eia, inquit, oremus clementiſſimam Dei matrem virginem, vt huic adſit familiæ, & mœſtos coniuges conceſſa prole conſoletur. Flexis igitur genibus ante virginis aram, fratres qui aderant omneis iuſſit, Salue regina, decantare, ſubiungens ipſe orationem. Nocte inſecuta, ſicut poſtmodũ cõpertũ eſt, concepit mulier, & cùm filiũ peperiſſet, luſtrali ſancti baptiſmatis die Diodocũ Ægidiũ appellauit indito patris nomine, cognomine verò de nomine ſancti viri, cuius illũ orationib⁹ cõcepiſſe, nequaquam dubitabat. Fuit viro Dei Aegidio frater, ætate iunior, eccleſiæ Oliſiponẽſis Decanus, cuius erat pagus Azoia, in Scallabitano territorio, quò in gratiã fratris nõ raró ventitabat Ægidius, ſacrarũ concionũ cauſa. Ergo cùm ibi aliquãdo eſſet, & nõ

Precibus. B. Aegidii ſterilis quædã fit fœcunda.

ſolùm in templo de rebus diuinis & virtute diſſereret, verùm ſub dio etiam quocunque loci ad ſe audiendum aliquos conueniſſe animaduerterat. Contigit vt gallus gallinaceus proximè illum concionem habentẽ, cucurire non ceſſans obſtreperet obturbaretque: quem vt fugaret Ægidius ſcipione emiſſo, ictu certiore quàm volebat, in capite percuſſum interfecit. Interfectum, de corona quidam procul ab aſpectu remouerunt, ne qua propter id triſtitia vir ſanctus afficeretur. Sed ille peracta concione percontatus eſt, vbinam eſſet gallinaceus quem percuſſiſſet: reſpondentibus eſſe mortuum imperauit afferri, & ante pedes poſito, cœpit ſe redarguere. O ſancta Maria, profectò ego malè feci, quod in alitem ratione vacuam ſic excanduerim. Tunc cælum ſuſpiciens, pauliſper intra ſe oranti ſimilis ſcipione iacentem gallum pulſauit dicens, Agè ſurge iam modò, ſurge, & fungens ſolito vocis officio, cantu creatorem tuum lauda. Surrexit continuò gallus, & comploſis alis, cantum replicans, periucundum miranti turbæ, ſpectaculum fuit. In libro qui Vitæ fratrum inſcribitur, inuenio cuidam innominato fratri, hoc apud Maioricam cõtigiſſe, dum ſe ad concionẽ habendã

Gallum Gallinaceum mortuum ſuſcitat. B. Aegidius.

pararet coram ſororibus quę habitum à beato patre Dominico acceperant: ſed cùm ibi dicatur, hoc à fratre Ægidio Hiſpano, viro ſancto & vero inter cætera fuiſſe ſcriptum, ſæpè mecũ dubitaui, an vitandæ gloriæ cauſa Ægidius, quod ipſe fecerat, non nominato auctore ſcripſerit, ſicut aliâs conſueuiſſe illum priori volumine adnotauimus, an reipſa ſimile omnino; alij fratri, cõtigerit Maioricæ. Nam hoc quod de Ægidio heic narrauimus apud Azoiam territorij Scallabitani pagum contigiſſe legitur, præſentibus fratre Bernardo Morlanenſi, viro ſancto, fratre Bartholomæo Petreio, fratre Dominico Siſerienſi, fratre Petro Crucio, fratre Ioanne de Marbilla, fratre Ioanne Turrio, qui poſt ſancti viri obitum rem ita geſtam aſſeuerabant. Quod etiam is qui ante nos hæc conlegit, ſe audiuiſſe teſtatur ab Hermenſa muliere proba, eius pagi incola, quæ miraculo interfuerat,

Medicum peritiſſimum fuiſſe Ægidium, dictum non ſemel eſt. Quare quotidie à diuerſis conueniebatur cõfluentibus ad eum, cùm propter peritiam, & morũ facilitatem, gratuitámque curationem, tum propter ſanctitatem eius, à qua velut ex delubro vani Æſculapij, gẽtilitas, medicam prodire opem,

B. Aegidius fuit medicus inſignis.

perſuaſiſſimum habebant. Die quadam igitur pariter venerunt ad illum duo homines, alter ex nimia cõtinuaque oculorum deſtillatione tam graui lippitudine, tã profligata viſus acie, tam albuginoſis, depilibus, languidiſq; orbibus magis, quàm luminibus, vt ab omnino cœco minimo min' diſtaret; inueterato, nec vniuſmodi morbo acri gibbere adeò incuruus, vt nullo pacto nec pectus erigere nec caput vltra, quàm obſtipum ſurſum mouere, nec obtueri valeret. Vtrumq; miſeratus vir Dei, paululum ſuppreſſo ſermone cõſtitit: deinde fratri Ioanni oſtiario, Vade, ait, frater, &affer olei pauxillũ. allatum breui precatione ſigno crucis ſãctificauit Ægidius, illóque oculos propè inter mortuos inleuit, mirante fratre Conſaluo medico qui aderat, & curnam cõtra medecinæ placita medicus abſolutus faceret, interogante. Ad quem ille, hoc inquit, arti, præualet fides. Quid? An non etiam contra medicorum regulas Chriſtus noſter, luto cæci oculos inunxit? an non mortifera venena ipſi fidẽtibus bibẽda prędixit ſine noxa? Oleo igitur huic, ad ſui nominis inuocationem medendi vim dignabitur conferre. Et fiducia magna intincto pollice ſcapulas&pectus alterius cruce ſignauit, ſicut alterius penè deploratos oculos, nec ſi-

B. Aegidius vnius oculos ſanat, & alium curuum hominem ſimiliter.

dem feſellit euentus. Protinus enim ille in proceritatem erecto corpore, ſibi reditus ac liber cælum ſuſpexit; huic, importuna lachrymatione compreſſa, reformatíſque luminibus, clara videndi acies eſt reſtituta.

Miraculũ aliud. Conimbrigæ iuuenis adhuc impubes Conſaluus, nomine Ioannes Pelagij, honeſti ciuis filius, ſacerdotio diui Bartholomęi, deſtinatus importuno ſtrumarum morbo, tantum gutturis tumorem contraxerat, vt prodire in publicum, ſæpenumero illum puderet. Cui cùm poſt diutinam & inanem curationem nihil ſupereſſet opis in medicis, nec modico ſanè conductis, perſuaſus à quopiã, deformitatem ætatis eius miſerante, & quid facere deberet edoctus, ad cœnobium venit, quem frater Stephanus Beſa deduxit ad Ægidium. Ille ſe peti animaduertens, Quid, inquit, bone adoleſcens, quæris? Cui puer procumbens ad pedes, ac oſtendens peſſimè affectũ locum, Ecce, ait, Domine, graui hoc morbo præmor, nec vlla eſt iam ſpes in medicis mihi reliqua. Ad fidem humanitatémque tuam ſupplex confugio. Nam tuæ manus cõtactum, ſi tangere non dedignaberis; certum mihi fore remedium certò ego ſcio.

Malo gutturis laborantem ſanat. B. Ægidius. Non ſe difficilem vir beatus oſtendit, ſed impreſſo adoleſcentis gutturi ſignaculo crucis,

iuſſit vt abiret. Pauciſſimis inde diebus ſtrumę in putrẽ vomicam erumpentes, diſcuſſæ omnino ſunt, & iuuenis perfectè ſanatus, cicatricibus ſolũmodo in ſignũ remanẽtibus.

Atque vt à Conimbriga non diſcedamus, Maria Gaudina, Gaudini Pelagij iunioris, honeſti hominis filia, grauiſſima diuturnáq; detinebatur infirmitate, quæ omnem medicorum diligentiam eatenus eluſerat, ad maciem extremam attenuato mulieris corpore. Eius mater, Maior Sueria, cùm illã ad Ægidium deducere cogitaſſet, ſed à familiaribus negotiis vacationem commodam opperiretur, ac ideò remiſſiore animo, in lõgum rem protraheret, correpta & ipſa vehementi corporis concuſſione & febri, tandem cum filia ad virum Dei venit, atque obnixiùs ſanctæ manus impoſitionem deprecabatur. Promptus ſemper ad miſericordiam Ægidius, dextra manu ſuper earum capita, crucis ſignum effinxit, & vtrique protinus integram reſtituit ſanitatem. *Miraculũ aliud.*

Prandebat die quadam officij cauſa Ægidius apud Martinum Cõſaluium Cãcinum, conſobrinũ ſuũ, equeſtris ordinis de ſumma nobilitate virũ. Qui tanti hoſpitis, maximè cõſanguinei exhilaratus aduentu, more hominum qui in ſplendidiore agunt fortuna, *Aliud.*

accerſitis aliquam multis, ex piſcaria copia, eo quòd virum Dei à carnium eſu, ex inſtituto abſtinere, non ignorabat, conuiuium effuſiſſimè ſtruendum curauit. Tracto longiuſculè conuictu, dum huc illuc couiuator circumſpicit, dum hortatur, dum poſcit, bolum inconſideratiùs, cum acutiſſima ſpina deglutiuit, ſed mox à faucibus verſa in gutture ſpina vehementer hæſit. Quam cùm neque traiicere, neq; reiicere valeret vllo modo, & protuberantibus oculis, intercluſóque ſpiritu, extrema ſpe vitæ ſtetiſſet, omnes qui in illa epularum accubatione aderant, huiuſmodi caſu turbati, mærebant. Ægidius verò protenſa manu guttur eius tetigit, ac pollice crucis ſignum faciens, Age, inquit, in Chriſti nomine, tuſſi Martine frater. Tuſſiit ægerrimè, vt potuit, & ſubitò bolus cum ſpina reiectus eſt, & homo liberè admiſſa anima, cruciatu omni ſolutus.

Gaſtris malo laborans. B. Ægidii oratione liberatur.

Caſu ſimili periclitatus eſt frater Vincentius ille medicus, quem refractariolum ad credenda quæ de Ægidio cōſtanti fama dicebantur, ſupra expoſuimus. Nam tametſi acerbo illo ac ſæuo experimēto viri Dei virtutem, pro comperta ſatis habere debuiſſet, tamen ruſticiore quadam hæſitatione, nonnunquam narrantibus, difficilem ſe præbe-

Aliud miraculum.

bat, vir alioqui bonus. Contigit ergo tempeſtate quadam cùm in Conimbrigenſi eſſet cœnobio, aliquot honeſtos ciues, affectu religionis, liberaliùs obſonatos, cũ cœnobitis prandere, quibus honoris cauſa accedebat Vincentius, vtpote ſeneſcentis ætatis & litteraturæ meritis in numero primorum eo tẽpore habitus. Cuius ſimiliter gutturi inter comedendum ſpina piſcis dura & oblonga infixa eſt, adeò vt neque ſæpius tuſſiendo, neque pucillando, quidquam proficeret: quin retro ad cœnationis parietem reclinans, caput præ anxietudine, demutato colore exalbuit, rogatúſque ab hoſpitibus, cur non comederet, non tam verbo, quàm ſignis, ſe non poſſe, ac mirabiliter cruciari, reſpondit. Sed quoniam interdum, iuxta Eſaiæ vaticinium, ſola vexatio dat intellectum, ſubiit cogitare, quoties duritia ſua parum fidei accommodaſſet narrantibus, quãtam Deus gratiã AEgidio tribuiſſet ad gutturis affectiones ſanandas. Igitur cùm torqueri modò ſe meritò ſuo iudicaret, cœpit ita ſecum, Succurre mihi, Chriſte, per ſerui tui AEgidij immortalia merita, vt ego mirabilem te in illo, victa denique obſtinatione, deprædicem. Hæc tantùm precatus, leui tuſſi ſpinam ſanguine cruentam eiecit, &

prãdio finito, ecquid ſibi accidiſſet narrato, ſpinam cunctis oſtenſam in futuri temporis teſtimonium penes ſe diu ſeruauit.

Aliud. In pago Azoia, quem Paulo ſuperiùs Scallabitani eſſe territorij diximus, quidam plebeius homo, cum bubuli pulmenti iure ſe auidiùs ſorbendo ingurgitaret, fragmen oſſis nõ quidem altrinſecus, ſed vtrinque acutiſſimum, gulam totam occupauit, adeò vt arteriam etiam, qua meat ſpiritus, oppidò auguſtauerit. Id vbi multos iam dies perdurans fixiùs inhæreret, miſer nec loqui poterat, nec alimenti quidpiam demittere: quin intumeſcente in grauem conlectionem gutture, ac vix ſpiritu commeante, parum aberat, quin omnino præfocatus interiret. Iumẽto igitur impoſitus, Scallabim deductus eſt à neceſſariis, qui ad ianuam cœnobij, cũ homine iam deplorato venientes, viri Dei colloquium cum lacrymis poſtulauerunt, expoſitóque quod acciderat, orabant tanto malo remedium. Aderat viro Dei ſanctus ille frater Petrus Crucius, ipſius patris AEgidij eo tempore ſocius. Conuerſus tunc ad Bernardum vir ſanctus, Quid, inquit, frater, huic homini poſſumus facere, vt ſaluetur? Et ille, Subueniat illi fides tua, pater. Nam ex medicinæ profeſſione, quid illi aut opis, aut

ſpei ſuperſit, aliud non equidem video. Nihilo tamen ſeciùs AEgidius buccellas aliquot panis dari iuſſit, vt ſi deuoraret, etiam os vnà deſcēderet. Sed cùm ea re adeò nihil proficeret, vt potiùs oppilato gutture, ac ſpirandi tramite intercepto, maiori noxa homo cōflictaretur, oleum popoſcit, intinctóque pollice, abſceſſum crucis ſigno inunxit. Dein ducite iſtum, ait, intus ad ſacrarium, & curate vt imponatur illi pallium ſancti patris Dominici. Id enim pallium, quod monachi cappam vocant, AEgidius cùm prouinciam Hiſpaniam regeret, à ſanctę memoriæ Ioanne Sancto viro, qui miraculis corruſcauit poſt mortem, natione Teutonico, generali ordinis Magiſtro, dignationis & familiaris amicitiæ cauſa, dono Bononiæ datum, Scallabim deportarat, vbi & nūc reuerenter aſſeruatur. Ergo cœperant ſimul templum ingredi, cùm homini tuſſicula oborta, tota illa conlectio interiùs diſcuſſa eſt, atque inter erumpentis putoris nondum maturi redundantiam, oſſis illud fragmen ſanguine cruentatum reiecit. Quódq; magis admirari conueniat, coēgit hominem AEgidius, ad diui patris Dominici contingendum pallium accedere: quaſi verò nō ipſius, meritis; tam inſperata ſalus obueniſſet. Non dubito,

Cappa .D. Dominici Scallabi aſſeruatur in conuētu ordinis.

quin admiratione dignum, vt reuera eſt, vobis meritò videatur, tãta floruiſſe apud Deũ gratia & familiaritate mortalem quẽpiam, vt perleui nonnunquam precatiuncula, maximas res longè ſupra naturam, efficeret. Quanto autem illud mirius, AEgidio abſente, nec dum mortalitatem exuto, impetraſſe alios quæ à Deo, AEgidio nominato, poſtulaſſent, aut aliquid etiam friuolũ, modò tamen eius fuiſſet nomine, cum reuerentia & fide poſtulatum penes ſe haberent! Ceu verò aut alicui obęrata teneretur diuinitas, vt humanis meritis repoſci ad reſpondendum iure queat, aut ſi merita vlla ſunt, non ab ipſo Deo id habeant quod probantur.

Sanctio Regi, de quo Paulo antè retulimus, ſucceſſit Alfonſus frater, adcitus ex Belgis, vbi ducta vxore Bononienſem tenebat comitatum ad Morinos, & littus Geſſoriacum, vir ingentis animi, & reip. quæ ſub fratre peſſum ibat, non modò fulciendæ, verùm etiam erigendę ſatis idoneus. Is tantum AEgidio deferebat, vt in familiari colloquio ſcipionem illi, quo ætate confecta mẽbra ſuſtentabat, dono petierit. Nam cùm vehementer podagroſis eſſet pedibus, ſperauit abituram podagram, ſi ſancti ſenis baculum geſtitans, ægris pedibus gradi niteretur:

nec ſpe minus illi euenit. Nam poſt aliquantulum temporis deſiit omnino morbus. Rex tamen non iam neceſſitate, ſed religione ſcipione illo frequenter in domeſticis ambulationibus vtebatur. Quam ego potiſſimam cauſam fuiſſe crediderim, vt idem rex quinto pòſt anno, quàm in patriam redierat, tertio quàm regnabat, inſigne cœnobium Oliſiponenſe cœperit ædificare, cui decennio abſoluto, & ea quæ ad diuinitatis cultũ pertinerent, & illa quibus monachorum neceſſarius vſus indigebat, vt tunc paupertatem profeſſis ſatis ſupérque erat, regia munificẽtia prouidit, de qua re exſtat ibi in periſtylio inſcriptio hæc, quam animi cauſa, Pyrrhe, vel propter hunc Egnatium ſubiiciam, ne ſolum ſe facere bella carmina exiſtimet: *Alfõnſus. 5. rex Portug. Oliſiponẽſem cõuentum fiat. præd. ædificauit.*

Strennuus Alfonſus rex quintus Portugalenſis,
Illuſtris dominus, Comitatus Bolonienſis,
Qui dilatauit regnum patris, & reparauit,
Ac exſtirpauit prauos, hoſtes ſuperauit:
Iſtius eccleſiæ, iecit fundamina magnis
Sumptibus, egregiæ; compleuit quinque bis annis.
Annos millenos Domini deciéſque vigenos
Ac quinquagenos minus vno collige plenos,
Cùm Rex incipiens opus hoc produxit ineſſe,
Annos tres faciens, ex quo rex cœperat eſſe.

De bellis his carminibus ait Egnatius: Quæ

mea vnius cauſa attuliſti, gratiam equidem facio. Illis ô noſter ea manda potius, ſibi, illi habeant, ſibi vnis caueant, quorum titillant aureis.

Collegi flores, non omneis, ſed meliores,
Quos in virgultis domini legi bene cultis.

Quæ cùm vuluptuoſè quidem, perfaceto tamen geſtu pronũciaſſet, atque adriſiſſemus, ego ad cœptum narrationis opus redij.

Quodam tempore cùm vir ſanctus iret Conimbrigam, comite fratre Bartholomęo Petreio, diuertit ad canonicorũ ſancti Auguſtini ſodaliciũ, in pago quẽ vocant Colmenas. Quem loci eius canonici cũ magno honore atq; hilaritate recipientes, inter miniſtrandũ ignoſci ſibi poſtulabãt, quòd mutatum illi vinum propinabãt. Acidiſſe enim ſibi vini annonam, nec de facili poſſe aliũde prouideri. gratias egit illorum ſtudio AEgidius, prætérque nihil opus, defecto cibo ac potione, ventri ſuauiora conquiri, præcipuũ eſſe horum condimentum, ipſum deſiderium & optimam hoſpitum voluntatem, operoſiores epulas minimè ſe morari, nec ambitioſiùs ſitire. Manſuetudo & facilitas viri Dei vnum ex illis, vinariæ cellæ præpoſitum altiori religione tetigit, & captata occaſione, cùm neſcio quid illum ſuere vidiſſet,

tanquam aliud ageret, vtendam acum ſibi vt commodaret rogauit. Inde ingreſſus in cellam ad capaciſſimã cupam qua vinum omne erat conditum, quod ſpontaneo feruore corruptum, paulatim etiam ab acore vappeſcebat. En, inquit, Chriſte omnipotens, in tuo nomine & famuli tui fratris AEgidij acum hanc quam manus eius tractauerunt, in cupam iniicio: per eius te oro merita, vt vinum hoc emendare clementia tua digneris, ne ſacerdotes famulíque tui in hoc loco tibi inſeruientes, pænuria & incommodo annui curriculi afficiantur: & iniecta acu abiit. Poſtridie cùm in vſum prompſiſſet, vinum, guſtu ſuauiſſimum eſt repertum. Tum rei nouitatem admirantibus, protinus & quæ ipſe feciſſet, & quã ampliter & magnificè, Chriſtus pro AEgidio vicem hoſpitalis beneficij rependiſſet, palam expoſuit. Tum Pyrrhus, Non credo, indignabimini, ſi ego medicis aſſuetus in veſtro Latinitatis regno videar peregrinari. Admiratus modò ſum, Magiſter, cùm vini annonam te dicentem audiui. Atqui cùm puer litterarium ludum frequẽtabam, grammaticus quidã ea tempeſtate in vrbe noſtra magni nominis, Daui Terentiani verba, Tum annona cara eſt, cùm exponeret, videte, aiebat, ſeruile ingeniũ, cui po-

Cur dixerit, annonã vini rogatur.

tiſſima cura fuit, de hordei charitate cõqueri, videlicet. Quia dum hordeum emebat heri ſui caballo, ex viliori pretio, furabatur, ac decoquebat, quod in maligniore copia & charitate facere minus poterat. Annonam itaque nobis hordeũ eſſe perſuaſerat, quibus tum quæ ille proferabat, oracula videbãtur: & verò nihil eſſe ſimilius, maximè accedẽte quod de ſeruulorum vulgò cognita furacitate intonabat. Feſtiuè cùm riſiſſemus annonæ interpretationem: dignus profectò, inquam, ludimagiſter, qui cum caballis hordeum contruncaret. Sed ego te id ioco ac ridiculi cauſa magis dixiſſe arbitror, quàm quòd de re notiſſima ipſe benè Latinus dubitares: alioqui reſponderem, me ita vini annonam dixiſſe, vt M. Varro macelli annonã, & Columella annonam lactis: cùm ſit annona non rei frumentariæ tantùm, ſed & omnium quæ ad annuam alimoniam pertinẽt: quin pro ipſa etiam copia ac prouentu nonnunquam inuenitur, vt ff. ad l. Iuliam de annona: Imperatores Verus & Antoninus ff. ff. in hæc verba reſcripſerunt: minimè æquũ eſt, decuriones ciuibus ſuis frumentum viliùs quam annona exigit, vendere. Item reſcripſerunt, ius non eſſe ordini cuiuſque ciuitatis, pretium graui quod inuenitur, ſtatuere:

Annona vini annona lactis.

tuere:quo loco(nã de induſtria hoc addidi) videant iuriſconſulti,vtrúmne rectiùs legendum ſit,quod inuehitur;vt ſenſus ſit,inuecto aliunde grano, pretium ſtatuere decurionibus non licere, ne per hoc inuectores deterrerentur. Frumenti enim quod apud nos inuenitur, quæ lex præciperet,ne pretium ſtatuere ordo poſſet ciuitatis? Sicut de carne ſtatuere,ad vrbis præfectum pertinet:quod argumentum ſolet ad ſimilia transferri. Vide, noſter Anteſignane, inquit Egnatius, ne grandem tibi ſcribant dicam, aut Baldi, aut Bartoli diſcipuli, quòd in eorum meſſem, falcem mittere auſus ſis, cõtra magiſtrorum ſuorum interpretationem. Iſthuc ego poſtea,inquam,videro:nunc ad inſtitutum. *Textus de geſtorum noua expoſitio.*

Frater Michaël Ioannides Portuenſis & frater Robertus,ad pagum Anſidium canonicorum S. Auguſtini iuxta Durium deuenientes,hoſpitio accepti ſunt, & humaniter procurati. Cúmque honoris cauſa multi cũ eis ſederent ad menſam, & comederent piſcem aloſam, quibus illic Durius abundat, quidam ex vna comedentibus ſuauitate piſcis inlectus.(Nam Duriũ Miniúmque ſubeuntes aloſæ,cęteris cęterorum amnium Hiſpaniæ tum magnitudine, tum ſapore, iure præferuntur,)cùm auidiuſculè ingurgitaret, *Aliud miraculum.*

Aloſa ſpina ferè ſuffocatus meiiius. B. Aegidii liberatur.

ſpina durior in buccella ſemimanſa gutturi eius inhæſit: quam cùm reiicere tuſſiendo nequaquam poſſet, & ore toto rubuiſſet, ac emiſſiciis oculis, præfocari videretur, turbatis hoc caſu, qui aderãt; Agè, inquit Michaël, nomina frater, qua voce potes, fratrẽ Ægidium, & illius meritis ſubueniet tibi Deus. Cúmque licet ægrè, nominaſſet, reiecit continuò cum buccella ſpinam, protinúſque liberatus, conuiuis amiſſam hilaritatem reſtituit. Creuit autem cunctis religio, & erga Ægidium abſentem, auctus eſt pietatis affectus.

En, inquit Egnatius, quod ego ſoleo nonnumquam indignari Aloſarum delicatas ac molleis pulpas tot intercurrentibus ſpinis, armari contra meam edacitatem. Id enim niſi metuerem, nactus fortè liberaliorem eius piſcis copiam, conuiuæ huius ingluuiei primas nequaquam cederem. Nam & mihi palatum eſt, & eſito libenter iſtum piſcem, ſiue aloſa eſt, ſiue clupeia, ſiue potiùs noſtrati vocabulo ſabalus. Et ego mirabar, inquam Egnati, ſi tu ingenio tuo moderareris, facetiiſque abſtineres: ſed ſalua res eſt: etſi inconſideratè aliquando vores, præſto eſt Ægidij opitulãtis patrocinium. Nũc verò auſculta. Antequam progrederer excepit Pyrrhus.

Eſt magiſter, quod & ego ſcire ex te velim, an exiſtimes aloſam, & clupeiam, & ſabalum eundem eſſe piſcem. Id modò non eram interrogaturus, ne tuæ narrationi (qua maximè delector) quaſi intercederem verùm ex vltimis, Egnatij noſtri verbis, quibus idem ſubdubitare viſus eſt, præſentem occaſionem vel noſtra duorum cauſa nolui omittere. De hac re, inquam Pyrrhe, cùm Paulus Iouius, Franciſcus Maſſarius, Petrus Gillius, & Guilielmus Rondeletius, medici & docti, & diligentes, longis editis commentariis, diſſeruerint, poteras illis contentus eſſe. Verùm quia neque ipſi inter ſe omnino conſentiunt, cur nos quoque ſententiam noſtram non aperiamus? Primùm Iouius & Maſſarius clupeam Latinè dici Græcè nomen θρίσσαν aſſeuerāt, quę Gallicè aloſa ſit, ita vt piſcis θρίσσα, clupea, & aloſa ſint idem. Eum piſcem Iouius ab Hiſpanis vocari ait Salualum; Maſſarius & Rondeletius ſabogam. De clupea diſſentit Rondeletius, & rectè, meo iudicio. Nam dicente Plinio, clupeam minimum eſſe piſcem, qui immanem illum Padi attilum morſu exanimet, dum venam in eius faucibus mira cupidine adpetit: non video, quónam pacto id aloſæ quadret, quę neque dentata, neque malefica eſt, neque minimus pi-

Vtrum aloſa, Clupeia, & Sabalus idem piſcis ſint.

ſcis dici poteſt, cùm cubiti magnitudinem & apud Gallos, interdum aloſæ ſuperent, & apud nos, duodecim librarum frequentiſſimè pondus æquent, præcipuè amneis Durium Miniúmque ſubeuntes. Amatus Luſitanus in Dioſcoridem Iouij ſententiæ ſe addixit: nos autem θρίσσαν aloſam eſſe aſſentimur, quando ita placuit Theodoro Gazæ magno viro, in Ariſtotelem, & Strabonis interpretibus, qui hæc ex lib. 15. τῶν δ' ἐκ θαλάττης φησὶν ἀριστόβουλος εἰς μὲν τὸν νεῖλον ἀνατρέχειν, μηδὲν ἔξω θρίσσης κεστρέως, tradit etiam Ariſtobulus, nullum ex marinis piſcibus in Nilum recurrere, prẹter aloſam & mugilem. Et lib. 17. ἰχθύες δ' ἐν τῷ πολλοὶ μὲν ἀλλοιχαρακτῆρες ἴδιον ἔχοντες καὶ ἐπιχώριον γνωριμώτατοι δὲ ὅτε ὀξύρυγχος καὶ ὁ λεπιδωτὸς, καὶ λάτης, καὶ ἀλάβης καὶ κορακῖνος, καὶ χοῖρος, καὶ φαγρώριος ὃν καὶ φάγρον καλοῦσιν, ἔτι σίλουρος καὶ θαρὸς θρίσσα, κεστρεύς. i. Piſces in Nilo permulti ſunt ac diuerſi, qui propriã quandã & ſuam formã habent, ſed maximè noti ſunt oxyrynchus, & lepidotus, & latus, & alabes, & coracinus & procus, & phagrorius, quem etiã phagrum vocant. Item ſilurus, & citharus, & aloſa, & mugil. Et paulo poſt. φησὶ δ' ἀριστόβουλος μηδὲν ἀνατρέχειν ὄψον εἰς τὸν νεῖλον ἐκ τῆς θαλάττης πλὴν κεστρέος καὶ θρίσσης. Autor eſt Ariſtobulus, nullam piſcem ex mari in Nilum aſcẽdere, præ-

i. triſan, nomen piſcis.

ter mugilem & aloſam. Douenius igitur doctis hominibus θρίσσαν græcè aloſam eſſe, & noſtrati lingua ſabalum. Certè hiſtoriæ noſtræ auctor, licet barbarus vt illis temporibus, nempe ante annos ducentos & quinquaginta, aloſam ſabalum & ipſe vocat. Eſt verò delicatus admodum piſcis noſter ſabalus à Veris initio ad Kalendas vſque Maias, inundationibus amnium pingueſcẽs. Majo macreſcit, & in mare reuertitur. Quíque ex iis tunc amnes aſcendunt, ſtrigoſiores ſunt, & ſalſugine, minus palato grati, cubito aliquanto minores. Vnde apud nos factum eſt adagium in homines puſillæ ſtaturæ, non grãdiores eſſe eos Majali ſabalo. Eſt & alterum aloſarũ genus quod his ſuccedit, Maio & Iunio menſibus, paruo corpore, rarò enim pedalem excedunt menſuram, hæ ſpinoſiſſimæ ſunt, & ſtrigoſæ, & parum guſtu ſuaues. Has ſabogas, ſeu ſabellas nuncupamus: degeneres ſabalos exiſtimant quidam. Ego ſuum quoddam genus eſſe puto, quod nullo tempore in iuſtum ſabalum excreſcat, & quod niſi in ſumma piſcium pænuria diuitũ menſis apponatur: de quibus ego locutum fuiſſe Auſoniũ crediderim, cùm cecinit.

i. triſan, piſcis nomen.

Prouerbiũ Luſitanicum.

Stridentéſque focis obſonia plebis aloſas.

Etſi Rondeletius ſuperiores illas, propter

Luſitanici fluuii ex authoris opinione.

vberionem copiam, vileis exiſtimatas, exponat, magnam ſanè copiam ſuppeditant, Luſitanię noſtrę amnes, Minius, Limia, Durius, Vagus, Munda, Tagus, & Anas: ſed nunquã tam vileſcunt, vt non ſummo pretio emantur, ſiue recentes, ſiue etiam ſalitæ, & vſque ad æſtatem iam adultam ſeruatæ. At illæ alteræ, quas ſabellas ac ſabogas vocari diximus, inter vileis reputantur, quaſi delicatiorum lurconum obſonatores, ne reſpiciant quidem. Sed de his ſatis multa. Nunc progrediar, niſi adhuc interpellare vultis.

Duo ſunt in Turdulis vetuſtioribus oppida, quorum vtrique Turres nomen eſt: differentiæ tamen cauſa, illud Turres veteres, hoc nouas appellant. Ego libentius Græcè Palæopyrgos, ac Neopyrgos dicerem, ſi imponendorum oppidis nominum legiſlationem mihi permitteret aut litteratorum cõſenſus, aut aliquando placabilis inlitteratorum factio. Neopyrgis igitur, vel ſi hoc non impetro, Turribus nouis, agebat Pelagius quidam Martinus, qui exactoribus vectigalium reginæ in eodem nomo præpoſitus erat. Nam per nomos diſtribui præpoſitos hos, qui vectigalia vel ab exactoribus iam conlecta, vel à redemptoribus adhuc debita cogunt: Si vos neſcitis, ad vicinum hunc meum vos de-

ducam: vnde hæc ego nuper didici, cùm oratum ad illum iſſem, vt mitiùs ageret, cum quibuſdã reliquatoribus, néue miſeros omnibus fortunis nudaret. Qui mihi tunc titulos aliquot legis Regiæ, impoſitámq; ſibi neceſſitatem vrgendi mancipes qui relinquerentur, oſtẽdit, ac tam enucleatè digeſſit capita ſingula, vt ego quoque iam me arbitrer poſſe ſtrenuum præſtare vectigalibus cogẽdis præfectum. Is ergo Pelagius Martinius monachis ad oppidum prædicationis gratia venientibus, comiter ac perhumanè præbebat hoſpitium. Diſcumbens igitur die quadam cum fratre Michaële Martinio & alio quodam, oſſe piſcis vehementer infixo maximè cœpit cruciari. Subiecerunt illi monachi hoſpites, vt fratrem Ægidium nominaret. Nominauit quo potuit modo, & ſubitò cum Ægidij nomine tuſſiens, os cruentum reiecit, ac tertiò quartóque ſanguinem ſcreauit.

Ad nominationem B. Aegidii gutturis mala laborans liberatur.

Alacri portum Tranſtaganæ huius prouinciæ, oppidum lanificio nobile, prædicationis gratia deuenerunt frater Durandus Stephanius, & frater Nunius, vtebantúrque hoſpitio domni Andreæ, primi eccleſiæ virginis Dei matris ibi ſacerdotis. Cúmque die quadam diſcubitũ eſſet, appoſito piſce hoc

aloſa, guloſorum caſtigatore, quidam de ſacerdotibus vnà accumbentibus Dominicus Ioannides dum incõſideratiùs epulatur, noxam contraxit de errante à gula in arteriam ſolo cum ſpina duriuſcula, quàm cum priùs leuaret, deinde toto niſu tuſſiendo, reiicere non valeret, & ſpiritus difficillimè commearet, ſurgere coactus eſt, & ſedens foris ad oſtium, præ anxietate ſudare cœpit & tremere, & ronchos magis, quàm clamores edere. Penè enim ſuffocabatur. Quem cùm magna iam, ex tranſeuntibus & vicinis, corona cinxiſſet, fierétque tumultus, conuiuæ turbati caſu, ſurrexerunt & conuénerunt ad illum. Durandus itaque videns hominem in tanto vitæ diſcrimine, Eia, inquit, ſalutare crucis ſignaculum fac ſuper guttur, & nomina fratrem Ægidium, cui peculiarem Deus in gutturalibus his noxis gratiam contulit. Signauit pollice locum, & rauca inconditáque voce cùm dicere cœptaſſet, Sancte frater Ægidi ſuccurre mihi, ad nomen eius, cruentam, atque recuruam in modum hami reiecit in manum ori appoſitam. Quam cunctis oſtendit, gratias agens Deo, & abſentem extollẽs Ægidium, mirantibus qui illic aderant vniuerſis mortalem adhuc hominem. Nam multis poſthoc factum annis, ſanctus pater

Ad nominationem. B. Ægidii ex ſpina pene laborãs extreme, liberatur.

ſuperuixit,& abſentē, in tāta apud Deū erat gratia,liberauit. Teſtes miraculi citātur,iidē Durādus & Nunius; & frater Petrus Vernādius,cum ſocio fratre Dominico,qui poſtridie ad oppidum deuenerunt, & frater Ioannes Alacriportuenſis, qui puer,quo tempore hoc contigit,præſens fuit. Delectauit me, inquit Egnatius,oppidi nomen à te, eleganter vna voce factum. Ita enim videtur commodiùs,quàm ſicut vulgò dicunt,Portus Alacris. Nec ſatis ſcio quam ob rem, niſi quia magis mihi arridet. Quare tu ſic compoſiti à te nominis rationem expone, aut ſi antiquū oppidi eius nomen alicubi ex theſauris tuis ſaxeis eruiſti,imperti nobis. Ita faciā,Egnati, inquam,eóque libentiùs, quòd oppidum id in ciuitatis nomē,& iura,&Epiſcopalem dignitatem, nuper tranſiit Regis Ioannis. III. beneficio. Cuius primus nunc Epiſcopus eſt Iulianus Albius, quem ego, vt ſcis, & antea vt amicum dilexi,& modò,vt decet,pontificem merito eius reuerenter colo. Sed ad quā dicis compoſitionem,hoc tibi reſpōdeo,me Alacriportum potiùs dixiſſe,quàm Portumalacrem:primùm imitatione, vt apud Latinos ſcriptores legimus Sacri-portum in Mariano bello,& in Apoſtolicis actis Boniportus vel Pulcri-portus. Deinde quoniam ad

Quis nam ſit Alacriportus.

loquendi vſum expeditius ipſum redditur vocabulum. Namque vt demonſtrandi gratia dicam, ſi Alacriportum finxeris, ciuē inde non indecorè Alacriportuenſem dices: ſi portum Alacrem appellabimus diuiſim, vt noſtrate lingua ſolemus, ciuem vna voce dicere nequaquam poteris, niſi recipias pinguem Vaſæi noſtri Portalegrenſis appellationem. Sed tunc videndum tibi, quod nomen vrbi facias. Antiquum verò quod petis, Amaia fuit, vt ex vetuſta inſcriptione liquet, & Ptolomæo ἀμαία in Luſitaniæ deſcriptione ponitur, vt emendandus Plinij liber ſit, qui pro Amaienſibus Amienſeis perperam habet. Recentiora ſæcula propter & ſitum & amœnitatem, vetus ignotum ſibi nomen in Portumalacrem mutauerunt. Verùm ſinite, vt ad meum me penſum reuocem.

Alacriportus olim Amaia dicebatur.

Gloriam virtutis eſſe vmbram, quæ etiam inuitos comitetur, ſententioſiſſimus auctor Annęus Seneca, per tranſlationem dixit, virtutémque nulli non & viuo & mortuo, gratiam retuliſſe, qui modò ſe non exornarit ac pinxerit, ſed bona fide ſecutus illam fuerit. Conſonat ſententia hæc diuinæ ſeruatoris noſtri philoſophiæ. Nam eos qui ſine aliquo fuco, ſeriò ac propter Deum religionem & virtutem colunt, certiſſima indubitabiliſq;

manet gloria, nō modò ea quæ ſperatur à ſolo Deo, poſteaquam in ſuum cælum, vnde illi initia, receptus fuerit animus, verùm ea etiam, quam ſancti viri, neque delectati, vt famam apud homines glorioſam, tāquam virtutis præmium obtinerēt, videlicet exſerente ſe ſuis ſtudio, & quaſi prodigente, fideliſſimi remuneratoris largitate. Id erga Ægidiū affatim præſtitit Deus, cuius per vniuerſam Hiſpaniam eminens inclaruerat virtus. In Gallias quoque, & Italiam nonnulla ex parte iam peruaſerat, ſed inter ſuos, hoc eſt inter monachos. Id non ſatis viſum diuinæ bonitati, niſi etiam exteris innotuiſſet.

Romæ igitur tempeſtate illa, vir notæ ſanctitatis agebat in ſeceſſu vitam, quod genus homines ἀναχωρητας Grȩci appellant. Is cùm aliquando ante crepuſculum matutinum orationi & contemplationi vacaret, leui ſomno correptus, vidit apertos cælos, & Seruatorem noſtrum Ieſum ſtantem, illiq́ue adſiſtentem matrem virginem erectis manibus quaſi adorantem, ſub cuius dextro brachio videbat quendam in habitu prædicatorij inſtituti, mira luce fulgentem, qui brachiū virginis quaſi ſuppoſitis manibus ſuſtētaret, veluti cùm Aaron & Hur, Moyſis orātis brachia ſuſtētabant. Admirās anachorita, quínā

i. heremiticam vitā agentes.

Viro ſancto Romæ exiſtenti per viſum diuinitus ſanctitas. B. Ægidij reuelatur.

ille eſſet, qui in tanto honore haberetur, vt virginis Dei matris brachium ſuſtineret, reſponſum accepit iſtiuſmodi ab eadem ipſa virgine. Hic quem in tanta apud me familiaritate vides, frater eſt Ægidius Luſitanus, ex prædicatorum ſacerdotum ordine, filij mei ſeruus, & mihi peculiaris. Atque ſicut ipſe meum brachium ſuſtinet, ſic prædicatorum ordo, per orationes eius & merita ſuſtentatur & augeſcit. Viſum hoc ille ſecum reputãs, deſiderabat de Ægidio pleniùs edoceri. Quare cùm aliquantos poſt dies eſſet coram Cardinale quõdam, & multis aliis grauibus perſonis, conſpicatus Luſitanos aliquot qui aderant, quorum vnus erat Magiſter Petrus Vincentius Bracarenſis eccleſiæ canonicus; rogabat ecquid fratrem Ægidium Portugalenſem ex ordine prædicatorum noſſent: & reſpondentibus, optimè noſſe, formam illis, habitudinémq; corporis, atque ætatẽ Ægidii graphicè admodum depinxit. Aientibus, ita rem ſe habere, ille coram Cardinale & qui aderant omnibus, quod ſibi oſtenſum fuerat, cum omnium admiratione retulit. Quod prædictus Magiſter Petrus, reuerſus poſtmodum in Luſitaniã, viuẽte etiamdum Ægidio, religioſis patribus, videlicet fratri Martino Martinio præfecto cœnobij Co-

nimbrigenſis, fratri Lupo ſacræ Theologiæ Doctori, fratri Bartholomæo Petreio, fratri Ægidio Thomarienſi, & fratri Stephano Ratenſi, cęteríſq; cœnobij eiuſdem monachis, ſacramento confirmans enarrauit.

Conuētus Commbrigenſis antiqui patres.

Inter animam ac corpus naturalem quandam vehementémque adeò eſſe amicitiam, vt ægerrimè alterum ab altera ſeparetur, & philoſophi docuerunt, & nos diutina ac penè quotidiana experientia intelligimus. Magna tamen intercedit diſtantia, quòd animę quæ ſe voluptatibus corporeíſque illecebris dediderunt, quaſi mancipia corporibus obnoxiæ tenentur, neque ad futuræ longéque melioris vitæ ſpem eriguntur. Bene verò cōſtitutæ, quæque terrenis ſe labibus non mācipatunt, ſurſum quaſi ignis emicant, originis ſuæ memores. Accedit quòd illæ ex contractis ſordibus, & malè actæ vitæ conſcientia trepidę exire è corpore ad ſupplicium, reformidant. Iſtæ verò nullis pollutæ maculis, ſed tutæ innocentia, ad diuinum præmium debitum virtuti feſtinant. Eóque fit, vt quādiu in corpore hoc agunt, non tam ſe in domicilio viuere, quàm in vinculis & cuſtodia exiſtiment detineri. Ægidius ergo vltrà quā quòd ſenio & laboribus ad vitæ ſatietatem deuenerat, tædio peregrinationis huius diſ-

ſolui anhelabat, Chriſtóque iam non per fidem & ęnigmate, ſed clara & aperta viſione coniungi. Quam rem etiam ad ſerui ſui gloriam oſtendere mundo Deus voluit.

Fuit Vliſſipone tempore illo matrona nobilis & diues Stephāna Bocharda, quæ defuncto viro quod reliquum ætatis fuit, in viduitate qualem deſcribit Apoſtolus, perſeuerans etiam, vſque ad ſanctitatis opinionē creuerat. Hæc reſpectu Dei, domi ſuæ in cellula ſeparatim alebat quendam cæcum, Stephanum nomine nō quidem mendicum, ex iis qui oſtiatim victum proclamant, Stentorea voce & firmis lateribus, vt præconiū facere videātur, ſed modeſtia honeſtū, qui etſi corporeis oculis cæcus erat, mētem certè illuminatam habebat, vt quà ſibi eundum eſſet ad Deum, probè admodum cerneret. Is igitur Dei ſeruus cùm die quadam in oratione perſiſteret, viſus eſt apertos videre cælos, & lucidiſſimū ignis globū de terra ad cælum impetu rapidiſſimo aſcendentem. Quem vbi ad ſummi cæli confinia propinquaret, quidā angelus mantili candidiſſimo ventilans, ab ingreſſu repellebat, iterum atque iterum in terram deprimens. Admiranti, quaſi certamen ſubuolantis ignis, & depellentis angelī, eiq; prolixiùs oranti, vt quid ſibi ea vellet vi-

Reuelatur cuidā ſancto viro, B. Ægidii deſideriū cuius diſcedendi.

ſio, doceretur, ita reſpõdit ille Angelus. Globus hic igneus, quem vides, anima eſt fratris Ægidij Luſitani, quæ tota diuini amoris igne ſuccenſa, iugiter Deum contemplatur, & ad Deum properans, terrenam molem deponere feſtinat. Ego autem miſſus ſum, vt faciam anhelantẽ expectare tãtiſper, dum multas animas ille Deo lucretur, ampliori gloria ex ea mora coronandus. Hoc viſum ſumma cum alacritate cæcus mox patronæ ſuæ Stephanæ retulit, & illa ei qui hãc ante nos hiſtoriam ſcripſit, ac ſimul fratri Conſaluo Martinio Scallabitano. Superuixit autem Ægidius poſt hoc integrum ferè quinquennium.

Hoc quod modò retuli exemplo, indicatum eſt feruens Ægidij deſiderium remeandi ad cælum fuiſſe ſuppreſſum, lucrandarum animarum gratia. Alteram modò referam, quo inſtantem ei exilij huius terminum edito oraculo Deus ſignificauit. Nõ procul Alcobacia, mons eſt Ceira vulgò appellatus, & in monte fanum. D. Martino ſacrum. Solitariam inibi vitam agebat, vir quidam admodũ pius ac ſpectatæ innocẽtiæ, Martinus nomine. Is cùm more ſuo ab humilibus his rebus, abductum animum ad cæleſtis vitæ cõtemplationem aduocaſſet, in cogitationẽ

Fælix trãſitus. B. Ægidis inſtans cuidam viro ſancto mõſtratur à Deo.

Ægidij ſanctitatis incidit, quã & per ſe ipſe viderat, & plurimis eſſet argumentis expertus: & cùm in ore omni eſſet populo, indies augeſcere audiebat. Nihilo tamẽ ſeciùs cùm fieri adhuc certior optaret, diuinum ſuper ea re vel reſponſum, vel indubitatum aliquod indícium expetebat. Igitur leui poſt orationem, capto ſomno, aulam quandam vitream luce inenarrabili coruſcantem intraſſe ſibi videbatur, in cuius medio, patrem Ægidium in ſella pulcherrima ſedentẽ, inueniebat. Ad cuius pedes cùm lætus procubuiſſet, de interiori conclaui, egregia forma adoleſcentem exeuntem conſpexit. Qui venerabundus, totúſque renidens, vbi ad Ægidium acceſſiſſet, ita illũ eſt allocutus, Veni frater Ægidi, veni, quia vocaris. Proſiluit à ſella feſtinanter Ægidius, & viatorẽ qui ſe accerſiuerat, ſummè lætus comitabatur. Cúmque propinquaſſent ad apertum conclauis oſtium, apparuit aula, priore illa longè capacior, & admirabiliori varietate adornata. Tum iuuenis, intra inquit, frater Ægidi. Quo intromiſſo anachorita, qui illuc vſque fuerat ponè ſecutus, totis viribus anhelus ſatagebat ingredi poſt Ægidium. At alter ſimili forma iuuenis, qui quantum videbatur, admiſſionalis fungebatur officio, repulit illum, dicẽs,

Abitu,

Abi tu,& expecta. Non enim modò introibis.Et clauſo interiùs oſtio foris reliquit,nõ parum anxium de repulſa. Cùm autem vocem doloris indicem tentaret emittere, excitatus à ſomno eſt, intellexítq; virum Dei propediẽ ad patriam migraturum, & repoſitam ſummæ ſanctitati ſummam gloriam adepturum. Atq; ita reipſa contigit. Nam vix bimeſtri ſpatio poſtea completo, vita ſanct⁹ pater exceſſit. Hæc probus ille vir ac innocens anachorita ſæpe cum lachrimis gaudio intermixtis viua voce referebat.

Sed ego cùm narrãdi voluptate ſupra modum afficiar, vereor,ne iniurius ſim beati viri vita diutiùs protrahenda, in qua ille commorari tam diu,ſanè quàm acerbum duxiſſet, niſi Dei nutum & arbitrium per patientiam expectaret. Quare cùm ſermonem hodiernum de iis quæ in vita geſſit ſatis iam longum fecerim, commodiùs ad eius de vita exceſſum,tranſeamus. Igitur quemadmodum ſub prioris voluminis finem diximus, Scallabi priuatam quietámque agens extremam ſenectutem, cùm diem deſtinatum ſibi opperiretur, octogenario iam maior,in morbum leuem incidit. Quo gratari ſibi admodum cœpit: quandoquidem ex illo ad perpetuam malíſque omnibus carentem vitam

ſe tranſiturum, intelligebat. Præcognita verò inſtantis obitus hora, in ſtratum ſe cilicinum deponi iuſſit, ac Chriſtianæ pietatis ritu ſuſceptis, cum reuerētia ſacramentis, mærenteis fratres blandiſſimè conſolatus, omnibúſque ad Dei cultum & veræ pietatis ſtudium commonitis valedicens, manus extēdit in cœlum, pronuncians, nihil labante voce, in manus tuas, Chriſte Deus, commendo ſpiritum meum. Inde compoſitis in modū crucis conlabentibus iam brachiis, ſine vllo mortis ſenſu, quaſi obdormiſſet, extremum vitæ ſpiritum edidit, ac vt Chriſtianè potiùs, quám Ciceronianè loquar, vitam commutauit, anno à nato Seruatore noſtro CIↃ.CC. LXV. anniuerſaria die qua ad cœlos aſcēdiſſe Chriſtum religio Chriſtiana commemorat. Cuius cadauer neque toruitate vel minima deforme, neque fœda quapiam proluuie maculatum, ſed potius gratum naribus, neſcio quid ſupra terrenum odorem ſpirans, polinctores magis conſuetudine, quàm quia indigeret, cùm abluere inſtitiſſent, cingulū illud ferreum, de quo in priore volumine egimus repererunt. Quod etiam nunc argento tectum, adſeruatur, in magnóq; eſt vſu parturientibus, ſiue vtero ſupra veſtem applicatū, ſiue collo ſuſpenſum, ſiue manibus cum fi-

Not ſanctorum deuotionem erga ſacramēta Eccleſiæ.

Anno Domini. 1565 obiit. B. Ægidius.

ducia contactum. Humatus frequentiſſimo Scallabitanorum cuiuſque modi conuentu, trāſlatus poſtea eſt ad ædiculam & marmoreum cælatum monimentum, curāte ſua pecunia Ioanna Nunij Vermādi Cognominij matre, fœmina illuſtri,& ipſius beati viri cōſobrina, vt in principio prioris voluminis iam diximus.

Illius è vita exceſſum piis aliquot hominibus cùm Scallabi,tum etiam locorum interuallo non modico indè diuiſis, ſignificationibus,& quidem minimè ambiguis Deus aperuit. In cœnobio Conimbrigenſi frater Dominicus Manſillinus, vir integer, & perſpectæ multos iam annos probitatis ſub crepuſculum inluceſcentis diei quo ſanctus vir curriculum vitæ confecit, cùm ab oratione leuiter obdormiſſet,videre ſibi viſus eſt templum cœnobii Scallabitani, aulæis bombycinis, verſicoloribus mirè totum adornatū, ſtratúmque tonſilibus tapetis varietate ſimili pauimentum. Tum equum pulcherrimum ſine fræno,ſine ephippio per mediam Scallabim incedētem, qui modò huc,modò illuc, alacritate ſumma lætíſq; hinnitibus ſeſe obuerſans,populum demirantem ſpectādi gratia cunctum poſt ſe trahebat, donec egreſſus vrbis portis, ac ad cœnobium quod iuxta

exterius pomærium, ſitum eſt, ſequente populo deueniens in templum, vti dixi adornatum ſe conderet. Hac viſum Manſillinus ſecum expendens, neque quid portenderet adhuc ſciens tacuit.

At religioſus pater Michael Suerius eo tẽpore, eiuſdem Conimbrigẽſis cœnobii præfectus, cùm eademmet nocte circa matutinã ſynaxim quieſceret ſemiſomnis, putabat ſe videre beatum virũ Ægidium in prima odei ſede, quæ cœnobiarcharum eſt, conſiſtẽtem, & ad matutinas laudes dulci admodum ſono præcinentem, Deus in adiutorium meum intende. Ipſe autem præfectus propter ſancti viri auctoritatem illi & loco, & præcinendi officio cedere videbatur, electa ad ſiniſtram eius ſede altera. Secum tamen tacitus ita cõgitabat, Quídnam ego nouæ rei video? Pater Ægidius qui tam impenſè prælatos conſueuit honorare, me præſente meam ſedem & præcinendi munus occupauit? Cúmque ita miraretur, euigilauit, reputánſque quod viderat, non leuem illi viſum hoc ſuſpicionem mouit, quaſi prædictio reuera eſſet, non autẽ inſomnium. Quam rem cùm poſtea ipſa eadem die fratribus nonnihil anxius retuliſſet; Mirũ, inquit, eſt, niſi pater Ægidius aut migrauit ad Dominũ, aut citò eſt migraturus.

Tunc antè dictus Manſillinus etiam quod oſtenſum ſibi fuerat, explicauit, ſicque auctam ſuſpicionem die exinde tertia cõfirmauit ſuperueniens nuncius, qui ſub lucem Dominicæ aſcenſionis virum beatum è vita abiiſſe detulit.

Scallabi in parœcia diuæ virginis ac martyris Irenes habitabat Ioannes Stephanus, homo probus & inculpatis moribus. Hic eodẽ crepuſculo quo beatus pater Ægidius de vita migrauit, non graui ſopore preſſus, videbatur ſibi à templo prædicatorum egredi, atque in exteriori ſepulcreto, quod Chriſtiana conſuetudine cœmiterium appellamus, treis præclara forma adoleſcenteis habere obuiam, qui ſceptra cubitalia, manibus geſtantes Regios apparitores ſchemate imitabantur, quorum inuſitata forma, & aduentus nouitate permotus, videbatur illos ad hunc modum interrogare, Cuiuſmodi eſtis homines? Ad quem illi, Statores ſumus Regis, qui nos huc miſit, vt fratrem hunc Ægidium, mox illi ſiſtamus, paulo pòſt illum, alterum accerſituri. Ad quod reſponſum, cùm ſe circumflecteret homo, conſpiciebat ſanctum virum Ægidium, immenſa luce prȩfulgentem, obuiam illis procedere; & fratrem alterum ſemiobtecta facie eò etiam prodire

conātem. Conuerſus autem homo ad iuuenes, Cuius, inquit, Regis ſtatores vos eſſe perhibetis? Et illi, cæleſtis ſcilicet ac ſempiterni. Ad hæc homo, fratrem hunc Ægidiũ nos ſanctum inter nos hominẽ ac Deo charum ſemper exiſtimauimus. Non ſunt in toto terrarum ambitu, tres eo meliores, inquiunt. Idque te noſſe volumus. Qui ad huius ſepulchrum, miſericordiã implorarint, potentem eſſe eum experientur, apud regem cœlorum orando opem & auxilium ferre. His dictis, Ægidium excipientes, ad planitiem quandam herbidam, floribúſque odoratis vndique virẽtem ac pictam cùm deueniſſent, homo qui ſequebatur, cernebat innumeram multitudinem, in ſtolis tum cãdidis, tum purpureis Ægidii aduentui gratulatum venientem, turmam quoq; copioſam virorum inſtituti prædicatorii veſte indutorũ, qui quodã more cæteris præire in obcurſum eius feſtinabant. Quod cùm homo ille admirabundus conſpiceret, accedẽs ad treis adoleſcenteis, Obſecro vos, diuini ſtatores, aiebat, quænã turmæ ſunt iſtæ, quæ fratri Ægidio tam lætæ obcurrunt? Et nuncij iſti qui præcedunt, angeli ſunt & cęteri beati, turma verò illa præfeſtina, monachi ſunt prædicatores, ex quibus, quã ipſe multos, ad id vitæ

inſtitutũ diſciplinámq; deduxit. Omnes autẽ hi honoris cauſa conuenêre, vt fratrẽ Ægidiũ nobiſcũ Domino repreſentent. In hæc verba excitatus homo, dum lætus viſum reputaret, audiuit in cœnobio prædicatorum tintinnabulum pulſari diutiuſculè, vt ſolet in obitu monachorum. Tum ille vocata vxore, Eia, inquit, coniux, ſurgamus; pater Ægidius modò defunctus eſt. Cui illa, & tu vnde id reſciſti? Et ille viſa narrauit ordine, & ecce, inquit, tintinnabulum inibi pulſatur. Surrexerunt confeſtim, & ad cœnobium venientes, ſancti viri examinatum iam corpus in feretro conlocatum in chori loco, quod Græca voce expeditiùs ᾠδεῖον ſuprà diximus, inuenerant, & monachos circùm affuſos lachrymis pſalmos decantantes. Iuſtis autem funebribus de more confectis, homo religioſiſſimo ſeni, fratri Ioanni Pelagio, qui noxarum ipſius, arcanam confeſſionem excipere erat ſolitus, rei huius ſeriem expoſuit, ſancto etiam viro fratri Bernardo, cuius in ſuperioribus mentionem non ſemel fecimus, Menendo quoque Suerio, d'uæ Irenes ſacerdoti, & Eluiræ Durandæ, quæ ſancta fœmina intra ſeptum ſe breuis cellulæ cohibebat, multíſque aliis idem retulit. Qui hæc i. chorus.

litteris ante me mandauit, teſtatur ſe eũdem Ioannem Stephanium ſæpe de his interrogaſſe, diuerſis tamen temporibus, an variaret, tentandi gratia, ſed cùm ſemper eadem diceret, eodémque modo, habitam illi fidem eſſe. Cúmque paucos poſt dies obiiſſet religioſiſſimus ſenex frater Ioannes Pelagius, à nobis modò memoratus, intellectũ eſt, fuiſſe eum fratrem illum alterum, quem cæleſtes nuncij ſe paulo poſt Ægidium euocaturos ſignificarant. In ſuperioribus diximus, ſanctum virum ſocio fuiſſe nonnumquam vſum fratre Andrea medico, viro docto & graui. Hũc ſicut mortalis vitæ & actionum habuerat teſtem, ita quoque adeptæ immortalitatis & gloriæ voluit ſpectatorem efficere. Nã die quadam leuiter ſopito, poſt matutinam ſynaxim, vultu pulcherrimo, & ſplendenti admodum facie, albiſimíſque veſtibus apparuit, illúmque renidens compellare videbatur. Ad quem Andreas, Ecquid pater Ægidi, nónne mortuus iam es? Et Ægidius, Ne erres, inquit: nequaquã enim mortuus ſum, ſed viuo, & nunc relicta Scallabi, vado vt per oppida & pagos circumquaq; verbum Dei prædicem, quibus dictis abſceſſit. Intellexit frater hiſce verbis, nõ modò gloriæ viri Dei certiorem ſe fieri, verùm admoneri etiam of-

ficii quod fortè lentiùs exſequeretur.

Eluiræ Pelagiæ viduæ,ſanctæque conuerſationis mulieri, quæ habitabat Scallabi ad D.Nicolai,non diſſimile ſuperioribus viſum contigit ſtatim poſt obitum ſancti patris Ægidii.In atrio cœnobii Scallabitani è regione tumuli eius, cernebat ſcalam latam atq; erectam, & ab atrii prothyro, ad cœlorum vſque altitudinem pertingentem, & in gradibus ſcalæ non longè à terra, duos angelos mirabili pulchritudine prefulgenteis:in imo autem ſcalæ pede, videbat ſanctum patrem Ægidium,& ſanctum Dominicum Cubenſem, magni patris Dominici diſcipulum, & cœnobii Scallabitani conditorē,cuius priori volumine mentionem fecimus, qui ante Ægidium pluſculos iam annos vita ceſſerat, ſtanteis multo auro purpuráque indutos,audiebátque angelos in hunc modum eos adloquenteis;Venite, fratres, accendite: vocat enim vos Dominus. Illi ita appellati, alter hinc, illinc alter, dextros pedes ad gradum terræ contiguum admouerunt:& apprehenſa ſcala feſtinanter ſcanderunt, præeuntibus angelis:in cœlúmque recepti ſunt. Hoc viſum proba illa vidua, ſæpe cum ſumma ſanctorum virorum veneratione, iucundáque recordatione referebat,ſicut per Dei atteſta-

tionem adiurata retulit, præſentibus ſancto viro fratre Bernardo, & fratre Martino Petreio, & authore hiſtoriæ huius, multíſque aliis fide dignis.

Atq; hactenus hodierna hæc narratio protenſa ſit. Nam ſequitur miraculorum ſeries lõgiſſima, quę vt auditu mira, réque vera miracula, ita dictu non tam facilia, quin ſolidũ atque ex aſſe diem requirant. Quamobrem ſi vobis ita videatur, cùm erit commodum, diem huic rei præſtituamus. Cùm erit commodum, inquit Pyrrhus. Mihi certè qui vobis non paulo ſum occupatior, vel hodie cõmodum eſt. Nam quid opus eſt procraſtinare, atque ex die ad tantam rem diem expectare? An ſi me hodie longiùs detineas, vereris ne cras non conueniam? vt de ſolo me loquar. Nam Egnatium noſtrum cùm apud te domi habeas, velit nolit, ad audiendum præſto eſt affuturus. Quid ais, Pyrrhe, inquit Egnatius, velim nolim? Ego verò quod malim, nihil eſſe confirmo: niſi tu me ex eorum eſſe numero arbitraris, qui noſtro hoc ſæculo diuis bellum indixêre, eorúmque rebus geſtis, per impietatem, fidem abrogãt. Equidem excepi ego, non cẽſeo, Egnati, locutum ita Pyrrhum, vt tantæ huic temeritati, aut potiùs inſaniæ ad finem te exiſtimaret: neq;

enim æquum faceret: ſed fortè quaſi qui ex diuturna longæ concionis ſeſſione oſcitabundi ſurrexerunt, ad æquè longam alteram pigriores efficiuntur, niſi interuallo dierum ad audiendi appetentiam hilaritatémque reficiantur; ſic quoque lōgiuſcula narratione, tuas delicatas aureis interſtitio gauiſuras opinatur; tametſi hoſpitij gratia dicturo, eas alioqui vel ingratas, ſis præbiturus. Eia, inquit ille, ſi tertius hic me pupugit; tu apertè perge σκώπτειν, vt ferè in me ſoles: quin omiſſis dicteriis & alluſionibus cras te ad dicendum compara: nam ego ad digniſſimas auditu res oſcitare non ſoleo. Nec tu obiicere potes, vbi te dicēte delicatè, fuerim faſtidioſus, aut ad cordatam cuiuſquam concionem parum ſederim attentus: niſi tu vis ad inconditos blateronum quorundam clamores, ſine arte, ſine vllo ſale, auribus meis abutentium, etiam de auritorum grege me facere. Facetè tu, inquam, Egnati, vt ſemper. Atque de his amplius. οὐδὲ γρῦ. Nos te, Pyrrhe, in craſtinum expectamus.

i. vituperare.

i. nihil plane.

LIBER TERTIVS.

De miraculis D. Ægidij Scallabitani poſt illius tranſitum.

DILVCESCEBAT poſtridie, & iam nunciatur adeſſe ad veſtibulum Pyrrhus. Intromiſſo igitur, pape, inquam, tu nobis antelucana iſta diligentia, vt video, inſultatum aduenis, Pyrrhe. Id quod res eſt eloqueris, inquit ille, ſed vbi nobis Egnatius? Eccum, inquam, tibi etiam dum ægrè ſoporem ab oculis detergentem. Sed vidéſne, Pyrrhe, vt matutina hæc ſerenitas ad deambulationem inuitat? Video, inquit ille, verùm quorſum id? Villula, inquam, noſtra, vt ſcis, duobus nődum millibus hinc abeſt, amenula eſt, nec eò itér inamenã. Illic quando es tu nobis hodie daturus, ſiue circũ fontem in ſtibadio, ſiue in herboſo ceſpite, vbi per maſtos aqua ſalit in lacum, ſemoti ab interpellatoribus, quæ reſtãt de Ægidio, com-

modiùs & iucundiùs abſolueremus. Dixiſti, inquit ille, pulcherrimè, & quod moniturus ipſe eram, anteueniſti: eóque vt noris, libentiùs ac ſponte magis, quo & vtiliùs, & diſciplinæ noſtræ placitis, congruentiùs. Nam ſi quid medico credis, non parum iucũdæ firmandæque valetudinis rationibus id conducit, & vrbano depellendo *veterno*, honeſta hac voluptate reficitur animus, reditúrque alterna remiſſione alacrior. Adhuc dicẽtem intercepit ſuperueniens, Egnatius, & perorare te, inquit, non ſinam, medice: nos ad villam imus. Ire vel non ire pedibus, an equitãdo, ſit cõducibilius, apud te ipſe videris: ego certè mula vehar, & quidem baſilicè. Vos ſi mihi à pedibus eſſe vultis, tanto ferar faſtũ ſuperbiore. Equidem, inquit Pyrrhus, ita cẽſeo: ſed ὦ βασιλεῦ, cur non ſalutas? an tantùm iracundum te regem ſumus habituri, non etiam ſalutarem? Minimè, inquit ille: ſed vt è lecto, ſemiſomnis ſurgere ſum coactus, non ſatis animum aduerteram, & alioqui noſtrã ſalutem morari medicos non putabam. Auferte cauillationes, inquam, & ſuũ munus, itineri ne præcipiatis. Quibus dictis, lento gradu, per viam iucundè fabulantes, deuenimus ad villam, & libato breui ientaculo, ad fontem conſcendimus. Quem cùm Egna-

Veternus: eſt genus morbi ab ocio cauſatus aliquando.

tius intentiùs contemplaretur, ac taceret; videris, inquam, ô noſter, aliquid parturire. Tum ille, vt eſt ad carmina pangenda prompto peruelocíque ingenio, ita me digito demonſtrato cœpit.

Potitat hoc liquidas de fonte, ſuauiter vndas
Hic, iubar eximium, ordinis, ecce, ſui.
Quæ poſtquam tanti ſubierunt iura Magiſtri
Caſtalis hæc vnda eſt, Theſpiadumque locus.

Et villam intuitus addidit.

Mollem ſeceſſum portum placidumque laborum,
Hæc præbet cunctis villa beata bonis.
Hunc amat ille locum, ſecureque otia vitæ
Quem nec liuor edax, ambitióve tenet.

Admirabiliter his verſiculis cùm nos Egnatius hilaraſſet, eíque nos viciſſim dictum σοφός acclamaſſemus; ego tandem ad meum me penſum abſoluendum comparaui. *i. prudẽter.*

Et miracula, inquam, Pyrrhe ac Egnati, quæ verè & propriè nomen hoc ſortiuntur, docti ac pii homines, à ſolo Deo fieri proficiſcíque, nobis tradiderunt, qui ſolus præter totius creatæ naturæ ordinem, poteſt agere pro arbitrio & poteſtate. Facere nihilominus dicuntur & angeli, & ſancti homines, quando vel miniſterio, imperante Deo funguntur, vel ſua benignitate Deus illorum deſideriis gratificatur. Taceo quædam quæ

miracula nos putamus, facta vel à dæmonibus, vel à magis nequámque hominibus. De quibus ſi quid deſideratis, mittã vos ad partem primã voluminum diuini Doctoris noſtri Thomę Aquinatis. Quod ad præſens negotiũ attinet, ſanctos viros dicimus miracula facere, quoties ea Deus ad illorũ preces & deſideria operatur. Quod quidem tãto faciliùs diuina largitur bonitas & clemẽtia, quãto hi vel intẽſiori virtute, vel ardẽtiori charitate, idoneos ſe ad diuinitatis iſtiuſmodi participationẽ, præſtiterunt. Hoc cùm etiam in hac vita multis contingat, abũdantiùs tamẽ & excellentiùs Deus, iam mortuis, tribuere dignatur. Si enim cùm adhuc peregrinarentur & exularent, tantũ apud illum poterant, quanto poſſe magis credendi ſunt, poſteaquam depoſita mortalitate, in patriam recepti, vehementiùs & coniunctiùs per beatitatis adeptionem illi adhæſerunt? Niſi vſque eò dementiſſima temeritate inſaniamus, vt eos modò cum Deo regnantes, vilioris conditionis ac valoris exiſtimemus, quàm fuerant, nondum vitæ inſtabilis peracto curriculo: quo nihil poteſt cogitari dementius. Nos itaque ſuperiori ſermone multa quę noſter Ægidius etiam viuens fuerat operatus, cùm perſecuti iam ſimus, ad illa nunc

Qualiter ſancti viri dicuntur miracula facere.

Noſtri ſæculi praui mores notãtur, quo ad ſanctorum venerationem.

orationem conferamus, qnæ poſt mortem ſiue ipſe, ſiue pro eo & per eum Deus edidit. Scio ego quàm multos calamitoſa tempeſtate hac, in vniuerſum diuorũ cultum proieciſſe, alios retinuiſſe quidem, leuiore tamẽ affectu ac tepidiuſculo: parúmque propterea miraculorum ab iis patratorum ſtudioſi potiùs tempus tererent, inculcandis diui huius, aut illius peregrinationibus, ſapienter dictis, fortiter factis, Apollonianum Philoſtratum imitati, quàm recenſendis mirabilibus, quæ per illorum interceſſionem, operatur Deus, vt obiter Deſiderium Eraſmum, amicum meum, perſtringam. Excepit Egnatius amicum, certè id quod eius epiſtolæ ad te aliquot, & quidem honorificentiſſimæ, nobis declarant. Sed malam videris illi vita functo gratiam reddere, cuius te viui perquam amicum ſtudioſúmque noueramus. Non reddo, inquam, Egnati: nam, vt ais, & viuum propter eminẽtem hominis eruditionem in humanioribus inquam litteris, dilexi, atque id neque obſcuris ſignificationibus, neque ſemel ſatis, vt arbitror, oſtendi, & mortui memoriam nec ſine Chriſtiana charitate vſurpo, & illius me ſcriptis adiutũ ingenuè profiteor, & habiti mihi ab eo honoris non ſum immemor, neque in illum ingratus, & quas ais epi-

ais epiſtolas ipſius manu ſcriptas , vt iucundum hominis μνημόσυνον apud me ſeruo : verùm ſicubi pugnare cum pietate videatur, ſicubi aut parum attentè, aut parum religioſè de rebus religioſis loquatur, ſicubi eccleſiæ catholicæ placita videatur conuellere, non reſcindit amicitiam, nec malam reddit gratiam qui religioni ſe plus debere meminit, quàm priuatæ amicitiæ. Et in Chiliadibus eius credo vos legiſſe copioſè expoſitum Periclis, δεῖ με, ἔφη, συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν ἡμιπληξίαν, quo ſignificatur, amicis commodandum obtẽperandúmque, verùm vſque ad aras, videlicet ne amicorum cauſa, numinis maieſtatẽ lædamus. Vtinã in eo nihil deprehẽderetur, quod nos non probare cogeremur! Sed in tanta ſcriptorum ab eo mole, ſicut multa vtique malitioſè reprehenſa à nonnullis ſunt, & affectu ſtomachi magis, quàm meritò, cauillãdi anſam quamlibet, & leuiculam occaſionem captantibus, quaſi paribus paria referre ſtuduerint, homini qui ſuapte natura naſo, & acrioribus ſalibus, ſtylum in ſæculi huius mores nec ſemper intra modum, exacuerat: ita rurſus non pauca eiuſmodi ſunt, quæ, etiam iurati in amicitiam eius, nullo modo poſſint, neque inficiatione, neque tergiuerſatione defendere,

i. monumentum.

k

neque ſanè debeant, ſi piorum nomen & opinionem, apud ſemetipſos tueri velint; ſed iſthęc alij. Mihi propoſitum eſt, miracula Ægidij noſtri, nõ ad oſtentationem ſcribere, ſed eo cõſilio, vt qui legerint, hominem magica ſuperſtitione ac deliramentis contaminatum, & eiurata religione pollutũ, è diaboli poteſtate reſiliiſſe, nec reſiliiſſe ſolùm, verùm in tãtam etiam Dei amicitiam coniunctionémque deueniſſe, vt monſtris diuinis, ac prodigiis pulcherrimis, tum in vita, tum poſt mortem, nomen eius illuſtraretur: hi ampliùs Dei bonitatem prædicent, ampliùs ament, & fidentiùs à peccatorum tenebris, ad lumen gratiæ, à fraudibus ad veritatem, à ſignis dæmonicis, ad Chriſti vexillum crucémque transfugiant.

Incipiam autem ab inſignioribus. Inſigniora verò dico reſpectu noſtri, ac facultatis naturæ. Nam ſi tantùm infinitatem, & facientis potentiam reſpiciamus, omnia eſſe paria, nec aliud alio maius, reperiemus. Infinitæ enim Dei potentiæ non hoc magis arduũ eſt, quàm illud, neque hoc illo facilius: ſed dixit, & facta ſunt: vocat ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt, & pari modo nutui & imperio eius obediunt. Quare conlata hæc ad immenſam eius potentiam, nihil miri habent,

S. Tho. pp. q. 105. art. 8.

ſed minima illi ſunt omnia, neque miracula dici poſſunt. Nos tamen ex comparatione facultatis naturæ, quæ in hoc, quàm in illo magis exceditur, miraculorum præſtantiam intelligimus, inter quæ mortuorum reſuſcitatio nobis valdè eſt admirabilis ac ſtupenda, vt minus iam indignemur, à Philoſophis etiam Stoïcis, Paulum Chriſtum reſurrexiſſe Athenis diſſerentem περμολόγον καὶ ξένων δαιμονίων καταγγελέα vocatũ hoc eſt nugatorẽ, & abſurdorũ deorũ annũciatorem, & à Feſto præſide inſanire exiſtimatũ, quòd ea quæ docebat, neq; cum naturali philoſophia, neq; cũ humana omni ratione cõſentirent, imò vt dici ſolet, ἐκ διαμέτρου diſtarent. *actuum c. 17.* *i. ex diametro.*

Igitur vt ab ipſius Ægidii patria & cognatione initium capiamus; apud Thermas Alaphoenſeis, nobilis matrona, Domna Theraſia Martinia, cõſobrina beati Ægidii, vxor Roderici Alfonſij, Caponis cognomine, equeſtris ordinis viri, domi ſuæ tanquam ad optaticium nutriebat Petrum puerũ, filium Laurẽtij Alphõſij Caponis, leuiri ſui. Is puer vnà cum altero puello ſuo conſanguineo, cùm infantili ſimplicitate, ad thermas appropinquaſſet, ambóque ad crepidinem lacus balinearum ſatis profundi, per gradus incautiùs luderent; ceciderunt in aquam:

Petrus omnino ſubmerſus eſt: alter cùm adhuc iuxta gradus ſumma aqua fluitans, nunc innataret, nunc mergeretur, à ſuperuenientibus quibuſdam ſemianimis extractus eſt, & pro mortuo domum ad ſuos delatus, ſuſpenſus itaque per pedes, hauſtam aquam paulatim euomebat. Petrus autem in imo ſubmerſus, horæ vnius ſpatio delituit, donec puer ille alter & ſenſum & loquelam recuperauit, paruo accepto ex aquæ calore nocumento, quòd in ſummo lacu ex aëris perflatu tepidior efficitur; & quòd ante noxam ſublatus eſt. Qui interrogatus, vbi ſocium Petrum reliquiſſet, ſe ambos dixit, per gradus lacus cecidiſſe: quid de illo factum eſſet poſtea, ſe neſcirè. Cucurrit ad thermas famula quædam, & ex radiis ſolaribus perſpicuam aquam inueniens, vidit Petrum in fundo iacentem. Eiulatibus ergo, & muliebri vociferatione rediens exanimata, quod erat retulit. Adcurrerunt multi ad lacum, & cùm vehementem aquæ calorem vererentur, (natura ſiquidem tam calida eſt, vt in ea & oua coquantur, & gallinæ, anſeréſque ſine vllo negotio plumis pinníſque nudentur;) ſacerdos quidam nobilis, Domini Iuliani filius, ſe exuens deſcendit per gradus, apprehenſúmque puerum extraxit non modò iam mortuum, verùm fa-

cie & tota corporis cute denigratum,ac liuidum, & fermè ſemicoctum. Hoc vbi Theraſiæ nunciatum eſt, clamoſa lamentatione & ipſa deuenit; vidénſque mortuum puerum, quem tenerrimè diligebat, ſuper illum procubuit,tundens pectus,capillum vellens, radens vnguibus genas, & præ dolore terram mordens. Cúmque à circumſtantibus,ne indecenter ageret, admoneretur,conlegit ſeſe, & flexis humi genibus, ô Domine, inquit, pater frater Ægidi,ſi ſanctus & Deo dilectus es,vt te certò eſſe credebamus, da mihi puerum hunc,quem pro filio educabam. Credo enim & confido, modò velis, poſſe te mihi eum viuum reſtituere. Vix finierat, cùm puer præter omniũ ſpem cœpit hiare, & ore aquã reiicere. Et poſt paulum,apertis oculis clarè loquens, matrem ſuam appellauit & altricẽ. Admirationem & gaudium cunctorum, tacente me coniicere poteſtis ipſi. At pater viuum vidẽs puerum,Tibi pater ſancte,inquit, Ægidi,& ordini prędicatorum,puerum hũc deuoueo, ex méque emancipo,vt vbi per ætatem redditæ à te vitæ licuerit, religioſam ſeruitutem ſeruiat. Tradidit ergo filium litteratori: deinde Scallabim veniẽs,cum multis equeſtri loco viris, amicis & conſanguineis, qui miraculi teſtes fuerãt,ad ſepulchrũ

Mortuus reſuſcitatur meritis & interceſſione. B. Ægidii.

S. Ægidii præfecto cœnobii fratri Dominico Calarogitano, diui Patris Dominici conſanguineo, præſentibus cœnobitis puerum obtulit, & totam rei geſtæ ſeriem expoſuit. Fuerunt præterea tāti miraculi teſtes, Domnus Iulianus, ſacerdotis prædicti pater, qui puerum defunctum in manibus tenuit, & ſacerdos idem qui eum de lacu extraxerat, Domna quoq; Theraſia antè dicta, & Domna Maria Sarriana, pueri mater, & vniuerſa circumquaque vicinia. Puer autem, quoad poſteà vixit, pallida ac decolore fuit facie, tametſi bene valeret, in ſignum credo iis qui non viderāt, quaſi pallore illo ac decoratione, geſtū miraculum proclamaret. Cùm ad iſta ſtupuiſſent auditores mei, & in cœlum gratias agentes manus extollerent, Audite, inquam, minùs operoſam, non minùs tamen miram, mortuorum duorum ſuſcitationem.

Oliſipone in parœcia D. Iuſtæ puer nobilis cùm grauiter ægrotaret, ſero quodam, morbo inualeſcente, ſpiritum exhalauit. Cuius obitum & auia, quæ illum vt ſummas delicias ſuas diligebat, & parentes vltra modum mæſti lamentabantur, & iuxta cadauer pernoctantes, acerbo planctu diem expectabant, vt munus ſupremum dilecto perſoluerent. Intereà tintinnabili pulſu dato apud

cœnobium prædicatorum, ad ſynaxim matutinam ſigno, circumſtantiam animos tetigit religio, ſubiítq; recordatio cum fiducia, meritorum ſancti patris Ægidij. A cœnobio igitur ſuppliciter accerſiti, qui ſancti viri reliquias afferrent : has cùm frigido cadaueri appoſuiſſent, & orantes cum lachrymis aliquandiu expectarent, reſumpta ſubitò anima rediuiuus ſurrexit puer, cui parentes & vniuerſa familia pro expectatis iam ſolis funeralibus, ſoteria in prædicatorum templo, exorta die celebrauerunt. Perhibuêre miraculo teſtimonium, tam ipſi, quàm turba vicinorum frequens, officij gratia ad eos congregata. A quibus cùm rem ordine accepiſſent viri graues, frater Petrus Vernandius, & frater Paſchaſius, eam ipſi patrum fratrumque congregationi retulerunt.

Defunctus reſuſcitatur. B. Ægidii meritis.

Apud Sthermociũ, nobile ac vrbi noſtræ vicinum opidum, iuuenis quidam cùm valida infirmitate correptus & attenuatus, morbo ĩgraueſcẽte defunctꝰ eſſet, lõgoq; ſpatio à parẽtibus cõploratus, tandẽ pollinctoribꝰ eſſet traditus, vt ablueretur, & funebria exequięq; pararẽtur, matrona nobilis Dõna Anna defũcti parẽtibus vnici morte cõſternatis cõpatiẽs, ĩgreſſa eò eſt, afferẽs particulã quã dã corporis ſancti patris ægidij, quã apud ſe

veneratione ſumma, tãquam pretioſũm theſaurum cuſtodiebat. Et accedens ad cadauer defuncti religioſa, venerabunda Ægidium implorans, mortuo impoſuit. Mira res. Surrexit continuò adoleſcens viuus ac valens, & poſt expletam parentum paulo antè deſolatorum, lætitiam, fidémque factam, ad miraculi ſtuporem concurrenti frequentię, iter Scallabim adcelerauit cum ſuis: & ſepulchro ſancti patris affuſus, coram fratre Alfonſo, fratre Ioanne Suerio, fratre Ioanne ſancti Iuliani, fratre Martino æditituo, fratre Ioanne Scallabitano, aliiſque non paucis, miram hãc anaſtaſin, enarrauit. Ego, inquiebat, cùm mortuus eſſem, adſtare mihi venerabilẽ patrem Ægidium in prædicatorum habitu aſpexi, qui meam à corpore ſeparatam iam animam imperio ad me reduxit: & ecce viuo, meiq; patroni in præſentia omniũ veſtrûm magnitudinem effero, cui ſecundum Deum hanc me gratiam debere profiteor.

Mortuus reſuſcitatur.

Patres cõuentus Scallabitani, nominantur.

Intelligitis, opinor, Ægidij noſtri excellentem in ſuſcitandis mortuis poteſtatem. Reſtant nunc illa quæ minus ſtupenda vulgò putantur, quæ tamen eadem ipſa excellẽs vis & poteſtas diuina, pręter ſupráque naturam, operatur. Ipſa eadem die qua ſanctus pater carnis vinculis eſt laxatus, anniuerſario vide-

licet Dominicæ aſcenſionis, cùm ciues omnes ad iuſta ſoluenda, ſe ad cœnobitas contuliſſent, quidam Martinus Cõſaluius Quecha, qui ad portam vrbis Punico vocabulo Thamarmam dictam habitabat, rei ſuæ familiaris negotio quodã ſancti viri exequiis antelato, extra vrbem perrexit, ſed ſubitò inuaſit eum peſtifer & acutus anginæ morbus, ac intolerabilis faucium ac pectoris dolor cum nimia læſarũ partium inflatione, in tantum vt intercluſo & illiſo ſpiritu, penè ſtrangularetur. Ad iſtum modum ſæuo cruciatu ingraueſcente malo, tactus religione homo, cœpit ſe redarguere, ſuóque ipſius merito quod patiebatur, imputare, quòd vnus ex omnibus ciuibus ad funus diuini hominis, & veræ patriæ parentis ire neglexiſſet, & in publico ciuitatis luctu rei domeſticæ, nec ſanè magnæ, curationem in craſtinum ſaltem non diſtuliſſet. Vecordiam ergo & contemptum ipſe ſuum incuſans, iunco quem fortè reperit, collum circumuinxit, votóque ſe obligauit, in hæc verba: Si frater Ægidius ſanctus, & Deo dilectus eſt, ipſe me dignetur à preſente hoc mortis periculo liberare, & ego ceream faculam, ad iſtius iunci longitudinẽ, ad ſepulchrum eius deferam in redditæ mihi ſanitatis teſtimonium. Finierat & ſpiritum

liberè traxit, & guttur ac pectus ſenſim detumuêre, paruóque temporis momento omnino morbus erupit: & qui malo victum ſe modò putabat, eo mirabiliter iã leuatus, DEO & ſancto viro Ægidio, gratias agendo non ſatiabatur. Venienſque ad tumulum poſtridie, votum ſoluit, & hiſtoriæ noſtræ ſcriptori, ſimulque fratri Dominico Abonemario, & aliis, quod ſibi acciderat, enarrauit.

Aliud recēſetur miraculum. Eadem quoque die Scallabi ad D. Stephani ſacellum huiuſcemodi res contigit. Petrus puer Michaëlis Graini filius tã graui ictu fuerat paucis ante diebus in capite percuſſus, vt ei à chirurgo duodeuiginti oſſa, caluariæque fragmenta extracta fuerint, & ipſius caluariæ ad futuras detegendas inſpiciendáſque, variis locis inciſa cutis. Procedẽte inde tempore, cùm noxa iam in anguſto eſſe deſineret, puer ex ſaneſcendi meliore ſpe factus negligens, inquietudine puerili minùs & à motu, & à manibus temperabat. Nam irritato malo inciſiſque venis, ſanguis per nareis in tanta fluebat abundantia, vt ſuppoſitis viciſſim manibus, ad recipiendum indeſinenter decurrentem, mater non ſufficeret. Quæ in tanto vitæ filii diſcrimine, tantáque ſui ipſius conſternatione poſita, ex inopia cõſilii, vt eſt ſolers in anguſtiis humana mens, ad

diuinam petendam opem, animum excitauit, & reuocato in memoriam Ægidio, qui tumulatus ea die fuerat, mittebat qui ſumma velocitate ſaltem de tumulo terram afferret. Superuenit in hæc virgo quædam conuerſationis innocẽtiſſimæ, eximię ſimplicitatis, & fidei ſpectatæ, Dominica Martinia Thomarienſis, quæ apud pueri parenteis hoſpitabatur, quæque eadem ipſa die, beati viri ſepulturæ interfuerat, & de ligneo feretro quo fuerat conditus, ramenta quæpiam puluiſculúmque, non minimo tentantis idem turbæ negotio, aſſeruarat. Quæ vbi hoſpitum anxietatem, & in ędibus tumultum muliebrem animaduertit, illud quidquid erat, matri pueri obtulit apponendum. Tum ſimul omnes vt aderant, clamorem tollentes, Ægidium inuocarunt, nequaquam fruſtrà. Nam protinus ebullientis ſanguinis fons exſiccatus eſt, & puer præſentis mortis periculo liberatus ſtatim conualuit: quem mater ad ſepulchrum ſiſtẽs, horum ſcriptori geſtorum, & cœnobitis aliis grata & pia narratione miraculum retulit.

Alanokerca, Allanquerium vocatur.

Apud Alanokercam, aut ſi mauultis, vt vocat vulgus, Alanquerium honeſta quædam mulier cùm de iumento quo vehebatur, decidiſſet, fractis lumbis magnam ac

notabilem corporis debilitatem incurrerat; vt per integrum annum decumbens, per ſe de lecto ſurgere non valeret. Quam cùm matrona quædam ex vicinia pietatis cauſa viſitaſſet, eíque conſuluiſſet, vt plena fide venerabilem patrem Ægidium inuocaret: perſuaſa mulier virum Dei affectu ſummo cœpit inuocare, ac mox ſeſe à ſua infirmitate ſenſit penitus liberatam. Incolumis ergo facta, itinere diei vnius Scallabin venit ad ſepulchrum ſancti viri, ibíque quod ſibi contigerat, fratri Ioanni Suerio, & fratri Velaſco, vberrimo fletu miráq; pietate expoſuit: complureíſque mulieres quæ tunc in templo aderant, ad religioſas lachrymas excitauit. Eadem poſtea mulier, cùm aliquando in altiſſimo ſolario ſederet, minùs cautè in caput cecidit: ſed cùm ex beneficij prioris memoria frequentiſſimè in ore Ægidij nomen haberet; cadens, Sancte, inquit, pater Ægidi, ſerua me. Accurrerunt ad iacentem in terra homines aliquot, & quam ex tanto caſu fractis ceruibus & ſparſo cerebro credebant ſe mortuam inuenturos, viuam atque incolumen repererunt.

Vltra caſtrum Maruanum, quod ſitum eſt in monte Herminio, oppidum eſt Valentiæ, quam vocant, Alcantare: ibi in familia Ioan-

nis Petreii, viri nobilis, puella Maria Dominica, Mariæ Sueriæ Scallabitanæ conſanguinea, correpta eſt grauiſſimo carbunculo, quē vos, Pyrrhe, mauultis Græcè anthracem appellare, malo acri, & quod triduo ſe grauatos auferre ſoleret, ſi Plinio credimus. Is inter ſcapulas ortus, duritie & inflammatione in ceruicem & fauces ſerpens, eliſo ſpiritu, ad mortem vſque afflictabat puellam, quæ tertium iam diem loquelā amiſerat. Quod cernens patronus eius, flexis humi genibus lachrymans, ita adorauit. Domine pater Ægidi, concede, quæſo, miſeræ huic puellæ ſalutem, ne ex ſæuo hoc malo moriatur, & ego ſepulchrum tuum cereis, in teſtimonium ſalutis per te datæ, colam. Emiſſo voto ſubitò crepuit carbunculi puſtula, & totum virulētum pus foras erupit. Exinanito ingenti affecti loci ventriculo, mox cœpit puella perfectè loqui, perleui curatione perfectæ reddita ſanitati. Qui hæc ante me condidit, teſtatur, ſe vnà cum fratre Pelagio, puellam vidiſſe, & tam ab ipſa, quàm ab amita Maria Sueria referentibus audiuiſſe.

B. Ægidii meritis quædam à carbunculi malo liberatur.

Morbo ſimili correpta eſt Scallabi in parœcia D. Bartholomæi, Iuſta Menendi Ioannidæ vxor exorto in collo anthrace horribili, qui ſic occupatis quoquouerſum partibus

inſano cruciatu mulierem vexabat, vt intra biduum moritura videretur. Quare accito ſacerdote, & facta in vniuerſum peccatorum confeſſione, imminentem ſibi mortem in horas ſingulas reformidabat. Vir autem eius dilectæ ſibi coniugis periculo anxius, conſcenſo equo feſtinus ad ſepulchrum ſancti viri acceſſit, & procumbens humi cum lamentis opem vxori precabatur: inde pauxillum terræ de ſepulchro accipiens, domum reuertitur, puluiſculúmque in linteolo vxoris collo alligauit. Continuò vitium illud quo interitum minabatur, extincto penitùs dolore, deſiccatum eſt, & mulier deſperatam ſalutem ſubitò adepta. Nec illa diſtulit opitulatori gratias agere. Nam venit ſtatim ad monumentum cum oblationibus & candelis: & conlatum ab Ægidio beneficium teſtata publicè eſt.

Morbo qui lupus dicitur, aut ignis D. Antonii laborãs quidã, per B. Ægidium liberatur.

Martinus Ioannides ſacerdos eccleſiæ Bolonenſis in Portuenſi diœceſi, incurrit ſæuiſſimum ſacrorum ignium genus, quod à voracitate lupum appellat quorundam medicorum vulgus: alij honorificentiùs D. Antonii ignem, ea fortè re, quòd hic diuus huic malo peculiariter medeatur. Mihi videtur referendum vlcus hoc ad illud quod Græci θηριώμα vocant, à ferina ſæuitia, & etiam ἕρπετα

i. feritas.. i. ſerpentes edentem.

ἐϑιόμενον quoniam ſerpendo carnes ad oſſa exedat: de quo diſertè veſter, Pyrrhe, Celſus: ſed quo referri debeat, ipſe videris. Sacer ergo ignis ille ad vertebrã ſiniſtræ manus, cùm brachiũ corripuiſſet, adeò carnẽ deuorarat, vt nuda oſſa relinqueret, manumq; ab internodio iam ſepararet, & penè abciſam in terram pendulam deiiceret. Cúmque fœdum vlcus & malum indomitum vlteriùs ſerperet à paſtis muſculis, & lacertorum penitus ad oſſa toris, decretum erat brachiũ per cubitum ferro truncare, ne ſerpens inceſſanter ignis in ſuperiora, totius corporis noxa trãſcenderet. Certò enim de brachio propter certum vitæ periculum ſtatuere, ſubmonuerunt amici, vt Ægidii opem imploraret. Flexit homo genua cum gemitu & lachrymis, vouitque ſi à peſte illa Ægidii meritis erueretur, ſepulchrum eius ſe viſitaturum. Nec mora: poſt emiſſum votum ignis ille vorax qui graſſatus eatenus in carnem fuerat, extinctus eſt, & noua caro cœpit ſubcreſcere, oſſáque brachii turpiter denudata veſtiri, & per feſtinata momenta operiri. Venit ergo Scallabim, vt vouerat, & procumbens tumulum ſancti patris, præſentibus religioſis ad viris, fratre Bartholomæo Petreio, fratre

Prope vrbem Portuenſem, pagus hic eſt.

Michaële cui cognomen erat ex pago, Citofacta, fratre Geraldo Portuenſi, fratre Petro Vitale, & Michaële Ioannide, eccleſiæ beatæ virginis ad Maruillã ſacerdote, ſeriò rem expoſuit, brachiúmque tenera ac rubẽte etiam dum carne opertum oſtẽdit. Aderat eo tempore in cœnobio frater Dominicus Calagoritanus, de quo paulo ſuperiùs mentionem fecimus. Is tunc Rector erat prouincialis, atque hæc litteris ad memoriam conſignari fecit.

Carcinoma morbus quem medici vocant, noli me tangere, curatio nibus irritatur.

Anno ferè tranſacto à beati viri exceſſu, Petro Suerio cuidam ex pago Taucio, qui à Scallabi diſtat viginti paſſuum millibus natum eſt in naſi ſummitate acerrimum carcinoma, vitium quod medicinam reſpuit. Vnde medici nomen illi feciſtis, Noli me tangere. Rectè id quidem, nam curationibus irritatur, vt diſertè veſter ait Celſus. Inflarat fœda puſtula totam faciem, & circà locum recuruatis venis turpi aſpredine deformem reddiderat. Adiit homo Scallabim, & diuertit apud Stephanum Nonium & Domnam Gaudinã in parœcia beatæ virginis ad Maruillam. Adcitus eò Martinus, nobilis tunc chirurgus, ſubtiliſſimo ſcalpello eradicare adortus, vſque adeò nihil profecit, vt agitando magis concitãrit. Nam grauiùs facies in-

tumuit,& correptis faucibus deficiente anima,miſerum ſuffocabat. Hoſpites afflictum miſerati,portiunculã tunicę ſancti viri quam ipſorum filia Maria Vincentia tanquam rem ſacrã apud ſe religioſè adſeruabat, accipientes,ſuper hominis faciem extenderũt: & ecce repentè guttur ac facies detumuit,ægérq; reualuit, & ſequenti die,ſexta videlicet feria, pedibus domum reuerſus eſt, ſed cùm ſe ſanum penitus à tam fœdo morbo in craſtino ſenſiſſet rediit perẽdie Scallabin, ſéque hoſpitibus admirantibus exultans ipſe plenè cu ratum exhibuit: cum quibus tumulum adiit liberatoris ſui cum cereis & ampliſſima gratiarum actione. Prædicti autem hoſpites Stephanus & concurratus diuinitùs, poſtea receptis ad hoſpitium ſuum fratrem Pelagio Penſo,& ſocio fratri Petro Crucio per ordinem illis retulerunt,obtentam Ægidij beneficio ſanitatem :à quibus omnibus conditor hiſtoriæ noſtræ ſe dicit accepiſſe.

Dicto mor bo,noli me tangere,B. Ægidii me ritis quidã ſanatur.

Chirurgo huic Magiſtro Martino bono fuit experimento didiciſſe, vt præualeat diuinitatis imploratio humanæ opi,quantumlibet magnæ. Equitabat aliquando pari gradu, cum altero cuius equus natura inquietior fremitu & laſciuia colloquium chirurgi interturbabat. Seſſor laſciuientem caſtigare

cupiens,retraxit lupatorum habenas,& lateribus impreſſit calcaria paulò inconſultiùs. Nam ſtimulatus equus ferrato recens calce, pedem chirurgi ad talum prævalida impreſſione alliſit. Ex qua cùm vehementer pes intumuiſſet,& homo tã graui dolore torquerẽtur, vt neq; dormire neq; ſaltẽ quieſcere in lecto poſſet,&neque à ſe,neque ab aliis ſibi adhibitis medicamentis, vel minima parte mitiùs doleret; ſpreto tandem artis remedio,ad Ægidij,quam Petro illi viderat profuiſſe, opem implorandum,ſe conuertit. Fecit ſe ergo amicorum manibus in ſella portari, & ſedens in terra pedem enormiter tumentem extendit, ſubmiſſa voce auxilium expetens. Nec ſpe fruſtratus eſt: continuò ſiquidem cœpit pes detumeſcere, & dolor qui diu vexarat, conquieuit. Interea cùm multum populum qui in templo erat, diſcurrere ad rem diuinam tunc facienteis animaduertiſſet,experiri & ipſe voluit, an quoquomodo ad quodpiam ex altaribus accedere valeret,ſed ſurgere meticuloſè nitenti non modò pes ceſſit, verùm penitùs etiam tumore compreſſo,& fugato dolore, vertebráque correcta per omneis aras currebat, gratias Deo ac ſancto patri ſanus ac lætus agens,& miraculi prꝯconium faciens magna voce.

B. Ægidij interceſſio ne infirm⁹ quidã ſubito ſanatur.

Scallabi ad S. Antonium Theraſia mulier cùm diutiùs febrem pateretur acutem morbi intenſa ſemper magnitudine & humorum noxiorum multitudine, qui ad guttur in apoſtematis modum conlecti erant, penè deplorata iacebat, adeò, vt à medicis deſtituta, ea die crederetur, ſine vllo dubio moritura. Id etiam adſeuerabat frater Vilelmus loci eius non indoctus medicus, innuens circunſtantibus vt circa eam agerent excubias: procul dubio in ſequenti nocte deceſſuram. Quod audiens vicina quædam quæ portiunculam pallij ſancti viri penes ſe habebat, illam ſuper deploratæ faciem mulielieris poſuit ſtatimque motante ſe muliere quaſi afflictanter animam ageret: inſtare ſuprema ij qui aderant, exiſtimabant: ſed ecce conlectio illa ex affecto gutture reſoluta eſt, & febris omnino abſceſſit, & quæ iam iam moritura dicebatur, integram adepta eſt ſanitatem.

Morti iā proxima ſuſcipit ſanitatem.

In eodem vico, Maria Martinia quædam ex diuturna ægrotatione, rugitum aurium ac tinnitum vehementem incurrerat, vſque eò vt multo iam tẽpore neque intelligeret quæ ſibi etiã à clamantibus in aurẽ dicebãtur, neque ſomnũ niſi ęgerrimè caperet, haberetúrque pro omnino ſurda, & ex longo peruigi-

lio macilenta, non diu victura crederetur. Faciebat huic rei fidem, quòd ad illa duo mala tertium acceſſerat, noxius quidam appetitus comedendi terram. Quo adeò vexabatur, vt nullius ſuggeſtione, increpationéue deterreri poſſet, quin quotidie argillę cretęque figularis quantitatem magnam comederet. Deſperata igitur ſalus, mulierem ad religionem accendit: venit ad ſepulchrum ſancti viri, & quanto potuit, animi affectu in orationem ſe proſtrauit: ſtatímque continua aurium tonitrua ceſſauerunt, & benè dormiuit, & inſana illa comedendæ terræ eſuries, intantum ſublata eſt, vt nō modò ab ipſa deinceps abhorruerit, verùm etiam recordatione nauſearet, nec pati poſſet à quoquam mentionem argillæ vllo modò fieri.

Duob⁹ ſimul malis grauata per B. Aegidiū liberatur.

In eodem etiam vico Martinus Petreius, culcitrarius homo pauper quidem, ſed probus, & ſpiritu in Deum mirè intentus, cùm tibiam haberet valdè inflatam, & dolore vehementi affectam, ſcipione ſubnixus, vt potuit, ad beati viri ſepulchrum venit, & ſparſa de tumulo terra per grauiter affectam tibiam ſubitò ſanatus receſſit, & poſt aliquantū temporis grauat⁹ acuto lateris ac capitis dolore, ad cōpertā iam ſibi medicinā ſe contulit. Nā fuſa ad ſancti patris tumulū oratione, proti-

nus domum incolumis ac lætus remeauit.

Scallabi in parœca ſancti Saluatoris Dominica Petreia, Silueſtri Petreij ſcribæ vxori, orto in ſiniſtra manu graui apoſtematate ſupra dies quadraginta, adeò cruciabatur, vt præ vi doloris quieſcere nullo modò poſſet. Venit ad Ægidij monumẽtũ, & ſpargens ſuper manum ac brachium indidẽ terram, ſupplex cum lachrymis beatum virum orabat, vt qui non modò animorum, ſed etiam corporum in vita medicus fuerat, & multos ex medicinæ arte curauerat, multos verbo & oratione, modò cum potentior apud Deum erat ſibi ſupplici ſuæ, mederi dignaretur. Inter verba hæc diſruptum eſt ſponte ſua grauiſſimum apoſtema, & ſurgens, mulier excuſſit manum, & proiecit fruſtum carunculæ putrefactæ, & carunculam alteram lumbrici longioris inſtar, ſtatimque ſolidato apoſtematis loco ſanata eſt

Martinus adoleſcentulus horum Silueſtri Petreij & Dominicæ Petreiæ filius, frequenter à Diabolo adreptus miſerè vexabatur. Quem mater ad patroni ſepulchrum ſecum ducens, terram ex eo ad filij collum ſuſpendit materno affectu obſecrans, vt eadem pietate qua ſe aliâs peſſimè affectam iuuerat: dignaretur miſerum adoleſcentem à

malo illo horribili, liberare. Portauit adoleſcens ligatum ad collum puluiſculum: & integrum tam annum ab horrenda mali genii vexatione immunis, amuletum puluiſculi, geſtare neglexit. Quod ſentiens inimicus, atrocius eum aggreſſus, tam ſæuiter affligebat, vt bis nonnumquam in die eum conlideret ac laniaret. Comperiens mater, quòd ad collum, ſepulchri terram minimè geſtaret increpitans rogabat, ecquid de illa factum eſſet. Cúmque ille per negligentiam ſe proiceiſſe confeſſus eſſet, ſtimulata dolore mater, ad tumulum rediit, & ſumptũ ex eo puluerem, fiducia magna collo filii denuò alligauit: interminans ne abiiceret. Cauit ſibi iuuenis, & multos poſt annos à cacodæmonis vexatione, liber & incolumis ſuperuixit. Hoc eius mater ad ſanctum monimentum narrauit, coram religioſis viris fratre Dominico Pelagio, cœnobii ſuppræfecto, & fratre Bartholomæo Petreio, & coram hiſtoriæ huius Scriptore, coram etiam Laurentio Dominico, publico tabellione, & Lucia nobili matrona, & aliis.

Aliud miraculũ B. Ægidio ſtatraſis.

In parœcia S. Stephani, Maria Sueria, paupercula mulier, cùm ab apparente ſibi ſemel iterúmque dæmone, mirum in modum territa, ac nocturnis frequenter imaginibus lu-

dificatā,totum iam ſexennium,timorem cor dis continuum pateretur,penè incidit, in amentiam:id agēte cacodæmone,vt ad ſupremum ſcelus miſeram traheret & peſſimè de vita ſtatueret. Nam interdum vocari ſe ad laqueum ſuſpendiúmque cernebat, interdum omnia viſcera ab ingreſſo intrò hoſte effundi ſibi imaginabatur,nonnumquam cæſa alapis,etiam interdiu quaſi impetentem fu geret, domo foras exiliebat. Ex quibus in tantam formidinem animíque conſternationem deuenerat, vt neque color ei, neque corporis bona quæpiam ineſſet habitudo: ſed laruali pallore ac macie conſumeretur. Itabat autem ad fratrem Andream, virum bonum, ac medicum peritum, & frequenti, & ſcrupuloſa nimis exomologeſi ad tædium hæc narrando illum obtundebat. Cui cùm neque ipſe,neque item magiſter Dominicus vllis increpationibus prodeſſent, vt animum meliorem quietiorémue reciperet, tandem conſuluerunt,vt ſancti patris Ægidij tumulum frequentaret. Quod cùm illa diligenter faceret, biduo triduóque poſt obdormienti adſtitit vir beatus præclara facie habitúque pulcherrimo, Ac illa accedens, apprehenſa veſtimentorum eius parte ima, capiti ſuo imponebat, dicens.

Pater ſancte, miſerere mei, & mali genii ludibria quæ patior, à me diſpelle. Ad quam Ægidius, Abi, inquiebat, & ad meum ſepulchrum me quære. Nam ibi me inuenies. Surrexit mulier, & ſumptis cādelis venit ad monimentum, & cum lachrymis viſum retulit, exque illa hora ſe penitùs ſenſit à ſæuis his diaboli illuſionibus, liberatam. Contigit hoc nondum peracto menſe, à tranſitu viri Dei.

Aliud miraculū per B. Ægidiū patratum.

In ſancti Saluatoris parœcia puella quædam annorum ferè decem, Maria Dominica, nomine, Mariæ Petreiæ filia, graui & inſperato quodam caſu, loquendi vſum penitùs amiſerat, inſuper irruentibus in eam doloribus vehemētiſſimis; cùm neque loquēdo, quid doleret, explicare poſſet, neque ſalterij clamore & querelis dolorum ſæuitiam mitigare: tanquam furens atquē inſana corpus motans, manibúſque ſe complodens, ad mortem vſque anxietatibus affligebatur. Corripiunt puellam propinqui, & ad ſepulchrum Ægidii properant, ſequente & vtriuſque ſexus magna multitudine, puellæ nobilis vicem miſerante. Tam acriter autem vexabatur, vt putaretur priùs animam efflatura, quàm ad ſepulchrum perueniretur. Erat tunc æditiuus frater Ioannes Petreius, homo

ſimplicis & probatæ vitæ, ex eorum genere, quos monachi conuerſos appellãt. Is tumultum aduentantium cùm vidiſſet: cauſa cognita, præfecto & cœnobitis retulit, petens vt aliquis ſacris initiatus mitteretur, qui diui patris Dominici pallium mutæ puellæ atque arrepticiæ ſimili, imponeret. Cui præfectus idem hiſtoriæ huius conditor, Vade tu, ait, frater, & pallium ipſum reuerenter impone. Cúmq; iret, puellam ſuper Ægidii tumulum procumbentem inuenit, turba comitãte circumuallatã. Quare omiſſo pallio, puluiſculũ ex ipſo tumulo corripiens, illo puellæ faciem & caput manibus confricabat, partémque pulueris aqua dilutam bibendam porrexit. Quo facto penitùs ſublati ſunt dolores, & rabies conquieuit, & puella quæ diu obmutuerat, ſoluto linguæ vinculo: patris Ægidii nomen iterare non ceſſabat, gaudentibus ac ſtupentibus qui aderant, vniuerſis. Neque hoc in occulto factum, ſed coram fratre Dominico Pelagio Conimbrigẽſi, fratre Ioãne æditu o, *fratre Ioanne Alacriportuenſi*, *& authore huius hiſtoriæ*, *tunc cœnobii præfecto*, & ſupra quadraginta ex oppidi ciuibus, qui cum illa venerant, admirantibus, triplex miraculum ſubitò patratum, redditam videlicet loquelam, effugatam inſanam rabiem, & continuò

Puluiſculo B. Ægidii ſepulchri illi appoſito quæ muta erat & dolores perferebat intolerabiles ſanatur.

plenam inſecutam ſanitatem.

In eadem ſancti Saluatoris parœcia Franciſcus adoleſcens, Bartoletæ viduæ filius, fluxu ſanguinis vehementi oppreſſus eſt. Nam totos ſeptem dies indeſinenter vomere, & per nareis multum ſanguinem reiicere non ceſſans, ex abundanti profluuio moriturus credebatur, Subiecerunt matri Marina Stephani Salmanticēſis vxor, & alii quidam, vt iuuenem ad tumulum viri Dei deferri curaret. Perſuaſa mulier, filium ſuper tumulum protenſum iacêre aliquantiſper fecit: ipſa verò procumbens, vberibus lachrymis ſupplex orabat Ægidium, vt moribundo adoleſcenti opitulari dignaretur. Inde acceptam de tumulo terrulam, in os ſanguinem vomētis, immiſit cum fiducia. Protinus importunè exundans fluor ille ſanguinis coërcitus ac ſiccatus eſt, & iuuenis ſanus effectus.

Moribundus iuuenis B. Ægidii meritis ſanus efficitur.

Aliud ſimile miraculum.

Caſu ſimili periclitatus eſt puer Ioānes nomine, Petri Suerii Renuſini, nepos Martini Menendi, & Dominicæ Petreiæ in parœcia D. Irenes habitantium filius, defluente per nareis ſanguine tanto impetu, vt ſi nareis cōpeſcendi fluxus cauſa, digitis comprimerentur, vnda ſanguinis in os cōuerſa vehementiùs erumperet. Quem mater ad cœnobium

prædicatorū manu duxit,vt à fratribus Andrea & Bernardo medicis conſilium exquireret, qui duo, & vnà frater Martinus Petreius, noſterque auctor,puerum naribus & ore ſanguinem reiectantem,ac toto trementem corpore ,nec pedibus conſiſtere valentem cùm vidiſſent, ſuper eius calamitate ex ſanguinis defluuio, vt apparebat, mox perituri,miſericordia moti,dato medicinæ conſilio,iuſſerunt vt domum properaret, quódque conſuluerant,faceret. Nihilominus tamen, inquit Andreas, intra, bona mulier, templum,& fratrem Ægidium venerare,déque eius ſepulchro terram filii tui collo ſuſpende; fortè veſtri miſerebitur, pueróque ſubueniet. Intrauit,& inuento ęditųo,petiit vt terram ad filii collum ligaret. Quo facto, breuiterque deuenerata ac ſupplex diſceſſit; vt quæ medici iuſſerant,maturaret. Vix proceſſerant paſſus triginta, cúm ſanguinis ille riuus conſtitit, domúmque ſoſpes reductus puer eſt, qui exſpes ac propè moribundus, tanquam efferretur domo exierat.

Mulier Maior Pelagia nomine, iuxta eandem ſancti Saluatoris eccleſiam, cancrum habebat in ore, à quo neque à medicis cœnobii, qui benè docti & religioſi *Aliud miraculum.*

erãt,neque ab aliis curari poterat. Quæ cùm nocte quadam nimis affligeretur,tandem leuiter ſopita, videbatur ſibi ad tumulum venire ſancti patris Ægidii, ac terrulam de ſepulchro in affecto loco ponere: ac protinus oris cancro liberari. Quare euigilans,viſúmque reputans,ad ſepulchrum venit,& emiſſo in os puluere, ſubitò ab immedicabili morbo ſanata omnino eſt.

Aliud.

Conimbrigæ quidam Dominicus Conſaluius pictor, deformiter ſtrumoſus ſecandum vtrumque guttur. Martino Garcię chirurgo dederat,ſed diuturna & irrita curatione,ſanitatis deluſa ſpe,mærore ac pudore ſemicõfectus,publico abſtinebat. Atque ſtruma ſuper ſtrumam ſubinde oriente,& vomica ſuper vomicam,pérq; aperta gutturis vulnera pute continuò dimanante, eò redactus erat,vt illum etiam vitæ iam tæderet. Erat ei amicus,Bartholomæus nomine. Is cùm illum die quadam officii gratia inuiſiſſet: Agè, inquit,amice,quando humana ope nihil hactenus promouiſti,ad diuinam transfuge, ſigno crucis tot locis rupto gutturi cum fiducia impreſſo, ſanctum patrem Ægidium inuoca,cuius te meritis curatum iri non ambigas. Ad Ægidii mentionem erectus homo in ſpem,vouit,ſi eius meritis curaretur, iturũ

Strumoſus homo B. Aegidii meritis ſanatur.

ſe ad eius ſepulchrum quanta maxima poſſet religione. Voto emiſſo, eodem in loco & die ſanitati reſtitutus eſt, & veniēs ad ſepulchrū beati viri cum quibuſdam aliis, fratri Ioanni Petreio cœnobii Portuenſis præfecto, qui tunc Scallabi erat, aliiſque multis cœnobitis beneficium ſibi per ſancti patris Ægidii merita ſubitò ac inſperatò collatum, pio ac grato ſermone patefecit.

Menendus Petreius equeſtris vir ordinis gener Martinidadæ Scallabitanæ arcis Præfecti, familiariter ſancto viro cùm adhuc in humanis eſſet, notus erat. Quem cùm Menēdus vt ſanctum piè coleret & veneraretur, quadam die conqueſtus in familiari colloquio apud illum eſt. En, inquit, Pater Ægidi, tu ad extremam ſenectutem deueniſti, & naturæ ordine inſtar tibi curriculi huius termin⁹ optatus; tibi, mihi vitæq; meæ fortè incōmodus. Bono te animo eſſe iubeo, excepit Ægidius: poſt meum enim hinc exceſſum, amplius me tibi commodaturum promitto, ſi quādo precibus me pulſaueris. Igitur poſt mortem ſancti patris contigit Menendum ad mortem vſque ægrotare; ad quem cùm veniſſet Magiſter Vincentius medicus, ac de vita eius deſperaſſet, iis qui adſtabant, affirmabat, intra quinque proximos dies ſine

Aliud miraculum.

dubio moriturum. Quod audiens Menēdus, triſtis admodum effectus, pro mortuo ac deplorato, propter medici auctoritatem omnino ſe habuit: & recordatus promiſſionis ſibi factæ, O pater, inquit, Ægidi ad te confugio: pollicitationi tuæ quæſo fidem facias. Neque enim tu falſò promittebas, neque te ego, quæ à Deo voles, impetrare potentem eſſe dubito. Hac peracta precatione, vir beatus habitu ſplendenti ſeſe illi oſtendit, & vultu alacri: ſimiliſque renidenti. Eccum me, inquit, Menende, ne paue: tecum Deus eſt, qui te ſanum ex hac hora faciet. Diſceſſit Ægidius, & æger qui tantùm non animam agebat, ſe penitùs curatum ſenſit: faciénſque ſibi gallinam parari, comedit, & ſurrexit ſanus ac valens: & veniens poſt hæc ad cœnobium, ampliter obſonatus pranſus cum cœnobitis eſt, & ſumma pietate iſta retulit.

Aliud. Apud Palæopyrgos, aut ſi ob hanc nomēclaturam mihi nondum pacati eſtis Veteres turres, Turdulorum, vt antè diximus, vetuſtiorum oppidum, Iulianus puer, Dominici Petreii filius, graui morbo decumbens, cùm octo tranſiſſent dies ex quo nihil non modò comederat, ſed ne infuſum glutire quidem poſſet, citra ambiguitatem eum ipſa

iam morte colluctabatur. Anxia de filio mater, ad patris Ægidii miſericordiam affectu vehementi & lachrymis, quantum materna pietate valuit, conuertit ſe, vouens, ſi filium ſibi reſtitueret iam deploratum, eum ſe ad ipſius ſepulchrum adducturam. Emiſſo voto, puer ex inſperato de lecto proſiliens, ſanus & incolumis ad matrem venit, cibóque poſtulato refectus, ſubitó reualuit. Quem mater inter, ſtuporem & gaudium vix mentis compos protinus ad ſancti ſepulchrum miſit: ipſa verò ſecuta eſt, aſſumpta ſecum Maria Martinia, Geraldi Suerii vxore, & omnia quæ contigerant, tam ipſi Mariæ, quàm multis cœnobii ſacerdotibus, per ordinem expoſuit.

Fiſci Regii, in Conimbrigenſi nomo, ſuppræfectus, Dominicus Martinius, cùm, exigendi frumenti cauſa, quod in cellam dare aratores tenerentur, agros & areas circumiret: contigit, vt die quadam miſſis ſociis & adminiſtris cum iumẽtis oneratis in cellam, ſolus ipſe maneret. Interim ex collecto cellæ nomine frumento in capaciorem aliquanto ſaccum medimnos duos, id eſt modios duodecim infert, ac ſolus connifus ſuper grandem cãterium imponere, magnitudine põderis rupit vtrimq; ramices: ilibuſq; *Aliud miraculum.*

in ſcrotum impetu deuolutis, vehementi dolore torquebatur, ac præpoſtero pudore, ſe medicis oſtendere in animum nequaquam induxit. Verùm deducto diſtentóque indies ad enormem magnitudinem ſcroto, cùm totos iam annos quindecim cum illo morbo conflictaretur, aliquando ilia maiore vi deſcenderunt. Cúmque vltra conſuetum modum inguina propellerent, tortúſque longè actiùs, diuinam opem hoc illoc morbo querulus imploraret, ſubiit mentem miraculorũ ſancti patris Ægidii recordari. Et quanta potuit animi demiſſione, O pater, inquit, Ægidi, oſtende erga me pietatem illam tuam, quæ nunquam te inuocanteis deſtituit: conſule verecundiæ meæ, ſubueni afflicto, medere miſero, in tam diutinis doloribus conſtituto, vt auxilio clementiæ tuę curatus, ſepulchrum tuum lætus adeam, & collatum in me beneficium grata prædicatione proſequar. Reſpexit ad afflicti hominis preces Ægidius, & ſubitò pendentia inteſtina in vterum ſe conlegere, & inguinum rupturæ quaſi nodo firmo intantum conſolidatæ ſunt, vt nullum præteriti mali veſtigium remanſerit. Venit igitur Scallabim ad diem anniuerſariũ, quo celebris beati patris Ægidii agitur memoria, eiuſque mira opera & virtutes populo prædicantur:

Ruptos ramices habens B. Aegidii meritis ſanatur.

Dominica poſt aſcenſionẽ domini fit feſtum B. Aegydii.

dicantur quod fieri ſolet Dominica die, Aſcenſionis feſtum ſequente, quam diem tunc contigit D. Ioanni Apoſtolo ad Latinā portam eſſe ſacram: & accenſis cereis candelis pluſculis, orabat, Ægidio agens gratias. Quē cùm vidiſſet frater Dominicus Pelagius Conimbrigenſis, cui, communis patriæ cauſa, notus & familiaris erat, aduentus cauſam interrogauit. Ille rem plenè narrauit, præſente hiſtoriæ huius auctore, multíſque aliis tam ciuibus, quàm ipſius cœnobii ſacerdotibus.

Idem etiam retulit, quòd Conimbrigæ nō ita pridem acciderat Dominico Ioannidæ, eiuſdem regii fiſci publicanorúmque præfecto. Is beatum virum adhuc in hac vita peregrinantem & familiariter dilexerat; & conſpicuæ ſanctitatis gratia, pio cultu fuerat ſemper reueritus, eiuſque cauſa erga cœnobitas munificus ac liberalis. Impetrauerat autem à viro Dei magnis precibus, vt palliū, quod cappam monachi vocant, nouum dignaretur accipere, & quod geſtabat, vſu iam tritum, ſibi dono daret, datúmque tanquam rem ſacram domi ſuæ adſeruabat. Poſt aliquot itaq; annos à tranſitu ſancti patris contigit quendam Dominicum Petreium, vicinum ipſius Ioannidæ ab humani generis hoſte correptum inceſſanter vexari. Quam veni *Aliud miraculum narratur.*

xationem cùm occulto Dei iudicio, diutiùs miſer homo pateretur, die quadam atrociùs & ſæuiùs incubante dæmone, Ioannides miſericordia motus, pallium illud ſuper areptũ extendit, ſtatímque nequam ſpiritus ab ſęuitia deſtitit, & cum fremitu & indignatione egreſſus eſt, nec ampliùs aggredi eſt auſus. Manſit itaque homo à ſæua illa cacodæmonis tyrannide omnino liber Ægidii beneficio, in pallio quod olim geſtauerat, mirabilem virtutem ſuam exſerentis. Vtrumque hoc miraculum à Dominico Martinio ſic relatum, eadem die congregato ad audiendum populo, cùm publicè pro concione eſſet narratum, tantus concurſus ad ſepulchrum viri Dei lætis acclamationibus eſt factus, vt aliis alios impellentibus, ipſa irruentium frequentia non paucas horas permanſerit, & cancelli penitùs effringerentur.

Aliud miraculum refertur. Raimundus Gallus ex oppido prouinciæ Narbonenſis, quod Montem-pulerium, vel Montem-peſſulanum, receptiore hac tempeſtate, nomine vulgus etiam eruditorum appellat, cùm alterum ex inguinibus indecora magnitudine ruptum haberet, peregrinationémque ad D. Iacobum adortus eſſet, Cæſaream Auguſtam venit. Quo loci cùm au-

diſſet chirurgos eſſe qui omni herniarum generi inciſione mederētur:ſanitatis deſiderio,bis ſibi incidi inguē paſſus eſt. Nec ſanè inciſio multum ei profuit.Nam illinc Callęciam verſus digreſſo, ex pedeſtris itineris fatigatione omentum in affectum inguem nō modò deſcēdit,vaſtiuſq; ſolito intumuit,ſed alterum quoque tenſione maxima protuberauit.Quo malo & tarditatē inceſſus, & miſeram incurrit valetudinem. Viſitato igitur Apoſtoli conditorio, tandē in Luſitaniā venit, ſperans Oliſipone non defuturam nauē, qua in patriā veheretur. Ingreſſus autē Scallabim,cùm in ptochodocheio à miſerātibus de Ægidii potentia eſſet edoctus, ſepulchrū eius adiit, cœpitq; ob illius reuerentiā quotidie dū perageretur ſacrificiū, ſexagies orationē Dominicā recitare. Sexta ergo die finito ſacro, cùm ad ſepulchrū oraret, ſubitò ſe curatū ſenſit ac reperit, & lachrymās præ inſperato gaudio,cucurrit ad fores cœnobii, ac fratri Simeoni ianitori retulit: ille adciuit cò fratrem Menendium Doctorem, fratrem Martinum Ioannidem, fratrem Rodericum Vernandium, fratrem Ioannem Martinium, & hiſtoriæ noſtræ ſcriptorem, quibus homo rem palàm expoſuit,audiētibus oppidanorum plæriſque,qui ad lætos eius clamores

concurrerant. Poſtridie diuinitùs curatus rediit ad ſepulchrum cum cereis. Et quoniam die illa agebatur memoria tranſlationis ſancti patris Dominici, habendáque erat ad populum frequentem concio, miraculũ è ſuggeſto ex ordine eſt narratum, adſtante publicè homine, quódque euenerat aſſeuerante.

Mons peſulanus. Auſcultaui libens, inquit Pyrrhus, & ne non opportuno tempore ſermoni tuo intercederem, morámne iniicerem, ſilui: alioqui ad mentionẽ Mõtis-peſſulani aureis adrexi. Cui oppido propter medicorum ſtudiorum nobilitatem non leuiter benè volo: cuius tu nomen videris quaſi ſubuereri proferre, ceu nouicium. Quare, quæſo te, Magiſter, ne mihi quaſi oblocutori, vitio vertas, iſti de Monte-peſſulano narrationi, appendicem poſtulare, néue id moleſtè feras. Nequaquam verearis, inquam, Pyrrhe. Nam præterquam quod cum memini ego, vt apud Plautum ait ille, meæ orationis iuſtam partem perſequi, & meam partem itidem tacere, cùm aliena eſt oratio; periniuriũ ac ſæuum, iudicio meo, eſſet, præſertim in villa, mutam ac ſedentariam à vobis audiendi operam exigere. Detur hoc ſacris in templo concionibus, detur tetrico philoſophorum auditorio. Ego ita

fieri audientiam heic mihi poſtulo, vt vobis neque ſilentium imperem, neque libertatem commodę facetæue interpellationis tollam. Sed quod paulo antè dicebas, partim ita eſt, partim autem quid eſt quod verear, nouum oppidum nouo ſuæ gentis nomine appellare. Nam quod Vadianus in Melam putat id olim Agatam fuiſſe Volcarum Tectoſagum, iuxta Plinium, non ignotam vrbem, à Maſſilienſibus conditam, non neceſſe habeo refellere, præſertim durante etiamnum vico Agathe, vel vt Gallicè dicam, Agde, veteris vrbis non obſcuro & tenui veſtigio: magis tamen in ore, quatuor ferè millibus à Monte vel pulerio vel peſſulano. *Vadianus De monte peſſulano, fallitur.*

Redeamus iam, ſi placet, ad hernias. Redeat qui valet, inquit Egnatius. Mihi certè nequaquam placet, potiúſque orarem Ægidium, vt ei qui modò in eodem Conimbrigenſi nomo præfectus fiſco eſt, qui mihi ex pecunia Regia, ſtata annua nũquam niſi precario, ſæpe poſtulata, mutilata etiam parte ſoluit, grãdem herniam immittat. Ad riſum nos impulit facetoſa Egnatii nec ſine bilis ſignificatione interpellatio. Tum ego niſi paulo antè quaſi legem ſanxiſſem, Egnati, licere vobis in hac fontana confabulatione ex arbitrio ſermoni intercedere, caſtigarem pro-

fectò tuam iſtam in miſerum fiſci præfectum imprecationem: tametſi non me latet, mereri hos propè dicam eruſcatores; nonnumquã iſtiuſmodi deuotiones. Sed quod ad hernias redeũdum dicebam, ad diruptorum ſanatos ab Ægidio hernias, intellexerã. Quibus addendũ quod modò narraturus ſũ, exiſtimaui

Scallabi ad ſancti Saluatoris, Pelagius Nonius Carbonarius, vir quidem pauper, ſed fidei bonæ, & inculpatæ vitæ, cùm in alenda familiola ex continui laboris magnitudine inteſtina per inguem alterum prolapſa eſſent, eò tandem deuenit, vt operari nullatenus poſſet, quo ſuam paupertatẽ ſuſtentaret. Communicato autẽ cum vxore Maria Dominica conſilio, decreuit vendere pauca ac friuola quæpiam tenuiſſimæ, quæ tantùm ſupererat, ſupellectilis, & aliò commigrare, ne conſanguineos inter notos paupertatis opprobrio, dehoneſtare videretur. Inter pudorem igitur imminentis mẽdicitatis, & patriæ deſerendæ propoſitum, animo fluctuanti exortum repentè conſilium eſt, vt ad ſancti patris Ægidii tumulum ſe conferret, à quo afflictis ſuis rebus opem poſceret. Venit ergo, & accepto inde puluere ruptum inguem reſperſit. Sequenti nocte apparuit ei nequaquam dormienti forma viſibili Ægidius, &

impreſſo vehementiùs in ruptum locum digito, inteſtina prolapſa ſurſum conlegit, & in omentum intromiſit. Violenta digiti impreſſione ictus homo, cœpit alta voce clamare, Hei mihi, hei, frater Ægidi, interfeciſti me! Et ille, ne paue, inquit: ecce ſanus effectus es. Ad viri clamorem excitata vxor, rogabat, ecquid ſubitò accidiſſet, quòd ſic lamentaretur. Percuſſit, inquit, modò mihi frater Ægidius læſum inguem tanta vi, vt præ dolore continere clamorem nequiuerim. Et his dictis coniecta manu locum attrectauit, & penitùs conſolidatis tunicis & abdominis membrana, omnino ſanum ſe inuenit.

Idem homo cùm poſtea die quadam, ſine calceis incederet, acutiſſimum os alterum eius pedem intrauit, fixúmque nimis altè in vola, adeò læſit, vt pes totus & tali cum tibia intumuerint, & homo de lecto ſurgere ſine cruciatu non valeret. Memórq; de puluere monimenti ſancti patris ſibi alias proueniſſe medicinam, eò miſit, & puluerem dolenteis parteis, Ægidii nomen inuocans ſparſit, & ſubitò ſanatus ſurrexit, nec erubuit coram populo vtrumque hoc erga ſe ſancti viri beneficium in concione publica confiteri.

Aliud mi raculum.

Alienum a meo inſtituto vobis fortè videatur, ſi alterius, quàm Ægidii, mira opera huic narrationi interſeram. Sed ita quæ dicam modò, paulo poſt dicẽdis cõnexa ſunt, vt etiam dari mihi hanc veniam non neceſſe habeam poſtulare. Scallabi in ſancti ſaluatoris parœcia habitabat Maria Vernandia, pia probiſque moribus mulier, oriunda ex oppido Callæciæ, quod priſcis Artabrorum portus dicebatur, citeriora ſæcula Pontemueterem maluerunt. Erat ei filius, Dominicus nomine, tenerrimè dilectus, cùm quia impubes, tum quia poſt viri deceſſum relictæ extra patriam ac ſuos, erat vnicus, quo vno viduitatem ac ſolitudinem conſolabatur, huius pedem alterum peſſimum id ignium ſacrorum genus, de quo ſuprà diſſeruimus, & θηρίωμα vocari à Græcis diximus, intantum exederat, vt corruptis neruorum compagibus, duodeuiginti oſſa illi exciderint: & cùm fruſtrà medicorum artem adhibuiſſet, ſpe ſanitatis in peius indies ruente, ſpreta diu ludificante opera, diuinitùs medelam quærebat, & beatum virum, fratrem Petrum Gundiſaluium ex prædicatorum ordine, qui in ſummo Tudenſis vrbis templo ſepultus eſt, cuiuſque in Callæcia nomẽ eſt celeberrimum, nec in Luſitania non celebre, in vrbibus ma-

Ciuitas Callecia Pontuetus dicta, olim Artabrorum portus.

B. Petrus Gondiſaluius ſanat ægrotum.

ximè maritimis, quotidiana opploratione precabatur, & tanquam à conterraneo, popularitatis gratia petebat fidenter opem, ne filii pes omnino deperiret. Exaudiuit illam beatus ille, & paucis diebus citra medicamentorum operam, quibus deluſa ſæpe ac diutiùs fuerat, pedem puero conſeruauit, integrúmque ac ſanum reddidit. Cuius beneficij mulier grata non immemor, ordinẽ prædicatorum impenſè venerabatur, filij animũ his moribus condocefaciens, atque vt ſacerdotes inſtituti eius frequentaret, hortabatur. Quod iuuenis cùm ſedulò faceret, ſeſéque paulatim dediſſet, delectatus tanta ſignificatione venerabilis pater, frater Bartholomæus, Siluenſis epiſcopus, eum ſecum duxit ad Turdetanos, per ea tempora nondum expulſis oppidatim Sarracenis pacatos, nec tã quotidiano, vt nunc, commercio frequenteis. Vbi cùm diutulè manſiſſet, neque de eo quidquam mater ſciret, angebatur ſuſpicionibus, muliebri ac conſueto matribus more. Die igitur quadam cùm anxietatem mentis pati non poſſet, cucurrit ad ſancti patris Ægidii monimentum, & procumbens orabat, vt ſaltem per viſum certiorem ſe facere dignaretur. Non ſpreuit maternam ſolicitudinem Ægidius, ſed nocte inſecuta hãc ſpeciẽ

Magnã curã habet B. Ægidius eorũ qui illius deuoti ſunt.

obtulit mulieri. Intuebatur filium in nauicula quadam ſine gubernaculo, ſine velis, ſine remis cum multis aliis venientem: nauicula tamen intus plena erat claritate maxima. Mater autem cõterrita clamabat, Heu fili mi, quónã pacto maris procellas euades? Et filiꝰ, Ne timeas, mea mater: nobiſcũ it frater Ægidius: is nos ad portũ deducet incolumes. Perueniebat itaque nauicula ad quẽdam amœniſſimum portum, & vndiq; pratis virẽtibus ac floreis circundatũ, in quẽ expoſitus filius recipiebatur. Nec multo pòſt Oliſiponẽ applicuit adoleſcẽs, vnde Scallabim ad matrẽ venit: Pauci tranſierũt dies, & mater animo ſemper anxia pro filio, ad ſãcti patris Ægidii ſepulchrũ flens orabat, primorem iuuenis adoleſcentiam numini eius cõmendans. Non dormienti igitur, ſed planè vigilãti huiuſcemodi obiectũ eſt viſum. Finito diei huius ſacrificio ſub Ægidii monimento videbat magnã ſubterraneã camerã in modũ ſacelli factam maxima luce ſplendentẽ, & in medio, altare ad ſacrificiũ præparatũ, ad quod accedẽs frater quidã ſacerdos, diuinę rei operam dabat, reſpõdente illi & miniſtrante fratre adoleſcente quodã, quem ſuum eſſe filiũ ipſa putabat, qui ad eleuationẽ ſanctificatæ hoſtię cereolũ de more accẽſum tenebat. Sacro

autē peracto, aduenticiáq; illa viſione ablata, locus cōcamerationis modò apertus cōcluſus eſt, veluti cùm liber cōplicatur. Ecce autē poſtridie, ad ſummū perēdie, matre nec opinante, iuuenis petito humiliter religionis habitu, à cœnobitis receptus, vtrumq; viſum nō vanū fuiſſe declarauit. Illo viſo ſignificauit Ægidius, curæ fuiſſe ſibi iuuenem à pia matre commēdatū. Iſto quod modò referā, voluit declarare, quātum Dominico Iuliano Mercatori fauerit, quantúmq; animę eius ſalutem procurauerit. Is erga ſanctum virum adhuc viuentem benè fuerat animatus, & eius mortui memoriam venerabatur, ſed lucri terreni pedicis obuinctus, minorem animæ curam gerebat. Non diu igitur poſt viri beatiſſimi deceſſum Domna Catharina, religioſi viri, fratris Petri Bernardii, & Domnæ Mariæ Bernardiæ ſoror, quorum in ſequentibus mentionem faciemus, huiuſcemodi vidit imaginem. Intuebatur virum beatum in tunica linea talari candidiſſima, aurato balteo, & ſerico paludamento ſuperindutum, in manibúſque ampullas olei ſanctificati & chriſmatis habentem, pueros item duos ſuper ordinis habitum amictos lineis albis, cercos adcenſos ante illum tenenteis, & heinc & inde copioſam fratrum præ-

dicatorum turbam; ad quos reſpiciens, Eamus, aiebat, ad Dominicum Iulianum mercatorem vngendum. Cúmque eò deueniſſent, peracta vnctione ordinis habitu, eum ſanctus pater induere videbatur. Vnus, altérue dies tranſierat, & mercator humanis ſarcinis ſe exuens, ad cœnobium venit, ſanctæ conuerſationis habitum humiliter poſtulauit, & cœnobiali militiæ nomen dedit.

Oliſipone cùm apud cœnobitas prædicatores tranſlationis ſancti patris Dominici memoria celebris ageretur; aurifex quidam à vicinis monitus, ne ea die laboraret, potiúſque vnà iret ad frequentem in cœnobio côcionem, côtempſit, nec deſtitit ab operâdo. Cuius contemptum vltio eſt inſecuta. Nam carbonis igniti fragmêtum de fornacula exiliens, in apertum oculum ad pupillam illi hęſit, in qua protinus veſica grandiuſcula exorta eſt, & oculus eo vſque ex aduſtione intumuit; vt iam neque genis integeretur, neq; nictaret, ſed ex inflatione & vehementi dolore deſilire è capite videretur. Non potuit ſe homo domi continere, ſed clauſa aurea officina, appoſitáque ſuper oculum manu, prodiit quaſi inſanus, nec ſatis animo conſtans, quónam ibat, donec acerba illa vexatio verſa eſt in religionem. Quare qui exierat

dolore amens quò quaque impetus illum ferebat, ad cœnobium rectà ſe contulit, inuenítque monachum è ſuggeſto concionantẽ, qui cùm alia ex aliis intertexens, etiã ad Ægidium ſermonem deflecteret, & quædam adduxiſſet admiratione digna, homo audiẽtibus qui circa erant, Si vera, inquit, ſunt quę monachus iſte de fratre Ægidio aſſeuerat, méque frater ipſe Ægidius reſpiciat, oculũque ex tam acri læſione reſtituat, conceptis verbis, Voueo, vt quàm mox me ſanârit, ita ad ſepulchrum eius pedibus tum ſubitò dolorem, & ſolitas rediiſſe nictationes miratus, è ſpeculo ſanum omnino oculum, ſine veſica, ſine inflatione vlla, ſummò gaudio eſt cõtemplatus. Nec mora, antequam cibi quicquam inſtaret, iter Scallabim arripuit, & ad ſepulchrum accenſis candelis proſtratus, Ægidii in ſe clementiam potentiámque narrauit. Miraculo teſtimonium perhibuêre frater Alfonſus Zamorenſis Oliſiponenſis, tunc cœnobii ſuppræfectus, frater Pelagius Penſus, frater Stephanus Rodericius, & frater Ioannes Ioannides, qui hominem finita concione viderunt, & vt bono eſſet animo, bonam ſpem haberet hortati ſunt, ſcriptor etiã hiſtoriæ noſtræ ſanum eum ſe vidiſſe Scallabi ait, cùm ad Ægidii tumulũ gratias ageret.

B. Ægidi' oculũ cuiuſdam ſanat.

Non ſolent ſancti, ac præcipuè cum Deo regnantes illatas ſibi à parum piis hominibus iniurias humano more vlciſci. Quòd ſi interdum noxios ſequatur vindicta, hoc eò fit, vt flagello commoniti, intelligant ſuam ipſorum diſplicuiſſe Deo impietatem, & ſalubriter, niſi mentis deploratæ ſint, reſipiſcant. Cuidam hoc euenit aulico, qui cùm die ſollemni quadam in eccleſia eſſet vbi ſanctus vir Ægidius requieſcit, viderétque populum frequentem ad oſculandum ſepulchrum eius concurrere, cœpit primùm intra ſe hæſitare, eſſetne ſanctus cui tanta illa reuerentia impenderetur. Deinde vt diabolo malorum concitatori mos eſt, menteis à ſe leuiter ſemel impulſas ad ſuprema ſcelera atque flagitia euehere, ex hæſitatione prorupit in blaſphemiam, malè compreſſo iam murmure, indignum honore illo ſepultum fraterculum, & oſcula figenteis lapidi, planè ſuperſtitioſos. Iſta dum iactat corpore quaſſatus conlabitur, cúmque oculorum etiam lumen ingens vertigo ademiſſet, homo ſibi minimè conſtabat, & neque vllo modo egredi, neque paulum ſaltem poterat loco progredi, ſed ſui omnino tum animi, tum corporis impos, hærebat tandem, perculſit mentem religio, vt agnoſceret, vn-

Blaſphemum grauiter puni:.

de ſibi ſubita illa contigiſſet afflictio. Mentéque paulatim recipiens, quod in aliis ex temeritate damnauerat, conſilio ſaniore facere ipſe tentauit. Et tremens ac titubans, ægrè pedibus ſuſtentatus, conrogabat qui ſe opera iuuarēt, quò ad ſepulchrum accederet: ad quod procumbens, ſanctitatem ſepulti fatebatur, & dementiam ſuam palàm profuſis lachrymis redarguebat. Orabatq; liberari, vt qui virtutis detractor fuerat, potentiæ & clemētiæ præco exinde fieret. Exauditus eſt, ac ſanus & benè valens ſurrexit. Ac deinceps quoties incidebat occaſio, vt à ſimili cauerent impietate, cæteros hortabatur.

Benedictum puellum, filiū Domnę Maioris Vimaranenſis, quæ Scallabi extra pomœrium iuxta templum. S. trinitatis habitabat, ſpectantem in hippodromo equus incitatus acriùs infræno curſu ad alteram curriculi partem deflectens, propulit ac conculcauit, brachiúmq; eliſum ad terram cōfregit. Chirurgorū ergo opera oſſa quidem fracta coïerunt, & ſolidata vt cumque ſunt, ſed ex graui neruorum læſione manus ita ſtupuit, vt neque illam claudere, neque digitos complicare, aut aliquid illis capere quoquomodo poſſet. De qua re cùm ex animo doleret mater, ad ſepulchrum ſancti viri ſupplex *Aliud miraculum.*

accedit,& captam indidem terrulã, brachio filii alligauit. Mox eodémque momento perfectam ſanitatem adeptus, manum vt libitũ ei eſſet, nunc in pugnum ſupprimere, nunc explicare cœpit, digitóſque vel contrahere, vel extendere, omnimodóque brachii ac manus vſum ex arbitrio recuperauit.

Aliud. Idem poſtea puer progreſſu temporis pernicioſo dyſenteriæ morbo cùm diutiùs laboraret, ſiue ex multa quam bibebat aqua, ſiue qua alia cauſa; adeò intumuerat, vt venter ad leuem tactum non minùs quàm pulſum manu tympanum, cuius clementiam erga filiũ iam aliàs experta fuerat, ſuper tumulum proſtratum iacere aliquantiſper fecit. Rediit inde domum, & ecce poſt paucas horas detumuit inflatus pueri aluus, & dyſenteria quæ iam inueterauerat, compreſſa emendatáque omnino eſt, penitúſque puer & colore & bona corporis habitudine reualuit. At mater, mulier nobilis & pia, accepti vtriuſque beneficii nequaquam immemor, ad ſepulchrũ rediit, ſanúmque filium & optima valetudine tam priùs, quàm modò palàm oſtendit. Vtriúſque miraculi oculatum ſe teſtem noſter aúctor cúm plæriſque aliis fuiſſe confirmat.

Altero ante hunc ſermone diximus Al-

fonſum

ſonſum Regem beati Ægidii adhuc viui baculo graui podagra fuiſſe liberatum, ob idq́; domi apud ſe baculum retinuiſſe. Contigit ergo poſt ſancti patris exceſſum nobilem equitem Petrum Martinium, cognomẽto Pecarinum, Præfectum municipii Aurienſis, de numero eorum qui Regi erant à cõſiliis, quíque illi maxime gratus erat & peculiariter amicus, podagræ morbo laborare. Quem Rex cùm vidiſſet pedes ægerrimè trahentem, miſertus eius, Cape, ait, ſcipionem hunc fratris Ægidii, forſan tibi proderit. Mihi certè per iſtius geſtationẽ dignatus eſt Dominus ſubuenire. Geſtabat itaq; Præfectus Ægidii baculum magno podagræ remedio.

Baculo B. Ægidii quidam podagra liberatur.

Interim apud idem Aurienſe municipium Dominicus Matthæus quidam, cùm Dominica die tertio Nonas Iunii, lautiùs apparato prandio carnes nimió plus auidè ſemimanſas pergeret deglutire, os in media gula trãſuerſum inhæſit, ita vt neque deſcendere, neque reiici poſſet, neque ſpiritum fineret meare. Vocatus eò eſt Stephanus Martinius tẽpli S. Ioannis inibi ſacerdos, vt confeſſionem eius exciperet, antequam ſpiritus omnino intercluderetur: ſed ille nullo modo loqui potuit. Conuenerunt ad ſubitum caſum ex vicinis multi, & tumultus peruenit ad Dominã

Aliud miraculum.

Stephanam, ipſius Præfecti Petri Martinii vxorem, quæ audita hominis anguſtia, ſcipionem illum à viro ſuo petiit, & gutturi propè iam ſubſocati appoſuit: & continuò vehementer infixum os reiectum eſt, & homo penitùs liberatus: qui tamen crimina confiteri priùs vrgente neceſſitate nequiuerat, ex religione poſtea ſtatim iam liber confeſſus eſt: & qui à menſa triſtis ſurrexerat, ad menſam cum amicis rediit, de ſalute ſua & exonerata conſcientia lætus. Hoc ſibi & fratri Roderico Vernandio ſocio ſuo narratum ſcribit noſter auctor ab eodem qui curatus ita fuit, & ab ipſius vxore, item à Præfecto municipii, & à Stephana eius coniuge, à ſacerdote quoque qui confeſſionem excepit, & à Ioanne Vernandio Præfecti antè dicti ſacrifico, à multiſq; aliis municipij eiuſdem incolis qui ad hominem illo tempore conuenerant.

Aliud recenſetur. Simile contigit cùm eadem matrona Stephana eſſet apud Riuum-maiorem montanum vicum, vbi mirus eſt fons ſalſiſſimæ aquæ, ex quo ſalinæ fiunt non paucę ſalis candidiſſimi, & qui marino præfertur. Nam de clientibus & ſtipatoribus eius vnus, Ioannes Martinus Aurienſis municeps, cùm carnes ſimiliter comederet, & voraciùs lurcan-

do, vt ſolet inter nobilium adſeclas, qui ita ſuæ parti rectè conſultum putant, ſi ſua edacitate & ingluuie in communi menſa, poſitáque paropſide poſteriores non ferant, os cum carne gulam occupauit, infixumq; tenaciter gurgitem illum cruciabat miris modis, geſtus nunc hos, nunc illos facientem: ad quem cùm veniſſet patrona; equidem, ait, quidnam tibi remedii adhibeam, profectò non ſcio, ſed feſtina quantum potes, ad fratris Ægidii tumulum, (non multis enim millibus vicus is diſtat à Scallabi) vbi ſpero, ſanaberis. Qui cùm iter feſtinus corripuiſſet, & ex celeritate ac dolore laſſus tantiſper deſediſſet, dum tãtillum à fatigatione interquieſceret, obdormiuit. Breui tamen experrectus, penitùs ſe ſanum inuenit. Quod verò ſibi acciderat, poſtmodum grato animo referebat, ſicut re ipſa conditori hiſtoriæ noſtræ, & ſocio eius retulit coram patronis ſuis, Aurienſi Præfecto, & Stephana eius vxore, & Ioanne Vernandio ipſorum ſacrifico, ac pleriſque caſtri eius municipibus.

Iuuenis quidam, Aprilis nomine, Vernãdi Vernandii, equeſtri loco viri, cliens, apud Thomariũ in ſubitaneũ parumq; à medicis intellectum malũ incidit. Nam apprehendit eum dirus cordis & viſcerum dolor, & velut *Aliud miraculum*

phreniticus rabidúſque, efferatus adeò eſt, vt à multis hominibus teneri non poſſet, quin ſe & adſtanteis iuxtà, morſu laniaret. Tam repentini mali cauſam neſcientibus, hanc tantùm ſignificationem dabat, arreptum ſe à nequam aliquo ſpiritu videri. Ne ergo in ſe, néue in alios per rabiem ſæuiret, qui aderant, brachia illius, manus, ac pedes ſigillatim ad ligneas columnas alligarunt, quin & caput per capillos ad terram vinculis præſſerunt, ne ſe morſibus diſcerperet. Cùm ita pleraſque horas detentus, à furore & rabie non deſiſteret, ſuperuenit Domnus Laurentius, Thomarienſis procurator conuentus, fratrum militiæ templi, vir pius & eximiæ auctoritatis: hic puluerem de ſancti patris Ægidii tumulo, quem ſecum geſtabat, ſuper pectus arrepti poſuit iuxta carnem ſub interula. Cuius pulueris tactu furens ille & à malo genio obſeſſus, omnino quieuit, & placida mitíque voce, ô Deus magne, inquit, ego ſanus effectus ſum: & ſermonem conuertens ad Laurentium, Vel maximam quampiam in te virtutem, Laurenti, habes, vel maximæ virtutis aliquid manu ſine ambiguo portas. Tactu enim tuæ manus à ſæuo me tormento liberaſti. Ad quem Laurentius præ gaudio lachrymans, Noli, fili, mihi vir-

B. Ægidii ſepulchri pulueris virtute à Dæmone vexatus liberatur.

tutem quampiam, quam equidem non habeo, tribuere: Deo & magno ſeruo eius fratri Ægidio tuam te debere ſanitatem cognoſce. Oſtendit in te Deus, quantis meritis polleat cuius ſepulchri puluis per me tibi applicatus, ab horribili te vexatione liberauit. Solutus ergo adoleſcens à vinculis quibus attinebatur, ſedebat quietus. Cùm eum rurſus nequam hoſtis aggreſſus, tibiam genúque illius tam validè ſtringebat, vt parum abfuerit, quin frãgeret, tum iuuenis clamare cœpit ad Laurentium, Heic quæſo, heic ſuper tibiã ſancti tumuli puluerem impone ne frangatur. Id enim hoſtis molitur. Appoſito puluere, dolor ablatus eſt, & malignus ſpiritus effugatus. Verùm poſt dies circiter quindecim, cùm domum adoleſcens vellet ingredi, vidit intus dæmones oſtium obſidenteis, & ipſius ingreſſum expectanteis. Quare foris ante oſtium vociferabatur, non audere ſe domum plenam dæmonibus ingredi. Accurrit vicinus Laurentius, & ad collum eius terram ligauit, protinúſque importunorum dæmonum turba euanuit, & iuuenis deinceps liberatus eſt à territamentis iſtiuſmodi.

Altero ante hũc ſermone Neopyrgis, Turdulorum oppido, habitaſſe diximus Pelagiũ Martinium, vectigalibus cogendis Præfe- *Aliud.*

raldus nomine,qui poſitum negligētiùs annulum capiens, ſublata ad os manu infantili more annulum deglutiuit,quo intra gulæ arctum retento infans ſtrāgulabatur. Ad cuius ploratum & matris quiritationem cùm congregata eſſet turba,ex vicinia ſuperuenit Maria Sueria,honeſta virgo, quæ cādelas àd ſepulchrū ſancti patris deferebat, vt gratias ageret pro ſanitate puellæ ex familia ſua. Hæc vt vidit tumultum,& infantis anguſtiam,acceſſit, & candelam explicans, illa paruuli collum cinxit, ſic adorans, O domine ſancte pie pater Ægidi, en ego ad ſepulchrum tuum pergo,vt hāc candelam accendam pro tuo in familiarem meam beneficio; reſpice & modò,quæſo, pietatem noſtrā & paruuli huius innocentiā,ſubueni eius neceſſitati,dilecti tui ſeruatoris noſtri memor,qui infantibus diuinas manus benignitate ſumma imponebat; Cū hæc dixiſſet,infantulus ab imo gutture annulum reiecit ſanguine intinctū: quem parentes ad ſancti patris ſepulchrū tulerunt vnà cum his fœminis quæ adfuerant, Domna Gaudina,Maria Petreia,Maria Galdina,& Maria Sueria,quā diximus,quæ rem geſtam narrauit coram auctore hiſtoriæ huius,& coram fratre Stephano Pelagio,& fratre Ioāne Dominico,oſtenſo palā infante &

Infans qui annulū deglutinar t & in extremis erat B. Ægidii meritu liberatur.

Aliud. amulo adhuc ſanguinolento. Conimbrigæ Dominicus Petreius, cognominatus Colar; habebat grauem in gutture conlectionem, cum dolore vehementi, quem cùm viſitaſſet frater Petrus Crucius, ſuaſit ei, vt voueret ſe Scallabim iturum ad ſancti viri monimentum. Vouit homo appetente veſpera, ſtatímque tumens collectio compreſſa eſt, ſedato omni dolore. Ac die ſequenti æger perfectè ſanatus fratrem Petrum adiit, ſéque illi omnino curatum oſtendit.

Aliud miraculum. Dionyſius infans, Alfonſi Luſitanorum Regis filius, Rex & ipſe poſtmodum nulli ſuo tempore ſecundus, cùm Oliſipone cum parentibus ſuis eſſet, & piſcem comederet, ſpina in illius gutture verſata infixáque eſt. Qua cùm vehementer affligeretur, totáque facie rubeſceret ac mutaretur, ſubgeſſerunt ei, vt fratrem Ægidium nominaret. Extemplo igitur cùm fratris Ægidii nomine ſpina reiecta eſt, & puer omni periculo liberatus: Huius rei perhibuit teſtimonium Domna Ioanna, illuſtris femina, quam initio dixi cõſobrinam fuiſſe ſancti patris Ægidii, & Reginam, Alfonſi III. vxorem, ſolitam cõmitari.

Aliud. Frater Ægidius Hermigius in Scallabitano cœnobio cùm piſcẽ comederet, & ſpina

tenaciſſimè intra guttur hæſiſſet, afflictus venit ad tumulum, & procumbens ſuper illum, ore terram contingens, orauit mente, (nam verbis non poterat,) & mox tuſſiens ſpinam ſanguine infectam reiecit.

Duo ex cœnobitis, frater Rodericus Vernandius, & frater Britius, cùm apud Cornagam vicum iuxta Obidos pranderent in domo Ioãnis Munionis cum ipſo & cum Ioanne cognomento Abbate, loci ipſius ſacerdote, ſpina piſcis auratæ, quibus Obidenſis lacus abundat, gutturi fratris Roderici validiſſimè eſt impreſſa. Quam cùm omni adhibita diligentia nullo modo poſſet reiicere, & anxietatis vi æſtuaret, facto ſuper guttur crucis ſignaculo, nomen ſancti patris, vt potuit, nominauit, & tuſſiens reiecta protinus ſpina liberatus eſt. Aliud.

Vt multa & pulchra ſunt, inquit Egnatius, quæ de gulæ offenſionibus Ægidii nomine ſanatis dicta à te ſunt, minus iam negotij. D. Blaſio reſtabit, diuiſa cum illo gutturalium affectionum ſanandarum prouincia. Abſtine verò iocis, inquam, Egnati. Nihil enim negotii accreſcit Diuis audiẽdis piorum hominũ poſtulatis. Fragilis mortalitatis iſthæc eſt conditio, multitudine poſtulantium audiendo ac reſpondendo delaſſari. At beati

illi animi noſtri interpellationibus nequaquam fatigantur, vt neceſſe habeant partiri onus in alios: ſed neq; mutuò inuidēt, quòd quis ab alio petat. Omnes enim charitate inter ſe mutua, & ſimul erga nos ſumma afficiuntur. Eſt autem hoc immenſę Dei miſericordię, vt nobis diuerſos diuerſis in locis patronos diſtribuat: vt in noſtra hac vrbe, ſi qui febriunt, alii ad D. Laurētium, alii ad D. Barbaram confugiunt, alii ſanctorum fratrum Dominici ac Franciſci patrociniū expetunt. Erucæ, brucho, cantharidi, pulicibus vinearum amoliendis, vtiliter apud nos Petro Apoſtolorum principi ſupplicatur. Alibi gentium ad idē, Albino confeſſori vota faciunt. Aduerſus diram peſtilentiæ luem nationum ferè omniū cōſenſus diuū martyrē Sebaſtianū, & non admodum vetuſtum confeſſorem Rochum veneratur. Certè Luſitania noſtra quantū Sebaſtiano debeat, intelligent qui à quadraginta retrò annis frequenteis peſtilētiæ tabes apud nos, vrbiumq; vaſtitatē meminerint, donec ex direpta, duce Borbonio, vrbe Roma miles quidā, cùm in templorum deprædatione in brachiū Sebaſtiani incidiſſet, cōtra aliorū militū morē, qui ſanctorum reliquias, prô nefas! pedibus conculcabant, religione tactus, nobili illa præda in Luſi-

Deus diuerſis in locis diuerſos ſanctos patronos confert hominum neceſsitatibus.

D. Sebaſtiano luſitani referūt quod nunc non ſic peſte laborent, vt olim.

taniã venit,brachiũq; obtulit Ioanni III. Luſitanorũ Regi, ampliter ab eo remuneratus. Is delata re ad Clemẽtẽ VII. pontificẽ ſpoliato templo Regium munus miſit, & vt ſancti martyris brachium retinere poſſet,impetrauit, anniuerſario eius decreta quotannis pompa,cum ſollemni cærimonia. Ex illo extinctam apud nos peruagatã eatenus peſtẽ, niſi martyri acceptum referimus, ingrati nimium ſumus. Audiant tamen hæc pij & lætentur,& omnis hæreticorum iniquitas oppilet os ſuum: aridum diui martyris os peſtem à nobis extorrem fecit.

Nec præteribo quod præterire ingratum exiſtimo: adẽpto nuper Ioanne,Ioannis III. Luſitaniæ Regis,filio,tanta regni calamitate nouarũq; rerũ ab exteris ſuſpicione, de Regio apud nos nomine,actum iam eſſe iactantibus,Ioannæ Caroli V. Auguſti filiæ puellæ pueri extincti coniugi vterum gerenti,in ipſa nocte quæ ſancti martyris annuum feſtum præcedebat, obcœpêre dolores. Quæ partim ex mœrore defuncti mariti cõfecta,partim ex metu primi imminẽtis partus formidoloſa,ſpẽ nobis præbebat ſanè quã exiguã, vt ſic potiùs, quã deſperationẽ ſuffecturarũ virium dicam. Prætereà vt pareret, pendebamus dubii circa ſexũ in quo Regii culminis & nominis aut retinendi,aut amittẽdi cardo

Nota ſanctorum patrocinium ſpecialiter D. Sebaſtiani erga Luſitanos.

vertebatur. Ergo nocte illa tota vrbs Oliſipo cuiuſque generis indicta ſupplicatione, funalibus accenſis currebat ad puluinaria, & precibus cælum pulſabat. Ibatur triſti pompa ad ſancti martyris reliquias, & nox lachrymis ac clamoribus ducebatur exſomnis. Ecce autem expectatione ſuſpenſis omnibus leuata puella eſt, inradiauítque formoſa diei lux, formoſo edito infante, noſtro futuro Rege, cui ob id Sebaſtiani nomen inditum, nouum ac primum apud Reges, quod equidem ſciam. Liberius, Pyrrhe & Egnati, exſpatiatus ſum, vt hæreticis occludam ora, latrantibus aut ipſos diuos non eſſe colendos, aut ipſorum diuorum cineres. Repetamus nunc orationis filum. Affecto gutturi antiquum eſt, Blaſium Epiſcopum ac martyrem inuocare. Scíſne, inquit Pyrrhus, quàm antiquum? Adeò vt Aëtius noſter Græcus auctor, & qui ante annos mille fuerit, inter remedia quæ ſpinis vel oſſibus deuoratis, & in aſperam quam vocamus arteriam delapſis adhibenda ex arte præcepit, etiam hoc addiderit. Ad eductionem eorum quæ in tonſillas deuorata ſunt, ſtatim te ad ægrum deſidentem conuerte, ipſumque tibi attendere iube, & dic, Egredere os, ſi tamē os, aut quidquid ex iſtis, quemadmodum Chriſtus ex ſe-

Rex Sebaſtian' precibus populi impetratus à Deo.

Hoc nota pro aliquo futuro portento.

De inuocatione ſāctorū optimus diſcurſus. Vide quā antiquum eſt quod D. Blāſius opituletur gutturis dolore laborantibus.

pulchro Lazarum eduxit, & quemadmodũ Ionam ex cæte: atque apprehenſo ægri gutture, dic. Blaſius martyr & ſeruus Chriſti dicit. Aut adſcende, aut deſcende. Optime, inquam, Pyrrhe, quod ad antiquitatem attinet. Cæterùm in verborum modo ſuperſtitionem Aëtio iſti tuo condonemus. Sed vti dicebam, diuinæ bonitatis & indulgẽtię hoc eſt, vt pluреis nobis patronos præficiat, eóſq; erga quos peculiariùs afficimur. Etſi enim diuiſiones gratiarum, & miniſtrationum, & operationum ſunt; idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus: non tamen ita donum aliquod ex his vni diuo diſtribuit, vt ſi alius idem ab illo petat, repulſam patiatur. Sed accommodat ſe diuinitas noſtris affectibus, heic erga hunc diuũ quaſi nobis popularem, aliubi erga alium, qui illic ſimiliter vulgo inclaruerit vel ex reuelatione, vel ex hiſtoria, vel ex nominis alluſione: hoc agente Deo, vt illi diui à nobis reuerentiùs iam colantur, qui alioqui apud nos minùs eſſent noti. Tum Pyrrhus excepit; antequam intermiſſam non inutiliter narrationem reſumas, Magiſter quoniam dixiſti modò, apud nationes aliquot inclaruiſſe Diuos vel ex reuelatione, vel ex hiſtoria, vel nominis alluſione, vellem id explicatiùs à te dici, maximè

Vnde vulgo pronenẽris ut hoc loco vnũ diuũ, illo alio aliũ ad eoſdẽ morbos depellẽdos implores.

quòd ea res non parum ad pietatem videtur conducere, vt ſæculi huius ſectis poſſimus ſatisfacere. Quod dixi, inquam Pyrrhe, huiuſmodi eſt, vt pauca ex multis, explanandæ rei cauſa, dicam. Apud Paulū Diaconum libr. 6. legimus, ſæuiente Romæ graui peſtilentia, oraculo reuelatum, non ceſſaturam, donec Sebaſtiano martyri ara in Petri Baſilica conſecraretur. Quo factum eſt, vt aduerſus peſtem ſanctum hunc martyrem cœperint inuocare. Eſt & alia ex hiſtoria ſumpta occaſio. Sagittis Sebaſtianus appetitus, martyr effectus eſt, peſtilentiæ morbus cùm ferit, ſagittæ penetranti non eſt abſimilis. A Diuo igitur ſagittis euecto poſtulant pii, vt ſagittarum quas paſſus eſt memor peſtilentibus his ſagittis medeatur. De Rocho itidem ex hiſtoria tenendum, qui dum peſte laborantibus inſeruiret, telo ipſe peſtilenti percuſſus eſt. Facta deinceps de mortuo reuelatione, non defuturum iis numen qui eius aduerſum eum morbum patrocinium quærerent. Sine dolore peperit virgo Dei mater. Nitentes igitur puerperæ diuinum eius numen & auxiliū petūt, imo & Turcicæ fœminę. Eſtq́; inter nos probāda cōſuetudo, vt cùm in partus preſſura laborant parientes, nouē ictibus cymbalū pulſetur, ob reuerentiā nouem mē-

Paul⁹ diachonus. li. 6.

Cur Sebaſtianus peſte laborātibus patronus ſit.

B. Rochus cur contra peſtē patronus ſumatur.

Imo & Turcicæ fœminæ.

ſium, quibus vterũ ſuperbenedicta virgo geſtauit, vt videlicet qui audierint, fraterna charitate anguſtatæ mulieri ſanctæ illius genitricis numen exorent, quò & dolores mitigentur, & partus detur facilis. Toſtus igne fuit Laurentius: torret febris etiam quæ occupauit corpora. Aduerſus ignem hũc inuocatur qui in craticula ignem eſt perpeſſus. Agathæ mamillæ fuerunt extortæ: quibus mamillæ dolent, Agatham venerantur. Euulſi ſunt dentes Apolloniæ; qui dentium dolore tenentur, eius diuæ opem implorant. De Blaſio in noſtra vrbe celeberrimè culto, nihil hoc loco amplius addam, quando ante annos aliquot petente collegio phratriæ, vel ſi ita mauultis, confraternitatis in eius honorem inſtitutæ, ſcripſi in ſigniſſima duo miracula ab eo facta, alterum ſuſcitati quatriduani mortui, quem omnes nos qui annum quinquageſimum attigimus probè nouimus, & ſcimus poſtea vixiſſe annos quatuor & viginti; alterum de filia præfecti ſodalium phratriæ ſubitò ſuper aram à ſæuiſſimo peſtilentiæ morbo ſanata. Quæ duo ita vt à me ſcripta ſunt, ſollemni anniuerſario diui de ſcripto populo recitantur. Atque hoc ex hiſtoria. Quod de nominis alluſione dicebam, tale eſt, Lucia excellens virgo ac

Cur B. Laurẽtius febre laborãtibus vocetur adiutor.

B. Agatha

D. Blaſii duo miracula inſigma.

Mortuus quatriduanus meritis D. Blaſii Eburæ reſuſcitatus.

Cur Lucia à cæcutientibus patrona vocetur.

martyr, à luce nomen habet: qui lucem oculis inoffenſam deſiderant, illi ſupplicant. Non enim illi effoſi ſunt oculi in Martirii agone aut aliter: licet aliquando ſic depingatur vt imperito vulgo, anſam erroris prebeat. Etenim vt ſcitis Pictoribus atque Poëtis, quidlibet, audendi ſemper fuit ęqua poteſtas. Sacra enim illa virgo ex Dominicano, noſtro inſtituto, fertur eſſe, quæ, inhoneſti adoleſcentis amori mederi cupiens, oculos erutos illique in diſco præſentatos, mirabiliter poſthoc recuperauit. In manuali quodã, Hiſpali typis mandato, hiſtoria hæc inuenitur. De qua etiam, virgine ſacra non dubito, quod oculorũ doloribus diuina, ſi fides adſit, gratia ſubueniet. Non opus eſt ire per ſingula. Fiunt iſta, & ſumma pietate fiũt, & probat noſtram hanc pietatem Deus: & his, vel illis Diuis quos nobis patronos, eſſe volumus, ſua clementia adeſt, annuit, & fauet; nimirum vt ſint quàmmulti qui noſtris laboribus à ſe ſupremo omnium patre leuamen impetrent. Inter quos quàm varia donorum cæleſtium gratia fuerit inſignitus Ægidius à me relatis, niſi perſpicuum factum plus quã ſatis eſſet; exiſtimarem ex iis quæ ſubiiciam, liquidò poterat oſtendi.

Aliud miraculum. Scallabi ad Maruillam Maria Dominica

Domni Stephani, mercatoris diuitis & honeſti ciuis, vxor perpetuo quinquennio ſanguinis fluxionem paſſa, à concipiendo deſtiterat. Quare vt conſuetudo fert mulierum maximè ætate florentium, dupliciter affligebatur. Nam & morbus ipſe per ſe periculi ac faſtidii plenus erat, & priuata conceptibus parũ ſe gratam viro propterea exiſtimabat. Atque ita poſt multorum medicorum tam laïcorum quàm cœnobitarum Dominicaliũ, videlicet fratris Andreæ ac fratris Bernardi irritam & inanem diligentiam in deſperationem ſanitatis deuenerat. Sabbato igitur quodam poſt Domini aſcenſionem cùm immodica redundantia vſque eò vexaretur, vt defectis ab exinanito ſanguine viribus putaretur moritura, mater, quæ illi aderat, En, inquit filia mea, cras anniuerſaria ſancti patris Ægidii agitur memoria, eamus ad tumulum eius, & voto ſuſcepto, illum deprecare, vt ſanitatem tibi à Deo ſuis meritis obtineat. Perrexit quo potuit modo, matri & ancillis innixa, & iacens ad tumulum cum lachrymis orauit, dicens. Audi me, ſancte Dei frater Ægidi: ſi me Deus tuis precibus ab hac miſera & ignominioſa conditione liberarit, annuum tibi voueo ieiunium, quod ſolo pane & aqua ſolâ ſine obſonio conten-

ta, omni tempore vitæ meæ pridie anniuerſarii tui ſeruabo, & quotidie ob tui nominis reuerentiam, ter Dominicam orationem dicam. Vbi ſe hoc voto obligauit, ſine mora ſanitas eſt inſecuta. Eadẽ namq; die coërcita, inuita priùs exuberantia ſtetit, & in craſtinũ ſiccato penitùs redundanti humore, ad concionem frequentis ad cœnobium populi læta venit. Ex qua die ne veſtigium quidẽ ampliùs eius morbi ſenſit. Et quæ per quinquẽnium durante incommodo à generatione fuerat impedita, mox concipiens maritum prole noua lætum effecit. Ipſa verò fideliter implens quod vouerat, tranſactum ſuum periculum, & acceptum ab Ægidio beneficiũ ſumma animi gratitudine mixtis gaudio lachrymis, quoties incidiſſet occaſiò, prædicabat, ſicut noſter auctor de ea ſæpe ſe audiuiſſe teſtatur.

Aliud. genus morbi. Anno vertente, eadem mulier lateris alterius reſolutis neruis, incidit in paralyſis alterum genus, quod à vobis, Pyrrhe, ἡμιπλεξίαν dici puto, vt neque lateris eius brachium ſuſtinere, nec tollere, neque ad os, aut pectus poſſet admouere, nec aliquid operis illo facere. Experta autem in ſe, quantum apud Ægidiũ humilis valuiſſet deprecatio, ad tumulum reuerſa eſt, & opplorãs etiã nunc medi-

cinã precabatur. Voto nõ caſſo, redierat domum, & è veſtigio inſecuta ſanitate, liberum & expeditũ brachii modò inutilis vſum recepit. Ad hunc modum ſancto patri facta iam familiaris mulier, vt aliquid imbecillioris valetudinis aut ſibi aut ſuis ſuboriri præſentiret, ſtatim ad protectorem & ſalutis ſuæ domúſq; columen confugiebat, lachrymis ad quiduis impetrandum efficacibus. Erat ei tredecim fermè annorum filius, Laurentius nomine, qui ex incurſo morbo, diutino capitis dolore aurium tinnitu ſonitúq; cõtinuo, in profundam inciderat ſurditatem; vt omni audiendi ſenſu priuatus, neque vociferationes, neq; factos etiã ad aureis clamores perciperet; quin oporteret illi non ſecùs atque muto, ſi quid ex vſu eſſet, nutibus ſignificare. Longo igitur tractu temporis non deſinente vitio, innuit ei mater, vt cum aliis quibuſdam pueris quos mandatis inſtruxerat, ad ſancti patris monimentum pergeret. Perrexit, atque vt alios compoſito facienteis aſpexit, inflexis genibus & tumulo faciem & caput vulnerans confricabat, intrò in aurium intimarum foramina pulverem digitis mittens. Reſpexit matris f[illegible]actæ ſibi peculiaris fidem, & pueri [illegible]eceſſitatem beatus pater, & pulvis [illegible] qui alioqui naturali

Pulueris B. Aegidi virtute auditus cuidam reſtituitur.

ſua vi aurium impediret officium, contra naturam audiendi intermortuam facultatem aperuit, vt protinus acutè quæcumque dicerentur, & ſine vlla ſurditatis prioris ſignificatione audiret.

Aliud mir. calum. Martinus Stephanius Vimaranenſis cùm Scallabim deueniſſet, hoſpitio exceptus eſt Stephani Nonii cognati ſui, in parœcia diuæ virginis ad Maruillam habitantis. Is ex contuſione quapiam in intima aure dextra apoſtema cum inflãmatione paſſus erat: ex quo malè curato inflãmatio ſe ad faciem & ceruicem grauiùs intendit, tanto dolore, vt neque dormire poſſet, neque interquieſcere, quin potiùs febre ac vigilia in dementiam interitúmque præcipitaretur. Domna Gaudina, conſanguinei vxor, cuius aliâs hodierno hoc ſermone mentionem fecimus, commota hoſpitis affinis periculo, ſuaſit illi, vt ad cœnobium prædicatorum pergens, facta diligenti criminum exomologeſi; puluiſculo de beati Ægidii tumulo affecta loca reſpergeret, auſa polliceri, remedium id fore præſentaneum. Vſus eſt mulieris probæ ac neceſſariæ conſilio. Nam detectis ſacerdoti cõſcientiæ labibus, proſtratus ad tumulũ, puluerem ſparſit ſuper inflammatam aurem: Et continuò tota illa conlectio celeri deriuatio-

ne ſe auertit in ſiniſtram alam, ſtatimq; ſuppurata leuiſſimè ſcalpello tacta erupit, vnde profluente per triduum putri ſanie, mollibus linamentis impoſitis homo incolumis in patriam remeauit. Prædictus autem Stephanus, & eius vxor Gaudina publicè hoc multis & auctori noſtro retulerũt. Martinus Dominicus Scallabitanus, ex vico S. Irenes, qui in Tago nauiculariam faciebat, hydropis morbo cõtracto, curationibus irritis & rem familiarem, & ſpem ſanitatis amiſerat. Nam inædia & potus abſtinentia diu maceratus, & nouies circa pubem & ſupra talos inciſa cute, pluribúſque locis exulcerato ventre, opera Petri Martinii, & Mariæ Martiniæ, & Iudæi cuiuſdam, qui eo tempore huiuſce rei peritiſſimus habebatur, vſq; adeò nihil profecerat, vt inueterante morbo, peiùs indies haberet, nec iam eſſet qui curandum hominem vellet ſuſcipere, diſcutiendi intercutem aquam, ſublata in totum ſpe. At Martinus quidam Vernandius, vicinus eius, vir probus, & qui ex humanitate illius vicem doleret, conuentum eum hortabatur, Ægidii ſepulchrum adire qui à quammultis varias ac peſtiferas ægritudines depuliſſet. Recto vicini conſilio acquieuit quidem, ſed cùm dies non paucos procraſtinando diſtuliſſet, iterũ

Aliud miraculum.

commonitus ac redargutus, quaſi ſua negligentia ſalutem ipſe remoraretur, tandem paruit, & ſumptis cereolis cũ oblationibus ad tumulum venit, & quanta maxima potuit miſeratione, animi demiſſione precabatur benefici numinis auxilium. Cúmq; domum rediiſſet feſſus (nam ægrè pedibus incedebat) ſedit pauliſper, & obdormiuit. Cui per ſomnium obiecta eſt imago iſtiuſmodi: Videbatur ſibi verſus Gallicanam (pagi non multum diſtantis id nomen eſt) mæſtus ire, & in itinere ſanctum patrem Ægidium, monacho alio quodam comitatum, obuium dari ſibi. Quem vbi vidiſſet pulcherrimum & præclara veſte indutum, accurrens illi, ſe ad genua ſubmittebat, dicens, ô Domine pater frater Ægidi, ego ad te ibam. Et Ægidius, En ego Scallabim vado, ſed quídnam eſt frater, quod me vis? Ibam ad te pater ſancte, reſpondebat ille, quia hydropicus valdè ſum, vt vides, & maximè infirmus, vt pietate tua, qua te implorantibus præſto adeſſe ſoles, mihi ab omnibus derelicto & tantùm non deplorato, opem ferre digneris. Tum vir ſanctus apertas protendens manus, intenſum eius ventrem tangebat, dicens, Abi à me ſanus, nec de cetero medicis, aut chirurgis quidquam largiaris. In hæc verba

ſomno expergefactus, viſum magno ſecum gaudio reputabat, & ſtatim repentina alui ſolutione correptus, crebrò per triduum exiguis intermiſſionibus deſidendo, intercutem humorem exinaniuit, & tenuato ventre, compreſſáq; corporis inæqualitate, ex toto ſanus effectus eſt, mirãtibus qui eũ nouerãt, ſubitam poſt illud triduũ tam mali habitus curationem. Hæc verò cùm palàm coram cœnobitis aliiſque plurimis homo viua voce retuliſſet, ea frater Bernardus pro concione omni populo expoſuit dominica die ſequenti, feſto ſanctorum Cyrici & Iulitæ.

Hydropicũ ſanat B. Ægidius.

Is qui ante me Ægidii noſtri miracula ſcriptis mandauit, de ſe ipſo hæc retulit. Cùm prædicationis cauſa Thomarii eſſet vnà cum ſocio fratre Martino Petreio, paſchalibus diebus in hoſpitio fratrum militiæ templi Hieroſolymitani ante illorum propudioſam extinctionem, ſederétque ad menſam cum aliis quibuſdam, qui dignationis gratia ſimul diſcubuerant, appoſitus illis eſt piſcis ex religionis inſtituto: quo cùm veſceretur, & ad quæſita nonnullorum reſpondere vellet, buccellam incautiùs deglutiuit in qua erat ſpina robuſtior. Quæ tanta vi gutturi eſt infixa, vt neque ſcreatibus magnis &

crebris, neque totis viribus prouocata tuſſi expelli poſſet. Coactus igitur menſam deſerere & foras egredi, manu per os ad tonſillas adacta, reiectionem procurabat. Sed neque ſic aliquid profecit. Ergo eleuata dextra ſignum crucis depingens, cœpit ita ſecum non bene prolatis verbis, Domine pater frater Ægidi, additurus erat, adiuua me, & ab inſtantis mortis periculo libera, ſed orationem medicina præuenit. Nam ſpina inter ipſa verba euanuit: nec ſatis illi compertum, anne deſcenderit. Non enim ſenſit. Reiecta verò nequaquam eſt: cōparuiſſet enim. Antè ad cœnobium metu mortis ſe recipere feſtinanter cogitabat, ad menſam rediit, & conuiuas modò mæſtos exhilarauit, Deo gratias agens & ſoſpitalem ſibi conlaudans Ægidium.

B. Ægidii meritis quidā pene ſuffocatus ex infructa ſpina liberatur.

Gaudeo, Magiſter, inquit Pyrrhus, factam à te militum templi mentionem. Iam ſuperiùs paulò feceras, ſed obiter, & feſtinabas. Heic autem quoniam propudioſam eorum extinctionē dixiſti, gratum nobis, mihi certè feceris, ſi de iis nonnihil amplius commēteris: & támne ſcelerati, quàm vulgò iactatur, fuerint, ex varia hiſtoriæ lectione vt aperias. Non leue eſt, inquam, Pyrrhe, quod petis, variantibus, neque in vnam quampiam

cauſam conſentientibus auctoribus. Galli, quòd Philippi Pulchri ipſorum Regis opera perditi illi ſunt, non modò tanquam nefarios & ſceleribus inauditis contaminatos infamant, verùm cacodæmonibus pareis faciũt. At quæ illis obiiciuntur, eiuſmodi ſunt, vt & à vero, imò & à fide lõgè abhorrere mihi videantur. Quæ ſi ſcire expetitis, legite ſaltem Petri Criniti De honeſta diſciplina librum vigeſimum quartum. Cõtrà alii abolitos immeritiſſimò adſeuerant, potiúſq; ob diuitias & potẽtiam factos inuidioſos. Quorũ terras & oppida multa quæ in Gallia poſſideant cùm Gallorum Rex ille concupiiſſet, eorúmque magnum in Galliis Magiſtrum odiis proſequeretur, minis & pollicitationibus ſubornaſſe qui falſò totum illum ordinẽ criminarentur. Nec fuiſſe difficile, ſummum pontificem, Clementem V. Gallum, & in Gallia, non Romæ ſedem ſummi pontificatus tenentem, in ſuam pertrahere ſentẽtiam, ſiue deceptum, ſiue Regiæ cupiditati vt captiuum, reniti non audentem: certè addictũ pactis conuentis, quæ in Pontificatus ambitu ab eo Rex fuerat ſtipulatus. Huius opinionis præter multos viros bonos, bonæque fidei ſcriptores, auctorem maximum habemus diuum Antoninum Florẽtinum Archi-

Quid de Templariorũ extinctione ſentiendũ.

D. Anto. 3. p. hiſt. tit. in fauorẽ militum tẽpli.

epiſcopum in tertio hiſtoriarum libro. Habemus etiam quę diligenter conlegit nobilis vir Petrus Meſſias Hiſpalenſis in libro quem Variæ lectionis ſiluam, nuncupauit. Meus, Pyrrhe, animus propenſior in hanc partem eſt, tum quòd vero eſt ſimilior, (nam quis credat totum illum ordinem quà Chriſtianus patebat orbis, infectum non dico ſceleribus, ſed Auernalibus furiis, & brutis ſtultíſque ritibus eoúſque dementatum? Tum etiam quia magis Chriſtianam pietatem decet, Philippum Regem appellatione quidem pulchrum, rebus autem geſtis aduerſus Romanam Eccleſiam & Bonifacium Pontificem, ad hæc ſeopte ingenio non pulchrum, cupiditatis arguere, quàm opinari, tot hominum myriadas vſque adeò Chriſtianam religionem dehoneſtaſſe, & id eos tãto tempore feciſſe ignoratos. Nam cùm idem Rex Pariſiis ſexaginta cremari fecerit, Dei fidem & Chriſti ac ſanctiſſimæ virginis clementiam ſumma pietate inuocanteis, atteſtanteiſque innocenter ſe perire, ſummáque iniuria ordinem infamari, quantum pondus habere debet extorta hinc mortis metu, hinc Regiis pollicitationibus duorum ſolummodo ſera confeſſio, vt ſic aboleri ordo debuerit? Legite beatum Antoninum, & Marcum

Antonium Sabellicum, & dolebit vobis ignominia, non tam illi militiæ, quàm ipſi Chriſtianæ religioni & temporibus illis inrogata: hac indignabimini tam tenui ſcintilla, tantum conflatum fuiſſe ignem duorum teſtimonio, qui honeſtę morti fœdam vitam antetulerunt, qua tamen diu lætati non ſunt, ſed alter ſuſpenſus, alter ferro impetitus, quã per dedecus ſeruare maluerant, paulo pòſt amiſerunt. Rex autem tam non obtinuit, vt meritò interempti eſſe crederentur, vt populus Pariſienſis de crematorum buſto cineres raperet tanquã à buſto martyrum, & veluti rem ſacrã cuſtodiret. In nationibus aliis tẽpli milites vt fuerint, viderint ipſarum nationum hiſtorici: certè apud nos aduerſus Mauros bella gerendo, non parum Luſitaniæ res adiuuere, fueruntque viri non modò ſtrenui, verùm primordiis etiam regni promouendis neceſſarii. Et ex iis nonnulli memoriæ poſteritatis commendandi; qualis Galdinus vel Gaudinus Pelagius Bracarenſis, in cuius adhuc memoriam Bracaræ vicus eſt, qui Galdini Pelagii appellatur: de quo extant inſcriptiones hæ Tomarii ſic.

Deficiunt inſcriptiones.

Poſtulationi tuæ, aut veſtræ duorum potiùs acquieui, Pyrrhe, & mentem ipſe meam, imò etiam meum de tanta hac re dolorem aperui. At Pyrrhus ægerrimè mei Cenſoriam Iudicii libertatem ferens, qua prodeſſe forſitam poſteris decreueram ait. Ecce & nunc te non minus ſuſpectum in hac cõtrouerſia dirimẽda experior, quam antea, cum de Diuo Dioniſio ageremus, extiteras. Non enim ſupremus Gallorum Rex, & inter fideles principes, ſolus Chriſtianiſſimi titulo inſignitus, ſola ductus auara cupiditate, tam diram ſeuerámque ſententiam, (vtique capitalem) contra ſacrum illum militarem ordinẽ precipitaſſe credendus eſt: Saltem ſecũdum allegata & probata, vt dicere ſolent Iuriſtæ, iuſtè illum proceſſiſſe mihi ſi placet, liceat ſuſpicari. Liceat, inquam, Pyrrhe etiam & mihi in meo cum multis abundare ſenſu. Si verò falſum opinor, his quæ oppoſui, motus aliquis eruditus vir, nouam aliquam à me hactenus inauditam ſolutionem reperiet qua tuam in poſterum ſententiam roborabit. Sin

minus ęquo feras animo. Æquale enim emolumentum: vitia reprobata & virtus laudata, pio lectori ſolent afferre. Sed videtis, quantum diei ſermocinãdo abſumpſerimus? Vos non vereor; eſtis enim φιλόλογοι; ſed famulos, qui fortè obmurmurabũt ſibi ad villulam vocatis imperaſſe nos ferias eſuriales. Multos ex noſtris ego ſcio vnicè Saturitatẽ colere. Tuo, Egnati, qui Gallus eſt, tantùm à ſiti metuo, eóque magis quòd fontem nos obſedimus. De fonte, inquit Egnatius, gratis gratiam tibi ille faciat, qui ὑδροφοβίαν vſque cò auerſetur, vt neque guttam in os fouendi aut conluendi gratia intrare ſuſtineat. Sed quòd te ais ab ſola ſiti illi metuere, falſò autumas. Non minus enim ab inædia ringitur. Sacerdos Cereris eſt θεσμοφορία; veruntamen ebria libẽtiſſimè celebrat. Ea ergo, inquam, gratia, nonnihil ex iis eſt indulgendũ. Appoſita ad fontẽ hunc mẽſa, dapibus noſtros genios meliuſculos paulo faciamus. Quæ res vt Hilarius nobis obueniat, Gallum prouinciæ vinariæ pręficiendum cenſeo, vt liberaliùs ſe, cùm lubebit, inuitet. Quæ autẽ de Ægidio reſtant (non pauca enim ſunt) alterã ſibi villaticam congreſſionẽ expoſcunt. Quibus dictis, conuiuiolum iniimus, ferculis quidẽ moderatum, ſed fabellis lepidis, & iucundis riſionibus non minùs lautiſſimo voluptuoſum.

i. Sabtutã nei humoris morbus ex nimia aqua potatione.

INCIPIT LIBER QVARTVS VITÆ SANCTI PATRIS ÆGIDII *Luſitani ordi. prædic. De miraculis eius, poſt mortem.*

INSTITVTI mei erat, quartum de Ægidio ſermonem hunc eodem modo continuare cum iiſdem illis amicis meis, quos in tribus ſuperioribus colloquenteis mecum feceram: ſed dum ex die diem commodiorem villaticæ confabulationi expectamus, fregit conſilium noſtrum ſuborta proficiſcendi mihi aliò neceſſitas. Cúmque non dico dies, ſed annos aliquot abfuiſſem, atque alia ex aliis eſſent obiecta impedimenta, factum eſt, vt hactenus Ægidius meus ad metam non peruenerit, & ego obligatam meam fidem non liberarim. Verùm vt tandem aliquis fruſtrandi expectationem ſit finis, accipiet modo pius lector continenti mea oratione, ac dialogiſmis non interciſa, extremum libellum; ſi minus, ſine collocutoribus alacrem, non continuò legentibus faſtidium allaturum, ſiccam rerum ipſarum dignitatem, etiam præter amœniora orationis diuerticula æſtimaturis.

Igitur apud Ceicem Aurienſis territorii pagum religioſo Dei matris templo memorandum, cęterum ignobilem, mulier Sanctia Sebaſtiana filia Ioannis Martinii vxor, cùm difficillimo partu laboraret, fœtu neque naturæ ritu in caput, neque ſaltem in pedes procedente, ſed complicato corporis inuolucro exeundi viam intercludente, tertium iam diem cruciabatur, exhauſtíſque omnino viribus, miſerum in modum clamoribus extremum ducebat ſpiritũ. Denique obſtetrice & vicinarum mulierum turba circunſtrepente: eademmet hora illac itinerantes, præteribant à Conimbriga Thomarium verſus, frater Stephanus Virducus, frater Rodericus Vernandius, & frater Vincentius Portuẽſis, auditíſque de via clamoribus & tumultu, interrogarunt, ecquid rei eſſet. Cúmque mulieris miſeræ graue periculum intellexiſſent, miſericordia moti, acceſſerunt, tantũque nõ vitam exhalantem repererunt. Tunc ſenior, Agè, inquit, mulier, cũ fiducia inuoca fratrẽ Ægidium, vt tibi auxilietur. Cœpit illa ægerrimè, ſed crebrò, dicere, Beate frater Ægidi, adiuua, quæſo, me, viſitandi ſepulchri tui reã. Vix ſe voto obligauerat, fratres bono vt eſſet animo adhortantes, egreſſi ſunt, & præ foribus euentum rei expectabant. En ſubitò

Miraculũ per B. Ægidiũ patratum.

Extreme laborãs ex partu, meritis B. Ægidi liberatur.

correxit ſe partus, & liberum fecit egreſſum. Quæ itaque iam triduum lætaliter conflictabatur, momento illo infantem edidit maſculum puerpera, & incolumis, beneficiiq́; memor quamdiu vixit, prædicatores fratres piè coluit, & illac tranſeunteis hoſpitio benignè ſuſcipiebat.

Aliud miraculum.

In eodem Ceicenſi pago Maria Petreia, Petri Ioannidæ vxor, in ſimili partus difficultate & periculo conſtituta per treis continuos dies ac nocteis, perpetuis ſine intermiſſione doloribus cruciata, ad momẽta ſingula morti appropinquabat. Ad quã cùm prædicta Sanctia, vt vicina & amica, deueniſſet. Vtere, inquit, Maria, conſilio meo: ego in ſimili periculo poſita, ſancti fratris Ægidii implorata opè, & viſitandi ſepulchrum eius ſuſcepto voto, protinus à media iam morte liberata ſum, & puellum illum meum peperi. Inuoca igitur fratrem Ægidium, & ſepulchrum eius te voue aditurã: & crede mihi, impetrabis. Mulier nihil morata, ita fecit. Móxque cunctis admirantibus filiolam peperit, & poſt paucos dies cũ viro Scallabim ad ſancti viri monimentum venit, filiolam in vlnis geſtãs, & cum cereolis accẽſis beato patri procidit venerabunda, omnia iſthæc narrans coram fratre Bernardo, & fratre Petro Pela-

Grauiſſime laborãs ex partu precib' B. Ægidii liberatur.

tro Pelagio, auctore hiſtoriæ noſtræ.

Rurſus eodem in loco Maria Menendia Laurentij Matthæi vxor, cùm in ſimili eſſet periculo, ad Sanctiæ prædictæ ſubgeſtionem Ægidii opem implorans filium mox peperit. Tria quæ modò retuli, & duo talia non modò ab iiſdem mulieribus earumque viris, ſed ab aliis etiam vicinis etiámque finitimis ſe noſter auctor teſtatur accepiſſe.

Secundo volumine adnotatum obiter à me eſt, etiam rerum friuolarum, modò Ægidii fuiſſent, cum fide contactum multis fuiſſe ſalutarem. In tertio quoque nonnulla de veſtibus ac ſepulchri terra cõmemoraui. Quæ latiùs modò proſequar, déque iis medelam variis ęgritudinibus efficacem prodiiſſe narrabo. In pago Gallicano territorii Scallabitani mulier quædã nutriebat infantem Gõdiſalui Martinii equitis filium, qui graui anginæ morbo correptus, ex vehementi gutturis inflammatione ac rubore neque comedere, neque bibere, neq; mammam ſugere omnino poterat. Nutrix, vt ſtultæ ſolent mulierculæ, anus garrulas ac ſuperſtitioſas circumibat. A quibus cùm nihil opis reportaret, ac triſtis & exanimata rediret, vidit tranſeuntem & circumcurſantem, Domna Maria, Dominici Ioannidæ vxor, vocatámque in- *l. Aliud.*

trò ad ſe, primùm redarguit, quòd vanitatem anilium ſortilegiorum quæſiſſet; deinde habeo, inquit, mulier, apud me panniculos ex veſtibus fratris Ægidii: oremus Dominum, vt per eum & eius merita, infanti huic medeatur. Flexis itaque genibus Maria panniculum affecto gutturi impoſuit: & ſtatim perſedit omnis inflatio, & fauces liberum traxêre ſpiritum, puellúſque qui multos iam dies nec ſuxerat, nec comederat, nutricis papillas auidiuſculè preſſit, & datam pulticulam deglutiuit, noxa omni liberatus.

Aliud. Ibidem puſio alter quatuor circiter annorum, Dominici cuiuſdam filius, aſſiduo corporis tremore cõcutiebatur, & per momenta ſubitò exterrebatur. Quem mater ad prædictam Domnam Mariam geſtans, orabat, vt ſicut ſancti patris Ægidii pannum Conſalui Martinii filio impoſuerat, ita ſuo huic infanti dignaretur imponere. Quod illa fecit libentiſſimè. Atque exinde malus ille tremoris terroríſque ſubitanei habitus ademptus puero eſt.

Aliud. *i. vrinæ retentio laborioſa.* Eiuſdem Domnæ Mariæ ex filia Maria Dominica neptis vrinæ difficultate, *στραγγουρία* Græcis appellata, tenebatur vehementi cruciatu, per multos iam dies fruſtrà micturiẽs.

Duci eam fecit auia miſerum in modum vociferantem & ſupinam, extendens ſuper vétrem nudatum panniculum impoſuit, operuitque induſio ac veſtibus. Vix finierat, & puella omni ſedato dolore lotium emiſit facillimè. Hoc ipſa Domna Maria, matrona proba & fide digna auctori hiſtoriæ noſtræ, ac fratri Dominico Pelagio, multíſque aliis retulit.

Frater Stephanus Menendius, Menendi Facundi Scallabitani filius, anniuerſaria Dominicæ aſcenſionis die, qua ſanctum virum deceſſiſſe ſuperiùs enarrauimus, particulam ſcapularis eius ſibi abſciderat, & religioſè ſeruabat. Cúmque mulieri cuidam in manu ſuborta eſſet ex carbunculorum furunculorúmque generibus peſſima & acris puſtula, quam vulgus auertendi credo ominis, cauſa benedictam vocat, cùm tamen execrandam intelligat, & ex doloris vehementia tanquam amens egreſſa domum eſſet, ſubiit ad ſepulchrum ſancti viri ſe conferre. Quam cùm vidiſſet frater Stephanus, particulam ſcapularis dolenti & malè habitæ manui appoſuit, ac protinus dolore, tumorè, inflammatione fugientibus, priſtinam ſanitatem manus recuperauit. *Aliud miraculum.*

Conimbrigæ nobilis matrona, Domna Maior Alfonſia, Petri cognomento Franciſci vxor, cùm vterum geſtaret, in ſumma vẽtris cute grauiſſimam inflationem incurrit, ſiue tympanitem dicamus, ſiue morbum ſimilem, cum peſſimo corporis totius habitu. Prægnanti autem medicinam adhibere cùm nemo auderet, quòd neq; tutum videretur, mulier ex macie in tabẽ deueniebat. Quam cùm frater Petrus Crucius viſitaſſet, & illi ſancti patris Ægidii aliquot miracula recitaſſet, ea voto ſe obſtrinxit, ſiue per ſe ipſam, ſi commodè poſſet, ſiue per alium ſepulchrũ viri ſancti adituram. Aderat Dominica Martinia ſoror fratris Iuliani Galli, quę panniculum ex tunica beati patris quem habebat, tumori impoſuit. Triduo nondum elapſo malum ſanatum eſt, cui curando annus minimè ſufficere videbatur.

Aliud miraculum. Arbuſcula eſt cõmunis in campis.

Apud Codeſſariam oppidulum non ignotum, appellatum à cytiſi aut κυτίσος, vt Græci ſcribunt, proueniente ſponte per agros copia, vir quidam enormi capitis, faciei, ac gutturis inflatione vexabatur; adeò vt illius oculi vix apparerent. Erat tunc in oppido vir nobilis Domnus Martinus Alfonſius, qui cingulum & ſudarium à ſancto patre dum viueret, loco muneris magnis precibus impetra-

rat, & religioſo affectu ſeruabat. Is vbi cognouit de hominis ſibi noti morbo, adciri eum iuſſit, & ſudarium ſuper faciem illi impoſuit, Ægidium adprecatus. Nec mora, tota illa conlectio, rupta ſub mento cute, erupit, ex qua pus largiſſimè effluere non deſtitit, donec caput, facies, & guttur omnino coram omnibus qui aderant, detumuêre, impoſitíſque linamentis leuibus, abſque medicorum opera homo ſanus euaſit. Interfuere Iudæi aliquot, loci incolæ, qui Domno Martino iſta referente coram fratre Dominico de Siſerico, & auctore hiſtoriæ huius teſtimonium rei geſtæ perhibuerunt, non parum miraculo ſtupefacti.

DE TERRA SEPVLCHRI.

MAriam Sueriam diximus alibi, à dæmonicis vexationibus animíque terroribus ab Ægidio illi apparente fuiſſe liberatam. Ergo ea tanquam recepta iam in cliẽtelam ſancti patris, ex præterito beneficio illum colebat peculiariter vigiliis & orationibus, ceteríſque pœnitentiæ operibus non parum intenta, & viciſſim ſancti viri peculiarem fauorem viſa promereri. Nam cùm crepuſculo quodam ſub lucẽ oraret, vidit eum

per aëra venientem immenſa circundatum luce,& veſtibus ſplendidiſſimis indutum, & vnà cum eo Suerium Virgarium, Suerij filium, religioſiſſimæ conuerſationis & magnarum eleemoſynarum virum iam defunctum, qui viuens ſanctum patrem miro coluerat affectu. Proſtrauit ſe mulier, ſic adorans, Ora pro me, pater ſancte, vt ſalua fiam. Ad quem ille, Bono animo eſto, inquit, filia, bonámque de animæ tuæ ſalute ſpem concipito. Peccauerũt & alii multi magis quàm tu, ac ſe ſceleribus polluerunt, & tamen per reuerſionem ad Deum & ſalutaris pœnitentiæ ſtudium, Domini miſericordiam ſunt adepti. Hilaris vehementer facta, ſtudio pietatis in dies proficiebat, nuſquam non Ægidii virtutem extollens: ac ſumpta de illo fiducia, ſepulchri eius terram geſtabat in ſacculo, vnde variis ægrotis pauxillum ad collum appendebat, & reuera ſanabantur.

Primùm adoleſcens mulier Saracena, ſerua Gundiſalui Solterii, in parœcia S. Stephani, cùm ægrotaſſet grauiter, & morbo inualeſcente indubitata mors expectaretur, Sueria terrulam illi ad collum circumligauit in Chriſti nomine & famuli eius fratris Ægidii: & ecce ſubitò ab imminentis iam

mortis hora Saracena reſtituta eſt ſanitati, & cum cereis oblationibus venit ad monimentum.

Deinde poſt dies aliquot in eadem Conſalui ſiue Gundiſalui domo treis ſimul contigit ægrotare, Ioannem Francum, Petrum Vallatam, & duobus his longè peiùs Callaïcum adoleſcentem: quibus cùm terram ad colla obligaſſet, integri facti, terram nihilominus vſque ad confirmatam valetudinem collo geſtabant. Callaïcus ſiue caſu eam amiſerit, ſiue temeritate geſtare contempſerit, recidit in febrim penè continuam, & modò horrore nimio quaſſabatur, crepitans dentibus, modò æſtu coquebatur inſano, propè contingentibus ſe ſine intermiſſione acceſſionibus. Denuò ergo alligatam terram humiliter ſuſcipiens, ſanitatem obtinuit. Quo viſo, Maria Dominica Gundiſalui vxor, matrona prudens, domeſticorum ſanatorum nomine cereos per Sueriam ad ſepulchrum miſit, & illi vt iſta narraret, imperauit.

Mariæ Conſaluiæ incolæ pagi cui nomen *Aliud.* Villa-noua, territorio Veremundenſi, conſanguineæ fratris Geraldi Dominici, ſacræ Theologiæ Doctoris, & inter prædicatorii inſtituti cœnobitas ſatis noti ex abſceſſu

quodam in facie fiſtula orta eſt: quæ cùm altiùs per maxillam penetraſſet, nec inciſionibus, vſtionibúſue cederet, eò deuenit inuictũ curationibus malum, vt circumquaque putreſcētes carnes paulatim deciderent, & dēteis fœdè nudarent, qui tamen iam corrupti ac denigrati ad vnum lababant. Vnde pus odoris tetri ac horribilis magna copia promanabat. Quin quoties linamenta quæ ad tegendam exeſam faciē ſuperponebat, opus eſſet puris expellendi cauſa remouere, fœtoris horrorem nec ipſa mulier ferre poterat. Cùm itaque eatenus chirurgorum opera apud ſuos nihil profeciſſet, hac illac diſcurrēs ad famam cuiuſque ſibi indicati, Scallabim etiam venit, & cœnobitis prædicatoribus medicinæ peritis, fratri Andreæ, fratri Gundiſaluo Calleco, ac fratri Bernardo, coram multis calamitatem ſuam deplorans, ſi quid ex arte poſſent, vt opem ferrent deprecabatur. Sed malum longè erat ſuperius, quàm vt curationem reciperet, etiamſi denteis omnino corruptos & pænè iam inutileis euelli ſibi pateretur. Anxiata ſic mulier, & ſpe omni deſtituta, adiit religioſam virginem Mariam Dominicam in cellula concluſam, cuius virtus ad famam venerat per ora vulgi, vt eius ſe orationibus commendaret. Cui illa, Bo-

na, inquit, mulier ego te iuuare non poſſum, ſed auſculta mihi: vade ad ſepulchrum fratris Ægidii, & vt tui miſereatur deprecare. Confido enim Dei miſericordiam per illiûs preces tibi non defuturam. Mulier ad ſancti viri ſepulchrum veniens cum lachrymis, faciem deformiter exeſam ſepulchro applicabat, indidem terram corroſis locis inſpergens. Triduum, ſummùm quatriduum hoc fecerat, & dentibus confirmatis noua ſubcreuit caro, impleuitque deformem faciei lacunam, ac linamenta panniculóſque quibus fœditatem oris ab oculis mulier auertebat, reiecit, malis ad priſtinum habitum exæquatis. Mira fidei vis. Mira certè Ægidii potentia! cuius ſepulchri terra malagmatibus, atque vnguẽtis, omnibúſque medicorum compoſitionibus feliciùs efficaciúſque operatur. Manſerunt mulieri in ſumma cute leues cicatriculę, quas in teſtimonium ſolebat oſtendere, taléinque eam ſe vidiſſe is qui ante me iſta prodidit, atteſtatur.

Aliâs diximus Michaëlis Graini filium ea ipſa die qua ſanctus pater deceſſit, mirabiliter fuiſſe curatum: referam modò quod in eiuſdem Michaëlis domo poſtea contigit. Leirenę mulier quędam filiam, Marinam nomine, grauiter infirmantem cùm haberet, & *Aliud miraculum.*

illic medicus qui puellæ pro neceſſitate opitularetur, non eſſet Scallabim, vtpote celebriorem locum & medicis peritis abundantem, cum puella venit, diuertítque ad Michaëlem ſiue notitiæ cauſa, ſiue neceſſitudinis. Ibi cùm eſſet puella, ex iumenti quo vecta erat, iactatione, ac naturæ fragilitate, increſcente morbo, moritura credebatur. Tũc Michaëlis vxor ad matrem; Audi, mea hoſpita, ego cùm filium meum peſſimo ſanguinis profluuio morti vicinum haberem, admota ſepulchri fratris Ægidii terra, protinus ſtante ſanguine incolumem recepi. Hanc apud me ſeruo: impone filiæ tuę collo, forſitan curabitur, ſicut & meus filius. Quid oportet, ait mulier, puellæ collum terra iſta onerari, aut quæ inde vtilitas? Magna, inquit, ſi fide non deſtitueris. Crede, inquam, mihi. Ad ſuggeſtionem itaque eius terram collo ſuſpendit: ſtatimque nocte inſecuta puella ſudore maximo perfuſa eſt, & febre abſcedente infirmitate ſe leuatam ſenſit: petiitque cibum & comedit, reliquumque noctis bene dormiuit. Vbi diluxit, quæ mori incipiebat, cùm ſe inſperatò ſanitati reſtitutam experiretur, præ gaudij magnitudine lectum contempſit, & cum matre & hoſpita pedibus ad ſepulchrum venit, gra-

tias actura pro recepto beneficio.

Epatico difficili morbo laborabat Scallabi, Ioannes Laurentii Dominici procuratoris prædicatorum ac minorum fratrum filius, ex quo ſubtercutem inutilis materiæ contraxerat conlectionem per quatuor iam menſeis tanta duritia, vt neque cataplaſmate reprimeretur, neque molliretur fomentis, neque diuturnitate aliquod ſuppurationis ſignum daret. Non illi deerat medicorum diligentia; ſiquidem ex prædicatoribus cœnobitis frater Andreas, ex minoribus frater Dominicus, vterque medendi artis bene peritus, quanta poterant ſolertia vſi, de eius tandem ſalute deſperarunt, breuiq́ue moriturum aſſeuerabant, conſulebántque ſuprema ac funeralia parari, & à iam iam animam exhalaturo non diſcedi. Neque enim ad lucem craſtinam duraturum. Pater eius Laurentius animo conſternatus, ad ſepulchrum ſancti patris feſtinauit. Atque inde ſumpta terra, tumens illud duriſſimumq́ue apoſtema rerſperſit, Ægidio ſæpe vocato opplorans, perfuſo tamen religione animo & aliquantiſper in ſpem erecto. Fruſtrà homo, non fuit momento breuiſſimo cum per qui loquelam iam amiſerat, & qui oculos iam clauſos concauóſque

Aliud miraculum.

habebat, quę ſunt indubitata mortis indicia, vociferari & eiulare cœpit, Hai. Hai. Hai. valdè dolentis affectum replicans. Cui pater, Quid eſt, fili? quid pateris? Et puer, Venit, ait, modò ad me quidam ex prædicatorum cœnobio forma & habitu pulcherrimus, qui tãgens manu dolentem mihi locum hunc, impreſſo fortiter digito eum perforauit, & nouum mihi fecit dolorem. Intellexit rem pater, & inter metum & ſpem rei euentum expectabat. Et ecce tota illa intrinſeca conlectio reſoluta eſt, & ſalutifera deiectione per inferioreis parteis exinanita atque profuſa, puérque præter omnium opinionem ex diuturno atque enecante vitio ſubitò conualuit.

Apud Scallabim in parœcia D. Bartholomæi Ioannes Solerius grandem vini corrupti cupam habebat, cuius peſſimus ſapor, color lutulentus, teter odor, & naribus erat admodum grauis. Dolebat homini iactura rei familiaris, alioqui per anguſtæ quam illius vini pretio ſubleuare potuiſſet. Cumque iam effundere cogitaret, ne ex putoris virulentia etiam vaſis damnum faceret; ſubiit illi, vt eſt ingenioſa neceſſitas, ſancti viri auxilium implorare. Pergens itaque ad ſepulchrum, huiuſcemodi ſancto patri oratione conquere-

batur; Ægidi ſanctiſſime, quem ego apud Deum multum poſſe non dubito, reſpice, quæſo, meam tenuitatem, & dignare vinum illud corruptum & omninò deperditum tua mihi pietate reſtituere, vt ſit vnde rei familiari, quæ valdè eſt exigua, ex parte aliqua conſulatur. Abiit deinde domum, & anxius ſolicitudine, cùm vix dum horæ quieuiſſet ſpatium, arrepto terebro cupam perforauit, ex qua prodiit vinum purum, meracum, defæcatum, guſtu atque odore ſuauiſſimum. Admiratúſque ſubitam mutationem, Ægidii beneficium prædicans, venale expoſuit. Ad cuius tabernam propter famam concurrente turba, celerrimè totum vendidit, magnámque inde ſuſtulit pecuniam. Ad ſignificationem verò ſuæ gratitudinis rediit ad ſepulchrum cum candelis, & eiuſdem vini amphoram cœnobitis detulit.

Ibidem quoque ad S. Nicolaum Andreas Petreius cùm haberet & ipſe cupam ingentē vino plenā, & ſponte ebulliens acuiſſet, cœpit etiam muceſcere. Quod cùm effundere in terram decreuiſſet, vxor eius Maria Petreia, Petri Arii filia, tacta religione, viri ſancti adiit ſepulchrum, & cum lachrymis cœpit rogare, vt ſuæ paupertatis miſereretur. Paulo enim antea multarum rerum amiſſione man-

ſerant attenuati. Inde concepta fiducia terræ pugillum ſumpſit de tumulo. Eam terram linteolo colligatam dimiſit in cupam. Poſtridie accedens cùm vinum integerrimum ac ſuauiſſimum inueniſſet, præconio quanti voluit, indicauit, & lucrum fecit non exiguum. Propter hæc quæ de emendato vino retuli miracula, ſollemne Scallabi eſt quibus vinum immutatur, ad Ægidii nomen confugere. Et eò vſque populi deuenit affectus, vt in dextro humero effigiei ipſius lapideæ, quæ ſuper ſepulchri opertorium protenſa eſt, lacunulam excauârint; quò importatum vinum effundentes, rurſus inde ſumptum in dolia aceſcentis, aut aliâs fugientis & pereuntis vini transfundunt, exemplo ad alias iam ciuitates tranſlato, vt ferè idem faciant ad pictam imaginem, quod faciunt Scallabitani ad ſepulchrum. Vino etiam illo quod in lacunula ſemper manet, lippienteis & albuginoſos iniungunt oculos, illo vlcera & variè corruptas corporis parteis abluunt qui iſta patiuntur: & pro ſua quiſque fide iuuatur.

In his Ægidii geſtis comperio fuiſſe Scallabi Domnam Mariam Bernardiã viduam, cuius alibi meminimus, ſororem religioſi viri fratris Petri Bernardii, quæ vxor fuerat

Conſalui Menendii. Nec certum habeo, fuerítne hic Conſaluus Menendius, magnus ille Cancellarius, ſancti patris Ægidii conſobrinus, de quo libro primo, exemplo. 83. mentionem fecimus: ſed ibi Conſalui ipſius vxor Domna Marina perhibetur, & in libr. τῶν γενέσεον, Petri Comitis, titulo 45. §. 4. Domna Marina Martinia Domni Martinii Barragani filia nominatur. Hæc autem Dõna Maria cùm Bernardia cognominetur, patrem habuiſſe Bernardum oſtenditur. Aut ergo Conſaluus hic Menendius alter à Cancellario illo fuit, aut ſi idem fuerit, hanc Domnam Mariam Bernardiam ſecundam fuiſſe vxorem oportebit. Sed fuerit, an non fuerit, non multum refert. Certè & virum & vxorem illuſtrem, & illuſtri fuiſſe familia, ex perſonis hîc nominatis liquidò apparet. Hæc ergo nobilis vidua ſeruum Saracenum habebat tanta ſectæ ſuæ Mahometicæ tenacitate addictum, vt de Christiana fide ſuſcipienda frequenter verba facienti Dominæ non modò non acquieſceret, verùm etiam ad illius ſuggeſtionem aureis digitis obturaret. Cúmque tandem graui eſſet morbo correptus, & in ſua perſiſteret contumacia, hera ſcapulare ſancti viri quod habebat, ad caput ægro appoſuit, magna cum deuotione

i. ſtirpium, ſeu generationum.

dicens,fiduciam habe de fratris Ægidii ſanctitate. Nā vel eius meritis & precibus Deus ab hoc te morbo liberabit,vel ſi ex eo moriturus es,baptiſmi fonte purgatus, heinc migratis. Interea facto apud cœnobitas ad ſynaxim veſpertinam ſigno, Bernardia eò ſe contulit,vt ſacro viſitato ſepulchro, ſerui vtramlibet ſalutem ab Ægidio poſtularet.

Saracenus meritis B. Ægidii baptiſmū poſtulat.

Dum illic eſt, Saracenus cœpit magna voce Dominam ſuam vocare,& ſumma inſtantia baptiſmum efflagitare. Præſto illi fuerunt Domnus Bernardus,Giraldus Suerius,Laurentius Menendius, & Domna Catharina, ipſius Domnæ Mariæ fratres, Domna quoque Gontina,& Orraca; Gilia vicinæ. Ergo ſine mora magna fide baptizatus, Chriſti etiam corpus miro affectu ſuſcepit. Cúmque illi extrema iam inſtarent,apparentes dęmones in deſperationem illum inducebant. Ad quorum terrores nouus Chriſti ſeruus ſigno crucis ſe muniens increpabat illos,à circumſtantibus poſtulans,vt ſe iuuarent. Inter hæc vidit totam domum accenſis cereis conlucentem, & in medio Chriſtum ſeruatorem noſtrum ac ſuper benedictam virginem eius matrem,bonum animum habere iubenteis: ad quorum aduentum importuni mali genij receſſerunt. Videbat etiam Conſaluium Menendium

nendium herum ſuum maritum Domnæ Mariæ iam defunctum vnà cum filia Maria etiam defúncta ſibi adſtare, vtrumque pulcherrima forma & læta facie ſe vocãtem. Aderat quoque in prædicatorum habitu quidam ſplendidiſſima luce coruſcus, qui renidentiorẽ protendẽs ad illum manũ, inquiebat, veni, ne timeas. Quæ omnia cùm dominæ & iis qui aderant mirabundus retuliſſet, intellexerunt beatum adeſſe Ægidium; & veſtem cùm fide appoſitam hominem eatenus deuium ad illam gratiam perduxiſſe. Sic inter adhortãtiã ád ſpem impetratæ miſericordię verba lætus requieuit in pace. Qui affuerunt omnes in ſumma ſæpé frequentia teſtificati palàm ſunt, à quibus ea noſter auctor accepit.

Domna Gontina, cuius paulo antè obiter mentionem fecimus, ſancta & venerabilis mulier, quę poſt viri obitum in perpetuæ caſtitatis propoſito perſeuerans, verè viduam ſe bonorum operum exercitatione præſtabat, diu calculi, atroci malo vexata eſt. Eóque magis quod naturale verendum detegi neq; fœmina medicaturã patiebatur. Cùm itaque ad mortem ex vrina multos iam dies non profluente deueniſſet, & conlapſo eius itineri adhiberi medelam nequaquam fer-

ret, Domna Maria Bernardia, quã diximus, vicina eius, ſcapulare ſancti patris ſuper illam extendit, dicens iis qui ibi aderant, Fortè dignabitur ſanctus pater Ægidius ab hoc malo eam liberare; ſin autem è vita migrauerit, proderit ei certè, veſtem illius hanc ſuper ſe tenuiſſe. Ergo matronis aliquot vnà cum domeſticis ibi pernoctantibus, & inſtantem deceſſus horam expectantibus, Bernardiæ leuiter dormienti ſub matutinum crepuſculum, huiuſcemodi oblatum eſt viſum. Scala ab eadem qua ægra cubabat domo pertingebat ad cœlum; in imo eius gradu poſita illi videbatur Gontina; in ſuperioribus verò ſanctus pater Ægidius fulgentiſſima luce radians, qui manu deorſum protenſa Gontinam apprehenſam ſurſum ſecum trahebat. Bernardia fœlicitati eius cùm verbis gratulari tentaret, excitata eſt, & viſum iis qui aderant retulit, & Gontina halitum extremum efflauit placidiſſimè.

Scalæ cœleſtis viſio: in qua B. Ægidius erat.

Eadem Domna Maria Bernardia, auris alterius oborta inflammatione, febrem patiebatur dolore nimio ac vigilia cruciantem. Quare ad expertum in aliis remedium confugiens, cùm iſſet cubitum, ſcapulare illud auri læſæ ſuperpoſuit. Vix ſopita, con-

ſpexit fratrem Ægidium ad ſe venientem, & ollam nouam calida aqua plenam manu porrigentem atque dicentem, Appone aurem ſuper ollam, & calidæ huius aquæ ſuffitu atque vapore, ſine dubio curaberis. Inde accedens, ollam illi ſupponebat, protinúſque ex aure erumpebat aquæ copia cum ſanie: & re ipſa erupit ſine mulieris ſenſu. Quæ ſtatim præ gaudio viſi expergefacta, penitùs ſe ſanam & benè audientem inuenit.

Virginis, Ciſtercienſis inſtituti cœnobium eſt inſigne in Olineto extra muros Conimbrigæ, in loco vbi Vernandus Legionenſis Rex cùm Conimbrigam obſideret, ſtatiua caſtra totos ſeptem menſeis habuerat; memoriæ cauſa quantum areæ fixum Regis tentorium occupabat, effatum ſacratúmque fuit: atque ita ædes rotunda perſeuerat. Ipſum Partenonem Cellas Vimaranenſeis appellant. Reddere modò nominis huiuſce rationem, negotii eſt à meo inſtituto alieni. Huc ſanctus pater, cùm eſſet Conimbrigæ, frequenter venire conſueuerat, vt ſacras Chriſto ancillas ad cœleſtium amorem prædicationibus animaret. Erga quem illæ viciſſim religioſo *Cellæ Vimaranenſes.*

ac pio affectu tenebantur, illumque maxima obſeruabant reuerētia dum viueret, & deinde mortui memoriam ſummè venerabantur. Accidit aliquando defectu imbrium ingens anni ſiccitas. Quare adulta æſtate neceſſario magis tempore, puteus vnde bibere ſolebant, penitùs exaruit, cogebanturque longiuſculè aquatum mittere ſumma difficultate propter aquæ pænuriam, ac labore non mediocri. In qua anguſtia conſtitutæ, in ædem vnde illas vir beatus exhortari erat ſolitus, pariter conuenientes, Præfecta verba præeunte, cæteris attentè audientibus annuentibúſque, precatæ ita ſunt; Ægidi pater ſancte, tu nobis aquam ſalientem in vitam æternam abundè ſuppeditaſti in mundo viuens, tu etiam de cœlo, vbi nunc meliùs viuis, nos famulas tuas tuo deuotas nomini reſpicere dignare, & aquam iſtam putealem, qua mortalis noſtra infirmitas carere non poteſt, nobis etiam ſubminiſtra, pater. Flentibus cunctis, & reſpondentibus Amen, ac miſericordiam acclamantibus, Præfecta vt ſurgerent imperauit, atque ad puteum ſecum omnes accederent. O ſanctorum ex diuina largitate potentiam! Puteus cuius ne fundi quidem glarea, ſiccatis omnino venis, madebat, inuentus eſt ſcatebris

emicantibus propè redundare. Neque ſolum poſt id aqua non defecit, ſed etiam indigenti viciniæ ſuppeditabatur. Communi ergo conſilio ceream candelam ad altitudinis putei menſuram facientes, per cœnobii ancillam quãdam Scallabim ad ſepulchrum ſancti viri miſerunt.

Poſt aliquod inde tempus ſerui Saraceni duo ex iis qui cœnobii eiuſdem miniſterio ſeruiebant, clàm fugam arripuerunt, diúque per plura loca & à pluribus perquiſiti non comparuêre: cúmque inueniendi eos omnino perfrixiſſet ſpes, patronum ſuum religioſæ fœminæ humiliter precabantur, vti dignaretur fugitiuos valdè ſibi neceſſarios reuocare. Non multi abiêre poſtea dies, & Saraceni immutatis animis ad cœnobium ſpõte ſua redierunt, fugæ veniam demiſſè obſecrantes. Lætatæ eorum reditu Chriſti ancillæ, quatuor cereos pedes per ſuperiùs dictam famulam, frugi mulierem Scallabim tranſmiſſos ante ſepulchrum beati viri ſuſpendendos curauerunt.

Atque hæc ſunt quæ in veterrimo illo libro, quem in principio dixi, à ſępe citato auctore ſcripta reperi. Quibus viſum eſt addere tria, quorum me diuina bonitas ſpectatorem ac teſtem eſſe voluit. Quæ in eodẽ quo-

que libro quo contigerunt tempore publici notarii fide Luſitano idiotiſmo ſcripta continentur, Lemius qui & ipſe iis cùm fierent interfuit, quem ego pridie quàm commentatus illa ſum, conueni: à quo explorare cùm vellem, ecquid eorum quæ ante annos ſex & quadraginta nobis adoleſcentibus contigerant, meminiſſet, comperi apud eum non modò earum rerum memoriam non eſſe intermortuam, verùm propè etiam nouam atque recentem.

Aliud miraculum

Igitur vertente anno poſt Seruatoris noſtri natalem milleſimo quingenteſimo atque vigeſimo, cùm ego ſtudiorum gratia à puero cœptam peregrinationem perſequi conſtituiſſem, & Oliſipone vbi tum eram, in Galliam Belgicam nauigationem expectans, peſtilentiæ tabes cœpiſſet graſſari, conſilium mutare ſum compulſus: vt videlicet Salmanticam annos aliquot me conferrem. Deueni ergo Scallabim, vbi cœnobitis præerat non ſine honoris præfatione mihi nominandus venerabilis pater Franciſcus Vargus Lemius. Is cùm ſpecimen indolis non peſſimè datum à me eatenus, non ignoraret, humanitate me retinere tentauit. Sed hoc ſolùm potuit efficere, quod autumnales pluuiæ aliquanto immodicæ

meam proficiſcendi libidinem retardabant, apud ſe vti manerem ad exitum vſque anni. Erat cœnobio ſuppræfectus frater Thomas Matus, cuius etſi litteræ erant non multæ, conciones tamen gratæ ac maximè populares. Illic igitur die quadam ad quartum Idus Octobris præfecto abſente, Matus ſupræfectus à prandio me ſuuiſit, & fratrem Rochum Lemium, ac fratrem Cyprianum Celtiberum ex Ceruaria oppido Terragenſi veteri municipio vicino, vt vnà ſecum viſerem fabros in templi porticu lapides quadranteis ad opus quoddam quod faciendum imperàuerat Leonora regina, Caroli V. ſoror, diui Emanuëlis Luſitanorum regis tertia vxor, Mariæ huius principis noſtræ ac heroïdis incomparabilis mater, ob facile ac fœlix puerperium quod habuerat, appoſito ſancti patris ferreo cingulo, de quo alibi. Dum ibi ſumus ad angulum præ foribus templi, videmus hominem ſuper ſtramenta cubantem, non quidem pannoſum, ſed breui peregrini habitu indutum, & honeſta vultus grauitate commendabilem. Aderat ei vxor & puella quæpiam. Quæſito à quadratariis, quinam illi eſſent, reſponderunt; nihil

Miraculũ partus Reginæ Leonariæ cingulo B. Ægidii appoſito.

ſe aliud ſcire, quã Caſtellanos eſſe qui à duodecim retrò diebus imbrium vi eò confugerant, quod ingredi in oppidum eſſent prohibiti, quaſi Oliſipone venirent, vbi, vti diximus, peſtilentiæ lues graſſabatur. Homo cùm intellexiſſet, ſermonem de ſe haberi, vxore, & puella iuuantibus ſurgere, eſt conniſus altera corporis parte omnino ſideratus. Atque mulierum & ſcipionis miniſterio, adhærens parietibus, ad nos perreptauit. Quem ſuppræfectus animi miſeratione excipiens, ſuper lapidem ſedere iuſſit innixum ſuis: rogauitque vnde eſſet. Ille retracto ad aurem ore ægerrimè verba proferens, reſpondit ſe ex Vrſaonenſi Bæticæ prouinciæ eſſe oppido: domo exiſſe ſanum ac benè valentem, & religionis cauſa ſancti Iacobi Apoſtoli viſitato Compoſtellæ oraculo, cùm Oliſiponem nuper ante dies duodecim ſe conferret, vt nauigio aliquo Gaditano in patriam rediret; ante diem pridie Calẽdas Octobris è regione cœnobii quod virginis virtutum vocant, apoplexia tactum atq; afflatum, ſubitò corruiſſe in tortam vi ſideris faciem fœdæ oris & partem totam, vti cerneremus, paralyſi vehementer reſolutam. Ad mulierumque clamores atque lamenta, accurriſſe aliquot ex illa vicinia, & à cœnobio adcitum qui

peccatorum exomologeſim vtcumque facere ipſe potuiſſet, tanquam à protinus morituro exciperet. Inde a ſello quo in itinere ad ſarcinulas vehendas vtebantur, impoſitum, rediiſſe Scallabim, nec permiſſum ingredi: neque ad ſtabularium quempiam, neque ſaltem ad πτωχοδοχεῖον diuertere: imbrium cadentium vi ad locum illum qui Chriſti pauperibus & egenis, vt ipſe erat, ſine repulſa patêret, etiam ſe confugiſſe. Commouit hominis oratio omnium qui aderant, ad cõmiſerationem animos. Miſitque ſupprӕfectus qui illi quod ederet afferrent. Et cibo potúque refocillatum interrogat, num ſancti fratris Ægidii qui illic ſepultus eſſet, nomen apud ſuam gentem inaudiſſet. Neganti ſupprӕfectus pauca narrauit. Denique perſuaſit, vt cum fide ad ſepulchrum accederet. Ille incenſus ſanitatis deſiderio, duci ſe poſtulauit. Vocato igitur ӕdituo, vt eccleſiam aperiret, inter manus & mulierum & eorum qui aderamus, trahebatur, ſed ita vt bis oportuerit eum ſedere & interquieſcere antequam ſepulchro appropinquaremus, ad quod cùm deuentum eſſet, toto procubuit corpore. Qui aderamus, flexis genibus Antiphonam, Confeſſor Domini, decãtauimus; ſupprӕfecto orationem proſecuto. Homo

i. pauperũ hoſpitiũ.

ceſſabat iteratis vicibus ingeminare, O benedicte! ô ſancte! ô mi ſoſpitator! Rurſum ad foreis, rurſum ad ſtatuam, nequaquam illud omittens, O benedicte! ô ſancte! ô mi ſoſpitator! nobis admiratione ſtupentibus. Suppræfectus autem imperauit æditu, vt tintinnabulum crebris, nec vſitatis ictibus compulſaret, vt ſolet fieri in rebus ſubitis, ad populum cōciendum. Concurrit ergo multitudo ſpicantium in cœnobio incendium eſſe ſubortum. Cúmque hominis feſtinationem animaduerterent, vocéſque gratulatorias audirent, compellabant. Sed ille ad omneis ſurdus, ſoli curſuræ, & ſtatuæ complexibus intentus nihil reſpondebat. Re tamen intellecta, eo quòd notus iam eſſet ex dierum præteritorum ante foreis templi cubatione, tantus ſublatus eſt turbæ clamor, & inuicem loquentium ſtrepitus, vt facere audientiam ad enarrandum neque elatis dextris poſſemus. At ſuppræfectus de ſuperiore loco magna voce clamans, vt vel ſic audiretur, Dominica ſtatim ſecutura populum ad concionem inuitauit, poſtridie tamen adſcito ad locum capituli publico apoſtolicæ ſedis notario, productóque homine corā cœnobitis & iis qui teſtimonio dicendi gratia ſunt vocati, videlicet ex quadratariis Aluaro

Caſtrio;Georgio Vernandio, Petro Ioannide, Georgio Ioannide, aliiſque numero circiter ad triginta memoria inſtrumentum conficiendum ad poſteritatem curauit.

Aliud. Dominica inſecuta cùm frequens conueniſſet populus, & ſuppræfectus pro concione rem geſtam edocuiſſet, hominemque in ædito loco vnde poſſet conſpici, iuſſiſſet ſtare, denuò clamor ab omnibus qui aderant, ſublatus eſt, & impetu irruptum ad ſepulchrũ. Ibi duo pulcherrima in omniũ oculis ædita miracula. Mulier mammam habebat cancro acerrimo corroſam ac putrem, à fœtore graui naribus intolerabilem. Hæc acceſſit, & ex lacunula humeri ſtatuæ, linteolum vino quod ibi ſolere ſemper eſſe, ſuprà memorauimus, madefaciens ſuperexpreſſit, linteumque expandit. Et ſubitò antequam ſe loco moueret, exeſa mamma ſanata eſt, in ſponte decidentis cancri loco ſuppleta carne, & papilla nutricandi officio pernecesſaria, vberi reſtituta, priſtinam formam recepit rubore tantùm nouam ſanitatem atteſtãte. Altera mulier in vlnis filiolum geſtabat, cuius ſiniſtrum brachiolum fœdârat ſacri ignis ſpecies quædam, infantibus familiaris, quam qui ex Iudaïſmo apud nos medicinam ſunt profeſſi, hurſacrum appellauêre, voce ex

hebræo & Latino ſermone compacta. Morbus etſi non nimis eſt pernicioſus, multum tamen fœditatis habet propter puſtularum inuicem concretarum, aſpretudinem. Porrecta ergo mulier ad lacunulam manu, intincto linteo, nudatum infantis brachium contexit, domum abitura. Sed cùm aliquãdo præ turba impediretur, arefactum calore linteum voluit iterum madefacere. Quod vbi tollere tentauit, tota illa puſtularum ſeries ſponte ſecuta eſt in linteo, & brachiolum purgata omni noxa ſanum relictum. Ad vtriuſque mulieris & admirantis turbæ acclamationes accurrimus: & quæ ſuppræfecti erant partes, notario imperatum, vt ſuperiori miraculo addenda iſta curaret. Tria hęc quorum ſpectator ipſe fui, viſum eſt ceu coronidem hiſtorię huic inſerere, ne per obliuionem ad poſteros non venirent, vt multa quæ propter aſſiduitatem & cœnobitarum negligentiam interciderunt. Nunc te, ſancte pater Ægidi, quanta animi demiſſione poſſum, oro, vt qua religione ac pietate in tuis recẽſendis virtutibus verſatus ſum, eadem tu me ad ſenectutis huius extremum perducas. Et ſi quid benè de te merui, benè quemadmodum Chriſtianum ſacerdotem decet, tandem vt moriar te quæſo vt ęfficias.

COMPENDIVM GESTORVM ET SANCTÆ CONVERſationis D. Gondiſalui Amaranthi, Luſitani, Ord. Frat. Præd.

RATIONE *non leui, Chriſtiane Lector, in animum induxi mihi,* D. *Gondiſalui Dei famuli fideliſsimi, ordinis præd. alũni olim, geſta exſcribere latinoq; vtcumque idiomate traducere atque exteris etiam nationibus eius ſancta virtutum exempla, mira prodigia, & efficaciſsima merita oſtẽtare. Etenim patronum illum & meum, ſi fas eſt dicere,* Mœcenatem *à multis annis iam agnoſco atque fateri compellor. Tum quia ex eadem* Prouincia *& profeſsionis inſtituto, per* Dei *gratiam, me contigit eſſe: cum etiam quia me olim quodam peculiari miroque deuinxit beneficio, quod quamuis occultè receperim, publicè nihilominus fateri nunc teneor. Cum enim pueriles adhuc annos tranſigerent, naturali quadam premebar inualitudine, quæ tametſi periculoſa non eſſet, faſtidioſa tamen & grauis adeo mihi videbatur: vt non ſolum corpore ſed & mente etiam illius cauſa valde afflictarer. Conſilio tandem atque exhortationi piæ meæ matris acquieſcens, quæ valde mihi compatiebatur, ſepulchrum D. Gondiſalui Amaranthi, quod per viginti circiter diſtabat miliaria, religionis ergo viſitare inſtitui. Iter igitur poſteà lætanter aggreſſus, non ſine magna ſani-*

tatis obtinendæ fiducia, propter crebra miracula apud eiuſdem Diui tumulum, quotidie patrata, cum aliis turmatim vouentibus ea quam puerilis ætas ferebat deuotione, ad illius templum reuerenter acceſsi. Deinde petitione mea vtcumque ſancto Dei famulo propoſita, ſacro etiam pro me facto à quodam ſacerdote ſui inſtituti & non dum mei, ad paternam domum ſum reuerſus. Non multo poſt tempore, *præfinitum incolumitatis inſtans minime deprehendens, gratias* Altiſsimo, *in ſuo famulo* Gondiſaluo, *me ab illa natiua & ſatis onerosa inualitudine omnino liberatum perſentiui & vſque ad hanc horam qua hæc ſcribo clare experior. Hoc* Dei *beneficium, à me indigniſsimo, receptum meritis & precibus* D. *Gondiſalui Amaranthi aſcribere nec vereor nec dubito. Extant enim quotannis imo fere quotidie tot tantáque ſanitatum genera à vouentibus, eius meritis apud deum impetrata: vt illorũ reſpectu quæ ad eius tumulum cernuntur in dies, hoc quod retuli minime comparandum veniat. Huius Diui geſta, tam ante religionis ingreſſum quam poſtea, eum in modum compendioſa & confuſa reperiuntur vbique Luſitaniæ: vt quaſi fragmenta potius quædam hiſtoriæ videantur: quam integer tractatus. Reperitur tamen, hoc qualecumque compendium, ſufficienter authenticum ſermone Luſitano Brachare* Auguſtæ *excuſſum, per quendam religioſæ memoriæ patrem, eiuſdem ord. frat. præd. qui frater Didocus de Roſario dicebatur: de mandato Re-*

uerendiſſimi D. F. Bartholomæi de martiribus Archiepiſcopi Bracharenſis, eiuſdem profeſſionis alumni. Alius etiam Luſitanus pater & prædictorum frater iam vita functus in lucem hoc opuſculum ante me aliquãdo voluit emittere ſed, quod ad manus meas peruenit, taliter latinitate erat donatum, vt vere poſſim affirmare illius lectionem ad nihil aliud mihi deſeruiſſe: quã ad veritatem hiſtoriæ huius cum illo concordandam aliquando. Hæc omnia boni conſulas piè lector.

COMPEN-

COMPENDIVM GESTORVM ET SANCTÆ CONuerſationis D. patris Gondiſalui Amaranthi, Luſitani, ordinis fratrum Præd. ex proprio illo idiomate fideliter traductum.

Cap. I.

Præambulum hiſtoriæ, de regione Interamni Durii & Minii.

INTER reliquos populos quos antiqui ſcriptores in noſtra Luſitania certis nominibus finibúſque propriis diſtinxerunt: alii hij ſunt Bracari olim dicti; qui modo Interamnes vocantur Durii Miniique fluminum anguſtati fluentis. Hæc prouincia parua quidem & contemptibilis iudicabitur ſi amplitudinis ſpacium geometricè quiſpiam menſurare velit. Quippe quæ longitudine; tantum decem octo leucarum Hiſpanicarum, alibi vero ſex, alibi etiam quatuor, clauditur menſura. Si vero climatis naturam, glebæ pinguedinem, & rerum omniũ ad humanæ vitæ

vſus deſiderabilium, inexhauſtum theſaurũ introſpicias: adeo ſpacioſam vel potius portentoſam inuenies, vt non dubitem quin ſeptem mundi miraculis hoc octauum partim à natura productum, partim vero ab arte & induſtria humana elaboratum meritiſſimò ſuperaddere poſſis. Illic enim à ſolicito agricola ſubacta terra quater in anno ſæpe fructus vberrimos ſeménque cũ fœnore reddit. Illic propter propiciam aëris temperiem, humani generis propagatio tam multiplicata cernitur: vt veritatem non ſolum dubiam narrare volentis, ſed falſo ſimilimam efficiet. Eſt enim tota illa regio vbique fere locorum taliter exculta, atque vrbibus, oppidis, pagis, caſtris, ruribus, prædiolis, monaſteriis occupata & referta: vt vna tantum ampliſſima ciuitas affabrè conſtructa, ex his omnibus populoſis locis, ſurgens videatur. Extat huius rei clarum in multis auctoribus teſtimonium, qui de geſtis Romanorum loquentes, aſſerunt illorum duces & imperatores per ſpacium quadraginta annorum, multis prius hinc inde fuſis exercitibus abſumptis, inſudaſſe antequam hanc regionem Interamnem debellauerint. Imo & L. Florus idem confirmãs teſtificatur, quod in vna ſola æſtate, cum L. Poſthumius aperto

marte cum Bracharis Interamnibus bis obſtinato & ancipiti ſemper bello pugnaret, ex illis populis pertinaciter conſtantérque reſiſtentibus non minus quàm viginti quinque milia in illis duobus prœliis occubuiſſe. Cœli namque temperamentum illic adeo humanam vegetat naturam ac multiplicatã conſeruat: vt nec tempus hibernum in rigido frigore nec æſtiuum in calore nimio niſi in quampauciſſimis anni diebus ſentiatur. Arbores omnis generis fructiferæ tam in præruptis montium quàm in agrorum planicie, ſemper fere virenteis, faciem terræ operire conantur. Quocumque ſe viator vertat limpidiſſimos fonteis in æſtate frigidos in brumali frigore tepidos à petris & ſaxoſis ripis vmbroſè ſcaturire ſuſpiciet. Illorum copiam; numerum viginti quinque milium implere Ioannes Vazeus & Germanus quidam, autor tabularum Hiſpaniæ, auſi ſunt aſſerere. Doctor tamen quidam Palacius profeſſione medicus, natione Luſitanus qui in eadem regione diu habitauit, in libello quodam quem de mirabilibus eius cõpoſuit duo mille quingentos tantum fontes, & flumina ſeptem magna, reperiri aſſerit. Pontes verò ex quadrato lapide elegantiſſimè conſtructi tercenteſimum numerum, Mo-

naſteria cẽteſimum trigeſimum, portus maritimi nauigabiles ſenarium etiã numerum complent. In Metropolitana Bracharæ Auguſtæ ſede, mille centum baptiſteria totidẽque parrochiales eccleſiæ hodie numerãtur. Nec proinde mirum ſi Romani milites illic Lethęum flumen inueniſſe, quem incolæ Limiam, vocant, non ſine ſuperſtitioſo affirmauerint timore. Poſtquam enim Limia tranſito Interamnem regionem penetrabant illius deliciis & amœnitate allecti, ad proprios redire lares minimè amplius recordabantur. Quinque in hac noſtra ętate tantum in ea diuites eccleſiæ collegiatæ florent, & tres ſedes Epiſcopales, quorũ præcipua Brachara Auguſta vt diximus, totius Hiſpaniæ Primas, hodie cernitur, quæ S. Petrum, Apoſtoli Petri diſcipulum, primum meruit habere Paſtorem & Martirem. In huius ergo Metropolitanæ ſedis diſtricto, (vt ad hiſtoriam accedamus) natus eſt Diuus hic Gondiſaluus. In quo olim D. etiam Damaſus ex Vimaranẽſi oppido ortus, eccleſiæ Dei non parum contulit ſplendoris.

CAP. II.

De particulari D. Gondiſalui patria, eiuſque parentibus & infantia.

INcognitus ille antea pagus, in quo primum D. hic Gondiſaluus lucis vſura frui viſus eſt, Luſitano idiomate, Tagilde, vocatur; Parœcia verò, Sancti Saluatoris, non longe à flumine Auicella olim dicto, ad differentiam alerius, Auis vocati, qui in eadem regione per inuictæ Cininiæ radices, nubiloſus ſemper, labitur; nunc autem corrupto partim antiquo eius nomine, flumen hoc, Vizzella & vrbis ruinæ, Citania nominantur. Parentes eius illuſtris ſtemmatis ſplẽdore clari extitêre; Quo multoties gratuito Naturæ beneficio, tanquam angulari lapide virtutibus multis, ſtabile firmumque illa fundamentum iacere conſueuit. Eſt enim, ſtirpis nobilitas (teſte D. Hieronimo) futuræ virtutis, quoddã certum pignus, atq; veluti flos quidam ſuauiſſimus, amæniſſimũ fructum tempore opportuno promittens. Præſcriptum verò & indubitatum ſæculum, in quo, vir hic Apoſtolicus claruit, nec ex noſtris Luſitaniæ annalibus, nec etiam ex monimentis ordinis ſatis cõſtat. Imo (quod magis miror) perluſtratis multis Galliarum bibliothecis conuentuum noſtrorum, à tribus iam annis, cum de aliis Luſitaniæ patribus antiquis veſtigia nonnulla inuenerim; D. Gondiſalui Amaranthi, nec ſaltem nomẽ

(vt de geſtis taceam,) aut memoriam reperire potui. Ac proinde patrum noſtrorum craſſa incuria, re tanti momenti obliuione ſepulta; quæ non parum ad ordinis noſtri ſplendorem conducere, videbatur: opportuna occaſio æmulis noſtris fuit oblata in dubium vertendi, cuiusnam profeſſionis aut inſtituti D. Gondiſaluus Amaranthus olim extiterit. Cum tamē, res adeò ſit clara: & per ſe nota, quamuis de tempore nō nobis conſtet vt à ſæculo immemorabili in tota Luſitania, vulgare ſit & celebratum, illum fuiſſe Dominicanum, ordinisque fratrum præd. alumnum; atque non niſi obſtinatis æmulatoribus, oppoſitum contingat liceatue ſuſpicari. Minime tamen me opponam, cuicumque opinari volenti, illum ante ordinis prædicatorum ingreſſum canonicum regularem ordinis D. Auguſtini, aut inſtituti D. Benedicti prius alumnum fuiſſe. Argumenta enim in oppoſitum me ad hoc concedendum licet non adducant tamen inuitant: ſic enim & Patriarchæ noſtro D. Dominico aliquando contigiſſe legitur. Erant vtique tūc temporis, tot almi ordinis Benedictinorum propagines, per totum orbem diffuſæ & dilatatæ, cum tanto cœleſtis doctrinæ fructu luxuriantes; quod vix eccleſia aliqua parœ-

cialis,(vt de Epiſcopalibus ſileã)in tota Luſitania,imo & in Europæ maiori parte reperiretur,quę ex ordine D.Benedicti Curionẽ paſtoremue non poſſideret. Quod ſimiliter etiam legitimo D.Auguſtini ordini in Gallia cõtigiſſe;ſaltem quoad eccleſias multas Epiſcopales coniecturari licet. Hæc in gratiã pii lectoris, pro ſubſequentis hiſtoriæ faciliori intelligentia interſerere, non piget. Si vero ex temporũ circumſtantiis,coniectari nobis licet;floruit D.Gõdiſaluus illo aureo(noſtri inicìantis ordinis)ſęculo;quando vitis Apoſtolicæ palmites,(D.inquam Dominici,diſcipuli) per totum orbem terrarum, (vt in breui compendio huic volumini appoſito videre licebit ;) verbum Dei glorioſe annuntiabant. In eodem namque cœnobio prædicatorum fratrum vbi illius ſacræ venerantur reliquiæ Regalibus extructo expenſis in quo iam & antea illius ſacellum extiterat; antiquiſſima cernitur ſculptilis quædã imago eius , ſacris Dominicanæ familiæ indumentis ornata. In cœnobio etiam 2. Vimaranenſi , quod ferè eodem tempore , licet in alio ſitu diſtincto fuit inchoatum, quãdo Patriarcha D. Dominicus Hiſpanias , poſt ordinis confirmationem,à Gallia diſcedens,

perluſtrauit: eiuſdem. D. Gondiſalui, qui ibidē ſacro fuit habitu, primò indutus per traditionem immemorabilem, antiquitus depicta conſpicitur illius effigies; habitų prædicator. ornata, in qua miraculum illud D. Patris apparet: quandò, pro conſtructione pontis Tamacani (de quo poſtea) piſces ſe illi certatim ad fluminis oram offerebant vt operis conſtructoribus victū miniſtraret. Natus igitur, hoc circiter tempore, Chriſti miles futurus, Gondiſaluus; atque pro regenerationis lauacro ſuſcipiendo. die conſtituta & vt nouum hominem indueret in eccleſiā deportatus, eodem momēto in quo per ſanctum baptiſma fuit renouatus; futuræ ſanctitatis, cœleſtia claráque indicia, coram omnibus, præbuit. Vt enim, à ſacro fonte, fuit leuatus, patris ſui Gondiſalui, nomine eodem, ſibi indito: præſtolanti nutrici, vt ſolet fieri cum confeſtim eſſet traditus, quô à querulośis vagitibus, lactis dulcedine tractus, temperaret: nouus ille lucis filiolus, ad cœlum ſolummodò anhelare incœpit. In brachiis nāque nouæ altricis reclinatus & ab ea conſtrictus, vbera prorſus reſpuens, ſiccis ſubitò ocellis, & verſus quandam Chriſti crucifixi imaginem defixis, lamenti oblitus, & lactis; tenera brachiola, ad idem cœleſte obiectum

inenarrabili iubilo protendebat. His vtiquè ſignis crucifixi effigiem ſe amplexari velle inſinuabat. Hæc inopinata res, aſtantes omneis illi primo atq; deuotiſſimo eccleſiæ ſacramento, non ſine magno ſtupore in inuſitatam, traxit admirationem. Peracto vero ſolemniſſimo illo ſacramentali catheciſmo, ſucceſſiuo poſt temporis labente fugaci curſu, ſolebat educatrix illa ſpectatiſſimi infantuli aliquotiens eandem ſancti Saluatoris parrochialem eccleſiam ſimul cum alumno ſuo, ſacrum audiendi vel orandi cauſa, repetere atque frequentare. Puerulus autem Gōdiſaluus, inſtinctu motus, pluſquam humano, à collo pēdens illius, in ingreſſu protinus eccleſiæ, oculis circumcirca eleuatis, totam perluſtrando ſacram domum, ſupra memoratam Chriſti paſſi imaginem, ſolicitè quærebat. Poſtquam vero eam ſuſpexiſſet, atque deuotis comprehendiſſet ocellis, à ſolicito & inquieto motu quam citiſſimè abſtinebat. Si autem tentandi gratia, aut potius recedendi propoſito, nutrix ſua, illum ab eo ſpectaculo abſtrahere nitebatur: tali protinus renitendo diſtractioni cœleſti vel actioni tam inceſſabili quiritabat ciulatu, támque impenſè, quod altrix victa ſubſiſtens, prodigium hoc non ſine magna animaduerſione conſpicie-

bat. Quadam vero die, cum ſanctus puerulus (gratia ſupplente ætatem) in eandem Christi cruce panſi ſimilitudinem; oculis immotis diu abſortus & intentus permaneret: anxia illius nutrix (moram timens trahere longiorem) infantulum multoties ad ſe conuertere tentauit, vt in paternam illius domum, cui inſeruiebat, properaret. Attamen tales ille vagitus ſæpe ſæpius infantiliter vociferando emiſit, quod mulier aliquandiu plus immorari fuit compulſa. Metu nihilominus iſthinc perculſa ſeruili; illinc vero religione tacta, & immorari timebat: & diſcedere verebatur. In his ergo anguſtiis conſtituta, ad quandam Deiparæ virginis imaginem conuerſa, ab angelorum Regina, ſpiritus gemitibus, enixè opem efflagitabat. Quatenus, eius interueniente auxilio, ita omnia ſuauiter diſponerentur; quod nec genitoribus infantuli quorum ſeruitio erat adicta) diuturna mora, moleſtiam inferendo, diſpliceret; nec etiam illum puerulum à ſanctæ imaginis conſpectu dimouere cupiendo; diuinam offenderet Mageſtatem. Huic orationi, cum primum timorata mulier intenta fuit, ecce tener infantulus quaſi diuino edoctus & oculatus numine; oranti etiam ſe aſſimilans & ad eandem imaginem conuerſus, totus ere-

ctus brachiola extenſa leuauit. Quaſi in hoc corpuſculi geſtu nutricem ſuam in afflictione ſpiritus, & oratione exiſtentem, comitari vellet demonſtrans. Poſt paululum vero temporis, capite verſus eandem figuram, deuotè inclinato, quaſi valle dicendi gratia, in ſinum & vbera altricis ſuæ, ſe quietè recipiens, receſſui facilē præbuit aſſenſum. Poſt hoc miraculum, non tanquam ſi clauſis oculis aut ſurda mente incederet mulier illa (quæ ſanctum Dei Gondiſaluum lacte paſcebat) circa illius educationem; ſe gerebat. Imo potius; cum deinceps infantulus aurora lucente, vbera oblata voces emittendo quærulοſas reſpuebat; quaſi prius lac cœleſte ſugere appeteret, iam illa præſentaneum ſedādi lamenti illius remedium hoc plus certo cognouerat. Et ad eccleſiam; boni paſtoris caulam agnellum hunc deducebat, quam poſtquam ille ingrediebatur, atque hilariter lætantibus oculis perluſtrabat, picturis ſanctis attentè circunſpectis tunc vbera nutricis lætus ſugebat. Sin minus ita aliquando fieri contingeret adeo ſe moroſum & impacientem reddebat, vt à quærulοſis clamoribus, nullatenus ieiunus & moroſus, ceſſaret. Nec mirandum quamuis mirum. Patet enim præpoſterum & præter legem rationis

vſum ſeruari contingere ordinémque quando eſuriente anima cœleſte alimẽtum prius in corporis obſequium, pecudum ritu, obſonía, lauticiæ, nectareique cibi, primo mane maxima cum ſolicitudine, ab heluonibus qui ſe Chriſtianos eſſe dicunt, quæruntur.

CAP. III.

De ſtudio, & eius ſacerdotio.

HIs præſagiis, bona indole, & futuræ pietatis præuiis auguriis, quaſi adiurati atque diuinitus obſtricti, infantuli huius parentes, immota mente firmóq; animo decreuerunt illum, (non mundo ſed cœlo dignum) in perpetuum holocauſtum Deo conſecrare. Hac de cauſa, cum iam per ætatem licitum eſſet; intra pueriles tamen adhuc annos incluſum, ad eccleſiam frequenter ſecum ducere conſueuerant. Nec immodica afficiebantur lætitia, dum pueruli pronam volũtatem & cor docile ad res cœleſtes & ſpirituales, conſpiciebant. Ætate deinde iam vſum rationis admittente vtcúmq; eum cuidam probatæ vitæ ſacerdoti, literis & bonis moribus inſtruendũ, manciparunt. Hunc deuotus puer nactus præceptorem, in dies ſe Deo & hominibus magis reddebat amabilem. Poſtquam verò in prædictis, ab

eodẽ presbytero mediocriter edoctus fuit: ad altiora charíſmata promouere cupientes, illum Archiepiſcopo Bracarenſi; Hiſpaniarum Primati Antiſtiti,(ſub cuius diſtricto & ditione habitabant) ſoliciti parentes eius conſultiſſimè præſentarunt. Fore enim confidebant vt in tanti Pontificis ſacra aula, ingenuis liberalibúſque diſciplinis dilectus puer Gondiſaluus perfectius excultus; ad ſacerdotii gradum,(quod impenſè cupiebãt) dignè poſſet promoueri. Non toruis oculis nec dignanter,pius Antiſtes,munus hoc ſibi oblatum,aſpexit. Imò potius ingenuum iam iuuenem,vultu verbíſque non minus cordatum quam modeſtum inſpiciens: lubenti animo in ſuorum familiarium, collegium excepit. De curſu vero poſt modum temporis curriculo, quod (ſecundum ſacros eccleſiæ Canones) expectandum erat, vt ſacris poſſet initiari, non minus,moribus & vita, quã literaria diſciplina idoneus, tanto muneri obeundo effectus, ad ſacerdotalem gradum fuit promotus. Nec multo poſt tempore,dignus ab eodem Antiſtite iudicatus, qui tanquam lucida lucerna ſupra candelabrum reponeretur;in Abbam eccleſiæ Sancti Pelagii paterno ſolo vicinã,Mœcenatis ſui electione & iniuncto pręcepto fuit confirmatus. Tanti

igitur muneris onuſtus pōdere,nouus Chriſti miniſter villicationis ſuæ non immemor, vt alter Salomon regni ſuſcepto gubernaculo; in quandam protinus eccleſiam confugiens,obortis lachrimis,coram quadam virginis Deiparæ imagine proſtratus,virginem matrem affectuoſè rogabat, vt ſibi intellectum & ſapientiam impetrare ab vnigenito ſuo Dei filio, dignaretur, quò tam graue & periculoſum obedientiæ & curæ paſtoralis iugum, poſſet debitè tollere. Deinde ſacra Archiantiſtitis ſui benedictione obtenta,ſodalibus vel collegis ſuis valedicens, patriāq; non multum diſtantem repetens, ad ſuam eccleſiam nouamque Chriſti ſanguine redemptā,ſponſam ſe contulit. Ibi vero,hora quadam priùs aſſignata,ouibus ſuis,intra ſacras ædes,conuocatis,piam illis exhortationem propoſuit: & verbis ſpiritu dilectionis plenis in Dei & proximi dilectione; tanquam in plenitudinis legis obſeruatione: ſecundum Paulum illos perſeuerare ſuaſit. Quia vero ſatis ſibi perſuaderat ad virtutem amplexandam(quæ circa difficilia,verſatur) homines magis operibus quàm verbis induci,lōgum enim per verba eſt iter; ait Seneca; facile & breue per exemplum; ſe ſe omnium virtutum exemplar,ſubditis ſibi Chriſti oui-

bus præbere;diligenter curauit. In omnibus autem neceſſariis ad vitæ præſidium, frugalitatem libenter amplectens, parco vtebatur cibo & vili veſte, atque humilitatem cordis & corporis ſuper omnia prę ſe ferebat. Pudicitiam ſacerdotis annexam dignitati;(ex Sãctiſſima, eccleſiæ Romanæ, conſuetudine,) taliter ſemper cuſtodiuit, vt virginitatis lilium in corpore, cum maxima ſemper animæ puritate conſeruauerit. Erga pauperes paterna viſcera, tanquam fidelis æconomus, liberaliter & miſericorditer exhibens, alienum ab humano corde iudicabat, auaras erga egenos habere manus; atque eis denegare, quod pro illorum inopia ſubleuanda, ditioribus tãquam diſpenſatoribus ſuperabũdanter largitum vel potius creditum erat. Etenim eccleſiarum vberiores redditus annuales, tãquam Chriſti verum patrimonium in terris relictum eſſe pro pauperibus alendis, retento ſolum neceſſario ſubſidio, pro moderato ſ. victu & veſtitu prælatorum: piè pius pater iudicabat.

CAP. IIII.

De peregrinatione eius in Hieruſalem.

FRVGALI igitur hac, & pia viuendi norma, ſibi à ſe metipſo præſcripta, fideliterque obſeruata; in timore & amore Dei, diu ſine intermiſſione, Sanctus Abbas Gondiſaluus perſeuerans, miſteria paſſionis Chriſti redemptoris noſtri, multoties meditabatur. Speciali namque deuotionis affectu in dominicam paſſionem ferebatur. Vnde eius afflicta mente, in Chriſtum paſſum ſæpe translata, ex aſſidua ſanctæ crucis meditatione, maximo in dies angebatur deſiderio, loca inuiſcēdi ſacra, in quibus Deus & homo verus Ieſus Chriſtus, noſtræ redemptionis miſterium operatus fuerat. Sed tamen dum de ouibus ſuis, alicui mercenario comēdandis, tam longo temporis interuallo cogitabat; eum, conſcientiæ ſtimulus, à deſiderato itinere deterrebat. Timebat enim ne gregem Dominicum antea ſibi commiſſum, quiſpiā leo fugiens, ſe abſente, dilaniaret. Hac diutius timorata conſideratione impeditus atque immoratus: vario ſecum fluctuabat animo. Nunc conceptæ deuotionis deſiderio, ſepoſito conſcientiæ ad horam ſcrupulo; ad iter conficiendum iam ſe accingebat: nunc iterum ſtimulis eiuſdemet conſcientiæ punctus, ab incepto deſiſtere propoſito, inuitus

cogebatur.

cogebatur. Tandem tranſlato tempore non modico, animi remorſum ſanauit penitúſq; ratione excluſit, de quodam cõſobrino ſuo, præsbytero tunc bonæ indolis, ſpe magna rationabiliter concepta, qua Dominicum gregem illi ad tempus vſque ſuæ reuertionis, commendare decreuit. Erat, hic iuuenis, ſacerdos ab infantia ſua, ſanctis moribus ab eodem ſancto Abba vigilanter educatus, quem poſtquam ad hoc munus obeundum elegit; ad ſe venire iuſſum, talibus exhortatus eſt verbis. Fili chariſſime, archanũ non parui ponderis tibi cõmittere intendo; ſi tamen mihi priùs (ſacramento adictus) promiſeris, quæ tibi modò iniunxero fideliter exequuturum. Adoleſcens verò, quia iſtam auunculi ſui iam firmatã mẽte propoſitam peregrinationem longinquam penitus ignorabat: cõfeſtim in eius verba iurauit. Tunc ſanctus & venerandus abbas ſermonem ſuum ſic eſt proſecutus. Noueris fili mi quod à multo iam tempore, ſatisque diuturno, in votis eſt mihi terram ſanctam perluſtrare; & oculis meis, ſi poſſim, redemptionis noſtræ loca, in quibus Saluator Mundi pro nobis paſſus eſt mortem videre; atque etiam ſanctorum Apoſtolorum, qui Romæ quieſcunt ſanctas reliquias inuiſere. Vſque ad hanc horam, ab

itinere iſto mente concepto, me eccleſię meę ſolicitudo, & neceſſaria reſidentia ſatis ægrè hoc ferentem retardauit.

Quia verò de te talem iam olim opinionẽ concepi, vt vices meas ſufficienter ſupplere poſſe te credam, atq; taliter has Chriſti oues ducturum ne interim eas teneat mei deſiderium, auctoritate mihi commiſſa, te imprimis Vicarium meum conſtituo, deinde eniximè precor vt in omnibus quæ ad iſtius eccleſiæ regimen ſpectãt mea ſemper ſequaris veſtigia. Super omnia autẽ tibi iniũgo atque precipio, vt neceſſariis tantũmodo ſumptibus; ad frugalem vitam tranſigendam neceſſariis contentus, omne quod reſiduũ fuerit, ex annuis vectigalibus, egenis & pauperibus Chriſti humaniter & fideliter diſtribuas. Hac finita exhortatione, Deo prius ſuppliciter inuocato pro fauſta peregrinatione agenda; vilibus indutus veſtibus, vt peregrinum decebat virum, deſideratũ iter eſt ingreſſus. Nõ multum temporis effluxit ſpaciũ poſt ſancti abbatis diſceſſum, quãdo nouus viduę eccleſiæ vicarius, ſanctæ monitionis auunculi ſui oblitus, delitiarum allectus dulcedine lõgè diuerſam ingreſſus eſt viam. Atque antiquo humani generis hoſte, varia in mentẽ eius voluptatũ fomenta immitens;

ſęculi vanitatibus pōpæ & faſtus primo irretitū,omniq; generi venationum,& ludorum deditū taliter infecit, vt ouium ſibi antè cōmiſſarū pauperūmq; cura poſtpoſita ; de canibus venaticis accipitribúſq; alēdis, & magno ſeruorū famulatu ſolūmodò cogitaret atq; ſolicitus eſſet. Taliter autē illius erat denigrata fama circa officiū paſtorale, & erga pauperes vbique inhumanitas diuulgata diſfuſáq;:vt in ore vitia eius eſsēt omni populo. Hoc tempore beatus Gondiſaluus,(Deo votis ſuis aſpirāte) à multis in via primò ereptus periculis, peregrinationem ſuā vſq; ad terrā ſanctam fœliciter perfecit. Diuina autē trāſportatus dulcedine, multis effuſis lachrymis ſacra illa paſſionis Chriſti loca obſculari nō ſatiebatur, atq; immotis oculis deuotiſſimè intueri. Vnde factum eſt, quod non vno nec duobus iam annis illic laudabiliter trāſactis à ſancta ciuitate recedere ſibi perſuadens ſpacio quatuordecim annorum ibidem Deo inſeruire voluit. Quæ ſancti viri, hoc temporis intermedio fuerint exercitia, deuoto lectori conſideranda relinquam. Tranſacto itaque hoc tam longo quatuordecim annorum curriculo, anxiam cœpit mentem perſentire, conſcientiæ acuto morſu illius intellectum cruciante & dubitare cogente,

vtrum ne fidelem in eccleſia ſua vicarium & diſpenſatorem reliquerit. Interea autem, tam diuturnę peregrinationis interpoſito ſpacio, nullo reuertente nuntio aut peregrino qui de ſancti Abbatis Gondiſalui incolumitate rationem redderet: in cauſa fuit, vt illius vicarius occaſionem callidè conſiderans, & captans, teſtimoniales finxerit literas doloſè compoſitas, in quibus D. Gondiſalui auunculi ſui mors, in vltramarinis regionibus cõtinebatur. Atque Archiepiſcopum Bracarẽſem adiẽs, morte auunculi ſui illi literis fictitiis denunciata & comprobata, abſolutam ab illo eccleſiæ ſancti Pelagii iuriſdictionem, vtque in Abbatem abſolutè confirmaretur enixè poſtulauit. Acquieuit venerandus Antiſtes doli inſcius precibus, fraudulentæque poſtulationi huius rapaciſſimi lupi, qui in Rectorem abſolutum confirmari ſolum cupiebat, vt ſecurius, omni pulſo timore; Epicuream poſſet vitam & geniales dies agere. At verò D. Abbas Gondiſaluus, iterum tunc ab eodem remorſus conſcientiæ ſtimulo; nõ vltra acquieſcens in corde ſuo, totius terræ ſanctæ ſacris locis vltimatè ſalutatis, quanta cum celeritate potuit, oues ſuas reuiſurus, diſceſſit. Emenſis igitur iterum longiſſimis illis itineribus, inædia & labore confectus,

laſſa conſumptáque membra ſcipione quodam ſuſtinens,totus pannoſus & in aliū iam tranſmutatus virum : ad valuas tandem eccleſiæ ſuæ ſoſpes peruenit. Ibi poſitus, cùm nihil minus, quàm antiquam illius eccleſiæ Abbatis ſpeciem omnino incognitus, præ ſe ferret,ad domum ſui Vicarij, non longè diſtantem,eleemoſinam, tentandi cauſa, petiturus acceſſit. Canes vero venatici,quibus illius heluonis domus erat plena, petionem quam ſanctus peregrinus exponebat antequam finiret ferocibus atque magnis editis latratibus,interruperunt. Illæ tamen iterum atque iterum egeſtatem ſuam, imbecili voce proferebat,quo facto irritati canes inſtantē iam ægreferentes, non ſolum acrioribus latratibus ſed morſibus illum denuo aggreſſi ſunt: atque Chriſti egenum baculo ſæpe ſæpius interpoſito ab illis ſe deffendere pro viribus procurantem;retrocedere,& à foribus diſcedere cogebant. Hac, turgidus Abbas offenſus pauperis incogniti perſiſtentia,(nō enim illum Peregrini clamores latebāt propter paruam inter vtrumque diſtantiam)per quendam famulum ſtatim illinc diſcedere iuſſit ſubiungens ſe pauperibus ſimiliſus eleemoſinam erogare non conſueuiſſe. His dimiſſus verbis,beatus Dei famulus Gondi-

ſaluus; ſui adulterini Vicarii non ſine magno cordis dolore impietatem experimento cognoſcens; Zelo Dei in iram commutato, cum liberis verbis illum argueret, ſe continere minimè potuit. Atque de illo palam conqueſtus; non talem ſe dicebat paſtorem & vicarium eccleſiæ ſuæ reliquiſſe. Deinde ſermone etiam non obſcuro ſe manifeſtans, alta voce narrabat quomodo illum ſanctis moribus prius inſtructum, cum magna fiducia vicarium non lupum Dominici gregis inſtituiſſet. Non etiam pro canibus alendis; ſed pro pauperibus: in illius poteſtatem, redditus illius abbatiæ tradidiſſe conquerebatur. Intentus illius quærelis; atque diligenter omnia auſcultans ad menſam dapibus onuſtam impius mercenarius ſedebat loco paſtoris, quouſque de eccleſiæ vero paſtore illic exiſtente verba percepit. Tunc enim iracundus à menſa exiliens, atque recta properans ad oſtium domus, ſanctum auunculum ſuum, eodem baculo quo illemet erat ſubnixus, acriter percuſſit. Patienter & æquo animo ſanctus Abbas has plagas & verbera ab alumno ſuo inflicta; tulit. Sed tamen, à paterna correctione minimè abſtinendum ſentiens, illum coram his verbis redarguit. Nonne ego te, inquit,

ab incunabulis ſemper enutriui? Nonne honeſtis te inſtruxi diſciplinis ? Nonne mihi diſcedenti, fidem dediſti iuramento etiam ſuper addito firmatam de pauperum cura? De frugalitate ſeruanda ? Nonne ſemper me vidiſti, huius eccleſiæ vectigalia, pro maiori parte egenis dare? Hæc ſancti viri libera reprehenſio, non ſolum conſobrini ſui viſcera non emolliuit; imò potius, maioris iracundiæ fomitem miniſtrauit. Vnde recrudeſcente atræ bilis incendio, ſanctum ſenem iterato verberans, canes vt eum morſibus ſuis è foribus arcerent inſtanter prouocabat. Demum, poſtquam eiectum iam pauperem peregrinum diſcendentem reſpexit: minacibus etiam verbis, atrocioris vindictæ eum à tergo inſecutus eſt ſi vltra ſuper illa re verbum auderet proferre. Non ſatis reputans illum ſua ſpoliatum eccleſia, verberibus affectum expellere.

CAP. V.

De conſtructione baſilicæ apud flumen Tamacan.

TALIBVS, ſanctus Gondiſaluus, affectus iniuriis, Deo gratias agens, & illi ſoli debite inſeruire cupiens, de temporalibus tranſitoriiſque bonis, nihil penitus cogitans, ac ſi nihil noui aut mali ſibi contigiſſet; euangelicam doctrinam in qua ſufficienter erat inſtructus, & verbum Dei cum magno ſpiritus feruore, per totam illam regionẽ prædicare exorſus eſt. Vitæ illius ſancta conuerſatio, in tanta coram omnibus incœpit eſſe veneratione: vt ſuo exẽplo & ſolida doctrina, multos à perditionis tramite efficaciter reuocaret. Poſt aliquantulum vero temporis, piorũ fideliũ adiutus eleemoſinis, oratoriũ quoddam exiguum, Deiparæ virgini dicatum, in quodam inculto & agreſti pago, qui nunc Amarantha vocatur, iuxta flumen quod Tamaca dicitur, pro peregrinationis vitæ ſuæ refugio, & animæ ſolacio erexit atque conſtruxit. Erat hic oppidulus antea deſertus, inuius atque omnino ab hominum notitia abſconditus, nunc autem tanti Patroni miraculis & præſentia decoratus, eccleſiis non paucis, monaſteriis etiam duobus, & nobiliũ equitum multorum aulicis ædibus, inſignis factus, atque ab omni Luſitania frequẽtatus iuſtæ vrbis faciem & apparatum vt poſtea

dicemus proſpectantibus offert. In hoc igitur paruo ſacello, tanquam alter Paulus aut Hilarion, in inculto poſitus heremo, Deo & Angelorũ Reginæ continuo inſeruiens, prædicationis officio circum circa ſemper exercito, heremiticam & apoſtolicam ſimul vitã traducebat. Exinde enim paruum tuguriolũ ſuum egreſſus rudiũ populorum factus Magiſter & Apoſtolus neceſſitatibus & inopiæ vtriuſque hominis, charitatis viſceribus omnino diligenter ſubueniebat. Cum autem, quadam die, mẽte ancipiti ſecum cogitaret, vtrumne talis viuendi forma (qualem ipſe ſibi elegerat) altiſſimo placeret Deo & virgini matri vnigeniti eius, ſuper hoc diuinum precibus aſſiduis reſponſum habere cupiebat. Ne autem precationes ſuæ fruſtraneæ & caſſæ deuenirent, ſtricto ieiunio, panis nẽpe & aquæ pro quotidianæ refectionis obſonio contentus, aſſiduæ ſemper orationi intẽtus integram quadrageſimam perſeueranter tranſegit. Non defuit piiſſimi Redemptoris noſtri benignitas; & pia erga D. Gondilalui votum commiſeratio. Etenim Paſchali feſto aduenientc, in nocte immediatè ſequenti, ferunt aliqui hanc illi reuelationem eſſe factam. Erat tunc temporis ſanctus Dei famulus coram altare virginis almæ in oratione,

proſtratus,& in ſua ſupra memorata petitione perſeuerans: cum ſubita vndique luce, ex omni parte ſe circum fultum vidit,& poſt illam à dextro eiuſdem altaris cornu Deiparam virginem aſtantem ſibíque alloquentem aſpexit atque auribus inaudiuit. Surge,& inter religioſorum varios & per totum orbem diſperſos ordines, illum tibi ingrediendum elige in quo officium ſiue ſeruitium mihi dicatum, audieris ab angelica ſalutatione exordium & concluſionem finalem ſumere. Hanc enim religioſorum ordinem, mihi ſpeciali dilectione vendico, faueo & exalto,atque etiam habitum quo religioſi communiter vtuntur,illis gracioſè donauit. Hanc ingredieris religionem, vt reſiduum vitæ tuæ puro corde ſub illius obſeruantia & obedientia Deo altiſſimo offerens, optatum finem conſequaris. His dictis viſio illa cœleſtis, cum claritate ſimul diſparuit, Hic ſiſte gradum, oculos externos claude Chriſtiane lector & fratrum præd.erga virginem Mariam, à primæuo iam ordinis ſui inſtituto debitam conſidera gratitudinem. A ſanctiſſima enim hac virginum virgine, ordo hic initium,incrementum & perfectionem ſuſcepiſſe ſatis conſtat. Poſtquam namque ab vnigenito Dei filio, pietate du-

ɛ̃ta, ordinem hunc pro peccatorum conuerſione procuranda precibus ſuis almis impetrauit, religioſis ſemper ſelectíſque vndique patribus, fulciri & conſeruare hactenus non ceſſauit. Reginaldum nobis primo conceſſit morti iam Romæ proximum. Nouitios multos à diabolo tentatos, miraculis perſeuerare in ordine perſuaſit. Roſarii ſui ſelectiſſimam deuotionem, nobis conſeruandam tradidit. In multis etiam tribulationibus, tam cõmunibus quam ſpecialibus ſubſidium ſæpè præſtitit. Innumeros pietatis & gratiæ ſuæ fauores, (quibus plenus eſt liber antiquus, Vitæ fratrum, dictus) piiſſimæ matris noſtræ viſceribus indutis, nobis ſemper oſtendit. Væ nobis térque quatérque ſi harum immemores gratiarum indigni ſuo patrocinio efficiamur. Hac cœleſti reuelatione ſibi à virgine facta, vir Dei Gondiſaluus confortatus: veluti angelico pane cælitus refectus & roboratus manſit. Deinde de inueſtiganda religione ſibi reuelata ſolicitus; in qua ſeruitiũ virginis Mariæ per Aue, inciperet & finiretur illius primum Prouinciæ Interamnis inſtituit ſtatim ſingula inuiſere & explorare monaſteria. Cum vero in multis, præces virginis audiret in verſiculo illo finiri, Benedicamus Domino anxiata nimis

dubiáque mente diſtractus, & omnia circuiens; vbinam gentium quóue loco ſupradictum ordinem inueniret, penitus non capiebat.

CAP. VI.

De ingreſſu eius in ordinem frat. præd.

POſtquam autem aliquo iam longiori temporis ſpacio trãſcurſo, ordinem ſibi à virgine matre reuelatam ſolicitè, (fruſtra tamẽ,) inueſtigaret, quadam die inopinatè in oppido Vimaranenſi Bracharenſis diœceſis abſconditam Margaritam inuenit. Sunt in hac vrbe, Vimaranum dicta, quatuor inſignia monaſteria; inter quæ, duo viſuntur antiquiſſima, ſanctorum Patriarcharum, Apoſtolici D. Dominici, & Seraphici D. Franciſci, quæ adhuc noſtra florent ætate. Igitur cũ famulus Dei Gondiſaluus, apud Dominicanos fratres hoſpitium pernoctandi cauſa elegiſſet, poſtquam hilari fratrum animo fuit ab illis exceptus (vt in tota Luſitania hodierna die, in omnibus cœnobitarum conuentibus, per Dei gratiam ſolet fieri,) tẽpore quo campana ad veſpertinum ſeruitium implendum pulſabatur, vocationis ſuæ diligens & ſolicitus indagator, ad eccleſiam tacitus ſe

contulit. Nemini vero ſui arcani ſigillum aperiens preces horarias, quæ primum dicebantur de Domina, attentus, deuotè auſcultauit. Et cùm eas angelica ſalutatione inchoari primitus audiſſet, poſtheáq; eodem themate finiri perſpexit; quāta, heu bone Deus, lætitia cor eius ſit repletus, non facile eſſet enarrare. Nihilominus tamen, adhuc quaſi ſomnians, ſenſuum non fidens experientiæ nocte ſubſecuta eccleſiam repetens, peruigil ibidem ante altare virgini dedicatum, ab illa precibus de nouo fuſis clarū oraculum impetrare curauit; quo intelligeret vtrumne illemet eſſet ordo, quem illa antea, ſibi ingrediendum aſſignarat. Non etiam tunc (quamuis iam ſecundò) diuinum famulo Dei defuit reſponſum, angelico datum miniſterio, quo clarè intellexit, (labante mente firmata) illam nempe eſſe religionem de qua primitus à Deipara virgine, præceptum ſalutare receperat. Atque proinde die eadem diluceſcente, conuentus eiuſdem Præfectum conueniens, (cauſa huius nouitatis omnino ſuppreſſa,) habitum religionis ab eo humiliter poſtulauit. Non aliquod, ſuper hac eius petitione, dubium vel impedimentum conuentui religioſo emerſit; cum de eius honeſta vita, matura ætate, ſanóque & deliberato con-

filio ſiniſtram ſuſpicionem, clara eius fama abſcinderet. Quapropter omnes religioſi, in ſuum conſortium D. Gondiſaluum libenti animo veſte ſimili nouitiorum indutum receperunt. Habitū igitur monachali (ſanctus iam antea) Dei famulus Gondiſaluus veſtitus, ſanctiorque effectus noua Deo inſeruiēdi formula; primum annum conuerſionis ſuæ ad religionem, quem probationis appellant, cum magnis ſuæ ſanctitatis indiciis cunctis fratribus vnicè gratus laudabiliter tranſegit. Facta deinde perpetuæ obedientiæ ſolemni proteſtatione per voti emiſſionem, cum nihil illi deeſſe videretur, quò minus poſſet Apoſtolicum prædicandi miniſterium deinceps perfectè implere; à prælatis ſuis illi ſtatim fuit indulta facultas, vt ſocio ſibi aſſignato, ad oratorium quod antè propè Tamacam conſtruxerat, concionandi gratia reuerteretur. Lubentiſſimo animo famulus Dei Gondiſaluus, licentia ſibi conceſſa, oppidulū Amaranthum repetiit, vt populos illos verbi Dei ſolida egentes doctrina, illuminaret perfectius.

CAP. VII.

De edificatione pontis Amaranthi, & miraculis quibuſdam.

POſtquam verò ibidem exiſtens, animarum ſaluti conſilio, exhortatione & ſanctæ vitæ exẽplo prouidè aliquandiu conſuleret: propriis expertus eſt oculis, flumen illud Tamaca dictum cui ſuum oratorium vicinum erat barbaris & incautis viatoribus in ſeipſo ſubmerſis, repentinum multotiens eſſe ſepulchrum. Namque loca vadoſa vel parua nauigia, fluminis tranſcundi cauſa intrantes; rapido alluuiei aquarum impetu, aquis obrupti ruſtici peribant. Quapropter D. Gondiſaluus proximorum vtramque ſalutem fraterno amore ſitiens, de fabricando quodam ponte in illius mortiferi fluuii ripa, cœpit cogitare. Licet autem hic incidenter & curſim annotare, quantum ſemper vbique terrarum, inſtituti ordin. huius præd. profeſſores, bonum commune Reipublicæ procurare conati ſunt. Qui verè, inquam, & non falſò habitum hunc à virgine Maria cõceſſum, gerunt. Non enim ſacratus hic ordo homines particularitatem amantes, & qui ſibi ſolis nati ſint, educare vnquam ſomniauit aut intendit; ſed illos tantummodo qui de Chriſtiana republ. ſemper bene meritos ſe eſſe ſtudeãt atque pro illius conſeruatione in omnibus laborent. De ſancto Vincentio

Apoſtolico confeſſore Vannetis quieſcente, me legiſſe recordor, in quodã manuſcripto Nannetis pergameno, quod pro pontium etiam ſtructura in aliquibus mundi locis laborauit Sanctus Petrus Gondiſaluus ſimiliter vt infra ſuo loco patebit, Sanctus Laurẽtius Menendius itidem; de quo etiam aliqua de eius vita dicentur inferius. Pro defenſione etiam obedientiæ Romanæ ſedi exhibendæ, próque bono communi, coram Imperatorib' & Regibus, pro pace pro expeditione contra Turcas, quantos ſemper exantlauerint patres huius ord. labores, qui ſcire cupit: ordinis chronicos, & antiquos annales legat. Sed de hoc ſatis. Quamuis autem hoc opus, quod D. Gondiſaluus mẽte volutabat; nimis eſſet arduum pauperem ſcilicet cœnobitam, & in pauperrima ruſticanæ gentis regione conſtitutum, vaſtum pontem argẽti tantum pondus exigentem velle fabricare: Deo tamen opt. Max. bonis cœptis ſemper annuente, propoſitum ſuum hac reuelatione firmauit. Cum enim ſuper eodem negocio aggrediendo ſemel cogitabundus hæſiſſet, quónam alui loco, faciliori ſumptu, pontem inchoare ſatius eſſet; per angelum Domini facta reuelatione, fuit præmonitus vt inter illas duas anguſtiſſimas fluminis fauces, quæ

coram

coram ſuo ſacello imminebant, pontis fundamenta iacere iuſſiſſet. Fiducia igitur, noua reuelatione animus auctus & in ſpem firmā erectus: diuinam illi opem, in pio illo opere proſequendo non defuturam eleemoſinis aliquibus congregatis, in prædicto pontis Amarāthi ſitu per architectos cementa ſunt locata. Tam difficile verò aut potius impoſſibile, ruſticanæ illius regionis plebi videbatur, virum Dei Gondiſaluum ad metam vſq; opus inchoatum perducturum: vt nihil minus quàm de futuro peruio olim viatoribus pōte cogitarent. Ille verò tacitus hęc audiebat, ſoli Deo innixus (cui nihil impoſſibile eſſe firmiter credebat) artifices eorúmque miniſtros vndequaque prout poterat conuocabat. Interdum etiam opere iam feruente, ipſemet ſanctus propriis manibus lapides magnæ molis euellens; ſolus ad ſtructuram faciliter admouebat, atque non immodica circumſpicientium admiratione portabat. Tunc omnes clarum in hoc facto mirifico, cernentes miraculum: ędificium illud ſuperbiſſimum futurum, quod ſecundum eorum opinionem vires ſuperabat ſimiles; fauſtè & perfectè finitum fore iam confidebant. Cōtigit aliquando hunc Dei ſeruum cauſa quæſtum faciendi vel eleemoſinas emendicandi,

per circumuicinos populos ſolicitè diſcurrere: quendam Magnatem ditiſſimum in via offendiſſe. Quo prius ſalutato ab eo propter Dei amorem & proximorũ ſuorum, petiit vt aliqua ſe digna, cõtributione bonum cõmune pro ponte ſuo conſtruendo vellet iuuare. Ille verò in breui ſchedula, aliquas velociter depingens lineas; firmatam prius chartam & D. Gondiſaluo in manu tradens, Perge, inquit, pater ad domum meam & ſchedulam iſtam vxori meæ dabis, cui ſuper tua hac poſtulatione vicem meam delego. Vade ſecurus quia illa tibi eleemoſinam iuſtam præſtabit. Lætus & confiſus in domum huius impii Magnatis D. Gondiſaluus properauit atque illam, poſtquam eſt ingreſſus matri familias epiſtolam quam ſecum deferebat viri ſui nomine firmatam, cum magna magni ſubſidii ſpe tradidit. At illa matrona poſtquam à marito ſuo conſcripta verba perlegit, tacita ſubridens D. Gondiſaluũ, omnino negata eleemoſina, vt diſcederet ſuadebat. Verba namque quæ in chartula continebantur erant huiuſmodi. Huic pauperi fratri tantum dabis eleemoſinæ pro ſubſidio pontis conſtruendi, quantum papirus hæc ponderis habet. Voluit enim hic inhumanus proximus ſeruum Dei Diuum Gõdiſaluum verbis illu-

dere & itinere conficiendo fatigare. At ille nullatenus inopinato reſponſo perturbatus, cauſam denegatæ eleemoſinæ ab illa matrona inquiſiuit. Quam poſtquam ſecundum rei euentum audiuit & percepit, fiducia in Deo collocata fœminam illam enixe rogare cœpit, vt marito ſuo obediret, atque papiro illo in ſtatera aliqua repoſito, ex altera parte linum vel grana vel ſeram vel quodcumque aliud, in eleemoſinam erogandum, haberet ex oppoſito etiam collocaret. Satis enim ſe contentum futurum affirmabat, ſi æquale pōdus ſchedulæ acciperet. Acquieuit illa facilitér noui nihil verita, atque appoſito in vna lance papiro (Deo ita diſponente,) tam graue effectum eſt pondus, vt ex altera parte eleemoſinæ materia in magna quantitate cumulata, iuſta bonaque portio D. Gonſaluo diuinitus limitata contigerit. Atque ita & auarum illum deluſum: & vxorem eius ſtupore inenarrabili affectam reliquit.

CAP. VIII.

De miraculo piſcium confluentium ex Tamacano flumine.

NOn prædictum miraculũ vltimum fuit, antequam põtis opus ad ſummũ deueniret. Cum enim aliquãdo, pro victu cementariis & lapicidis miniſtrãdo, ſumptus neceſſarii D. Gõdiſaluo deficerent, ad aluei fluminis crepidinem accedens in oratione proſtratus è cœlo ſubſidium & penuriæ illius leuamen, afflictus animo precibus fiducia plenis implorauit. Deinde crucis ſigno ſuper fluenteis Tamacæ aquas facto, tanta multitudo piſcium ad eum cõfluxit; vt aquæ ſuperficiem cooperire conarentur. Tunc ſanctus vir Gondiſaluus manu protenſa ſcipione ſuo, illorum neceſſariam foras extraxit ſummam, pro ſuis alendis opificibus; reliquos verò benedictione illis impartita, in profundum pelagus relabi permiſit & præcepit. Hoc miraculum non ſemel tantum aut bis ab autoribus contigiſſe refertur. In potu etiam ſubminiſtrando mercenariis, non multum diſſimile miraculum viro Dei contigiſſe legitur. Namque cum non in promptu vt neceſſe erat aut facili negocio D. Gondiſaluus vinum aut haberet, aut ſaltẽ fontis aquam; diſtabat enim interuallo non immodico; atque proinde vt ſiti laborantium ſubueniretur non preſentaneum, laborioſo operi proſequendo reme-

di im erat. Quapropter D. Gondiſaluus ad D:um ſuper potus annona confugiens: eadem fide qua antea preditus, de quadam petra in qua ſcipione ſuo in nomine eius percuſſerat vinum ſufficienter ſcaturire fecit. Tanta D. Gondiſalui de diuina prouidentia erat fides: tantum & coram deo meritum. Vinaceis igitur vaſis miraculoſo fonti à proximatis, pro familiæ ſuæ conductitiæ ſiti ſubleuanda: quantum ſuppetere poterat tantum ſolummodo Dei famulus haurire permittebat: & ſtatim lapillo quodã manu prehenſo & ad fontis orificium appoſito, illud occludens ſiue obſtruens ſiccum penitus ad tempus aut potius incommunicabilem reddebat. De fontis etiam limpidiſſimi aqua nõ diſſimile miraculum à ſancto viro prope ſuũ ſacellum patratum legitur. Extant hodierna die vtriuſque fontis veſtigia vel vt proprius loquar manifeſta indicia, altero adhuc perenni & ſaluberrima aqua manãte, quam omnes peregrini illuc deuotionis ergo concurrentes, nõ ſine magna veneratione ſuis oculis deuotè conſpiciunt, atque etiam inde aquam haurientes, nõ ſolum ſitim ſedant: ſed aliquando ſanitatem priſtinam qui ægrotãt, fiducialiter accedentes ſe lauando vel bibẽdo, miraculoſè recuperant. Tot igitur viſis

miraculis ab artificibus & conductitiis operariis quorum obſonium illud & refectio ſæpe conſtabat non poterant non conuicti humiles & ſummas Deo gratias referre: maiori deinceps animi læta fiducia operi pontis incumbentes, quouſque ad debitum finem & perfectiſſimè conſummatum euaſit. Hoc tandem ſpectato tempore aduenientе D. Gondiſaluus innumeras Deo pro gratiarum actione laudes tribuens, artifices & mercenarios opere ſolutos dimiſit; & illius rapidiſſimi fluminis Tamacani horrēdus & profundus alueus peruius iam factus, ſine aliquo deinceps tranſeuntium vitæ periculo viſus eſt. Communicato deinde ex vtraq; fluminis ripa incolarum comercio, ad famulum Dei Gondiſaluum maiori deinceps frequentia ex omni parte confluebant. Quibus ille, redintegrato ſpiritus feruore, quod aliquo modo occupationibus artificum præpeditus intermiſerat; fructuoſè & cum magna multorum conuerſione frequētius verbum Dei prædicabat. Euenit autē hoc tempore, quod nonnulli cōfinium illorum habitatores, tremendam paſtoralis excommunicationis cēſuram parui pendere videbantur: & non ita de illa expaueſcere vt fides docet, & viros decet pietatis catholicæ amatores. Quem abu-

ſum & periculoſiſſimum errorem D.Gondiſaluus olfaciens, maximo ſuper hac irreligioſa temeritate affectus dolore; vt illam à fidelium mentibus eliminare atque extirpare poſſet: ſæpe ſępius in ſuis concionibus, de induſtria in hoc propoſitum incidebat. Erat tamen vt experientia monſtrabat; admonitio ſua ſuper hac re, pro maiori parte irrita & inanis. Hanc cordis duritiam, mentis cæcitatem cum D.Gondiſaluus percepiſſet; cōtigit ſemel vt dum ille in ſuggeſtu ſtaret, de codē crimine duris reprehenſionibus cōquereretur. Præteribat tunc temporis, caſu & inopinatè per eandem partem mulier quædam panes aliquot albos in ciſta quadā ſupra caput deferens; quam fœminam vt ille coram ſe tranſeuntem proſpexit, propè accedere præcipiens (ſermone interrupto) ſarcinam panum ante pedes ſuos deponere iuſſit. Atq; poſt hoc ad aſtantem populum conuerſus ait. Vt verò ſciatis deinceps excommunicationis ſententiā cognoſcere & reuerenter timere: ego ex parte Dei, & ſanctæ ſponſæ eius eccleſiæ, matris noſtræ hos preſenteis panes excōmunicationi ſubiicio, Mirum ſanè dictu; ſed non apud Deum difficile factu; qui ſemper mirabilis fuit in ſanctis ſuis. Quāuis enim excōmunicatio ſecūdum Theologicā

doctrinam, ſolum in animam rationalem ſit proportionata, & in eam poſſit de ordinaria lege cadere; quæ ſola capax eſt gratiæ inter omnes terreſtres creaturas, atque conſortio bonorum operum ſanctorum & fidelium priuari vel admitti: vt tamen piiſſimus Deus barbaro & agreſti illi populo, inuiſibilẽ excommunicationis effectum circa animam exiſtentem ſuauiter & ſuo modo ruſticano inſinuaret, vt docilis & timoratus in obediẽtia ſuorum prælatorum contineretur: panes illi omnes in caniſtro poſiti poſt excommunicationis verba à ſancto viro prolata; ſubitò in buſtos nigróſque carbones conuerſi; horrendum omnibus circunſtãtibus ſpectaculum præſtitêre. Ne tamen hoc miraculum in eruditionem aliquorum ordinatum, fœminam quæ panem portabat lædere, aut incommodare videretur: poſtquam D. Gondiſaluus circunſtantibus in parabola panis illius excõmunicati, animabus aliquid ſimile contingere innuit, aquam benedictam ſibi portari iuſſit. Poſtea verò excõmunicationis præmiſſæ vel potius maledictionis illius abſolutione iniuncta, panem illum aqua luſtrali aſpergens in priſtinã albedinem & perfectionem reſtituit. Prodigium hoc experiẽtia ſenſuum comprobatum; multis aſtanti-

bus,reſipiſcēdi cauſa fuit,quò,timore ſaltem perterriti, deinceps excommunicationi parêre minimè recuſarent. Hæc tantum ſummatim ab immemorabili æuo per traditionem antiquorum de miraculis à D. Gondiſaluo in vita operatis ad poſteros peruenerunt,

CAP. IX.

De tranſitu illius glorioſo.

POſtquam autem laboribus multis attritus, diu in vinea domini ſub inſtituto ord.præd.D.G. laborauit, nulli parcens labori, vt proximorum ſaluti cōſuleret:tempus opportunum inſtauit, quo illum Deo ita miſericorditer diſponente, fatis cedere opporteret, Atque febri quadam graui correptus,diuinam hoc tempore meruit habere reuelationem, per quam certior eſt factus ſe quam breuiſſimo tempore, depoſita carnis ſarcina à vita mortali ad immortalem fœliciter trāſiturum. Præuiſa igitur ab illo inſtante dormitione ſua; ſanctiſſimā Dei genitricem patronam ſuam inſtantiſſimè interpellans rogabat, ne in tam tremendo agone principis tenebrarum territamentis perturbari aut la-

queis eius inescari ſe permitteret. Comperta ab omnibus illico tunc ſancti viri infirmitate, multa promiſcui plebis turba & inter reliquos, aliqui etiam ex ſuis conſanguineis viri illum viſitationis gratia in hac vltima ęgritudine conuenerunt. Summo nãque omnes afficiebãtur dolore, tanto patre & preceptore deſtitutos remanſuros. Atque amarè flentes illius iam deſiderio ante mortem affecti voces doloris & deuotionis plenas emittebant. Conſolatus eſt illos tunc dulcibus verbis, ſanctus Dei famulus: atq; ſpe etiam non contemnenda lactatos, maiora de illo poſt mortem veræ amicitię indicia expectare illis precepit; quam in hoc mũdo tunctenus erãt experti. Sperabat enim ſe coram altiſſimo filios & deuotos ſuos efficaciùs poſſe iuuare. Poſtera die ſacrum Chriſti corpus & verum ſub panis ſpecie à ſocio ſuo illi oblatũ; ſumma cum deuotione ſumpſit. Deinde appropinquante iam vltima trãſitus eius hora clementiſſima virgo Maria angelorum ſtippata exercitibus ſancto Gõdiſaluo viſibiliter apparuit, vt eum quem ſpeciali ſemper fauore ſuo dignum fecerat ab omni dęmonum illuſione; ſalutis æternæ cõſequẽdæ dubitatione omni penitus excluſa, ſecurum omnino redderet. Poſt hãc cœleſtem viſionem quæ ante

lucano tempore illi fuerat demõſtrata & cõmunicata; anima illa ſanctiſſima à corporis carcere ſoluta, cœlũ penetrauit. Eademmet hora qua vir Dei ſpiritum exhalauit, per totũ Amaranthi oppidum vox quædam nemini ante vel poſt cognita ſub hac verborum forma inſonuit. Surgite & ad funebria ſancti viri properate. Ad hãc inuſitatam vocem omnes feſtinanter à propriis domibus egredientes, mutuo ſe interrogabant, quò nam properare deberent? Neſciebant enim adhuc D. Gondiſaluum in extremis eſſe poſitum. Cum verò poſt diſquiſitionem factam, illum eadem hora à vita migraſſe audierunt; nullumque alium è viuis tunc diſceſſiſſe ad oratoriũ D. Gondiſalui omnes cateruatim confluxere. Ibi verò ſancti viri cadauer, iam ſindone inuolutum inuenientes, non ſine lachrymis multorum, debita veneratione iuſta ſoluentes, ſepulturæ tradiderunt.

CAP. X.

De miraculis eius poſt mortem.

QVanta miracula huius ſancti patris meritis, omnipotens Deus à tẽpore ſui glorioſi trãſitus, ad hãc vſq; horã; oſtẽderit: etiã ſi (vt D. Hieronimi

verbis vtar) omnia membra mea in linguas conuerterentur:& omnes artus humana voce reſonarent, nec numerũ nec illorum proceſſum crederem me vel quàm ſuccinctè poſſe enarrare. Vt autem vnico verbo huius rei veritas demonſtretur hoc ſolum vtar argumento. Non tantum in Portugalliæ Regnis in Hiſpania conſtitutis:ſed in vltimis oriẽtis finibus,quos Indias orientales vocamus, atque in Africæ regione vbi aliquas Luſitani vrbes munitas cuſtodiunt; tam frequentia ſunt miracula per merita huius ſancti viri D. Gondiſalui à Deo exhibita, vt in ore omniũ Chriſti fidelium,pro maiori parte in quocũque labore, periculo vel ægritudine ſint poſiti:Diuus Gondiſaluus ſtatim ſit & communiter verſetur. Nec præterit annus;in quo ad eius ſepulchrũ accedentes, à ſæculo iam immemorabili;non aliquod vel aliqua: ne dicã multa;miracula in ægrorũ ſanitate diuinitus patrata conſpiciantur. Hoc tam clarum, nudum & expertum etiam ab incredulis aliquando eſt;quod nulla poteſt tergiuerſatione celari,aut etiam quiſpiam inficiari. Tam repentina & palpata manibus ſæpe illic miracula videntur:vt claudus à multis annis,illius templum ingreſſus, ſoſpes & ſanus greſſus ſuos dirigendo, lætus ſtatim in domũ ſuã

reſertatur. Obſeſſus à dæmone liber euadit. Ægrotus diuturno tempore aliquando illic repentina obtenta ſanitate, taliter aſtantibus peregrinis ſtuporé gignit: vt intellectus ipſe côuinci quodammodo videatur. Ne tamen, dum breuis eſſe laboro, obſcurus fiam, aliqua exempli cauſa raptim perſtringam.

Anno cIↃ ccccc. Tamaca fluuius (de quo ſupra meminimus) mirum in modum pluuialibus adauctus aquis inundauit, atque ex ſaxoſis rupibus, altiſſimis arboribus coopertus, ſæpe potius cadendo, quàm fluendo deſcendens, multi generis truncos radicitus euulſos ſecum deuehit ac rapit. Stabat vulgus Amaranthum ſtagnantis fluminis horrendo ſpectaculo ſuſpenſum, atque multi à longe in eminentioribus aſcenſi locis; illam alluuiem, non ſolum ex aquis ſed ex multis etiam diuerſarũ rerum fragmentis conflatã, attentè proſpiciebant. Et ecce inter reliqua in alueo ſupernatantia, quandam mirandæ molis quercum tranſuerſaliter decurrẽtem, & verſus pontem rapido properantem motu animo conſternati aſpiciunt. Opus enim illud à ſancto viro antiquitus extructum, arboris illius impetu quaſſatum, ſtatim ruiturum iudicabant, atque deflebant. Ac proinde gemitu precationis plenas voces emittẽ-

tes, nō maiori timore quàm deuotione prolatas dicebant. O ſancte Gondiſalue ſuccurre, cuſtodi pōtem tuum, quem in commune bonum edificaſti. Hanc breuem orationem quouſque quercus illa ad pontem vſque decucurrit repetere non ceſſabant. Nec vana fides illorum. Protinus enim (antequam horrenda illa machina pontem quatere poſſet) ab oratorio in quo D. Gondiſalui ſacrū corpus erat ſepultum, quendam religioſum habitu D. Dominici indutum, corporeis oculis viſibiliter exire omnes conſpexerunt, baculum in manu geſtantem; qui nigram cappam ex vtraque extremitate humeris ſuperimponens, maturo & lento gradu verſus pōtem proceſſit. Poſtquam verò ad radices pontis peruenit, ex eadem fluminis ripa, in medium quoddam pontis eiuſdem propugnaculum anterius quod ex vtraq; parte fluminis oſtia ſubſtinet; quaſi per ſcalas cōſcendens, in illa ſubſtitit parte, quàm fluminis inuolucrum & inundatio attingebat. Approximante verò annoſa quercu tranſuerſe à fluentis impetu rapta: taliter illam incognitus pater direxit baculo quem in manu tenebat; vt per pōtis oſtium intactè ingrediēs, ſine aliquo illius nocumento, inferius excucurrerit. Poſt hoc religioſus ille ab omni aſtā-

te populo, attentè conſideratus, in ſacellum vnde exierat pari paſſu reuerſus eſt. Accurrunt omnes quàm citiſſimè ſcire cupientes quiſnam talis prodigii fuiſſet autor. Sed ſacellum ingredientes in quo nondum monaſterium ord. præd. extructum erat, neminem penitus inuenerunt. Ex quo clarè intellexerunt: Sanctum Dei famulum Gōdiſaluum à loco ſui ſepulchri egreſſum, ab illa imminēti ruina, pontem ſuum diuinitùs liberaſſe.

Quædā nobilis matrona Domina Iſabella de Souſa dicta, ædito maſculino fœtu ex prima partus conceptione, tam grauem in altera mamilla contraxit infirmitatem humore ſuperfluo ibidem coagulato, vt medicis omnia exquiſita ſanitatis remedia tentantibus; omnino caſſus fuerit illorū ſolicitus labor. Anni iam vnius integri ſpaciū decucurrerat, in illo medicādo vlcere. Atq; reſoluendæ ſaniei gratia fiſtula quædā plumbea, à medicis & chirurgis fuerat excogitata, longitudinis digitalis, qua in putridæ carnis hiatum immiſſa: internus ſanguinis putor foras vt efflueret conabantur. Poſt aliquot verò dies vlcere interius ſerpēte fiſtula taliter ſe intrinſecus recondidit: vt medici varia remedia adhibentes non ſolùm nō extrahere: ſed nec etiā vt appareret efficere poterāt vllo modo:

Itaque plumbeum illud organũ ſpacio quinque menſium intra pectus eius latuit. Demũ mortali iam periculo occurrere tantum cupientes chirurgi communi conſenſu inſciſionem faciendam eſſe in mulieris pectore decreuerunt. Poſt iſtam finalem ab illis iam latam ſententiam gratia viſitandi infirmam vir illuſtris, Ioannes de Souſa ſocer illius, ſuperuenit: & cognita medicorum deliberatione ægrotantis nurus compatiens, illam verbis fide plenis admonere incœpit, vt beato Gondiſaluo Amarantho voto emiſſo, tãquam cœleſti & probatiſſimo medico curãdam ſe commendaret. Paruit confeſtim dictis ſoceri ſui afflicta matrona, eiúſque conſilio acquieſcens, votum vouit D. Gondiſaluo tota illam comitante familia. Et lachrymis deinde obortis humiles preces pro mortis periculo euadendo atq; ſanitate priſtina recuperanda effundere cœpit. Quid plura? Eademmet die, cum medici & chirurgi veſpertino tempore venientes, emplaſtrum pectori fœmineo appoſitum purificandi humoris cauſa extraxiſſent: fiſtulam à tanto tempore reconditam, faſciis & linamentis medicinalibus ſponte ſua adherentem inuenerũt. Denique ne dubiũ aliquod ſuboriretur. D. Gõdiſalui meritis hoc factum eſſe: intra ſpaciũ

octo tantum dierum perfectiſſimè ſe ſanatam vidit. Hoc miraculum adeo manifeſtum fuit & palpatum, vt communi multorum lætitia, omni excluſa dubietate, gratiæ ſint Deo relatæ in D. Gondiſalui meritis & ſancta coram illo interceſſione.

CAP. XI.

Qualiter D. Gondiſaluus, fuerit in ſanctorum numerum relatus.

TEmpore Iulij tertij Romani Pōtificis, qui D. Gondiſaluum ſanctorum cathalogo referre curauit D. Rudericus Pinnarius Epiſcopus Portuenſis in Luſitania; de eiuſdem ſummi Pontificis mandato diſquiſitionem, de miraculis eius fecit exactam; & particulariter, teſtibus fide dignis iuramento aſtrictis, ſupradicti miraculi veritatem certiſſimam eſſe cognouit. Et non ſolum de fiſtula plumbea ſubitò egreſſa: atque ſanitate vlceris ſubſecuta, ſed etiam de filio eiuſdem matronæ, ab eodem Diuo mirabiliter ſanato, qui antea ab vtroque inguine ruptus prolapſis inteſtinis, ſatis exoſam patiebatur infirmitatem teſtimonia certiſſima inuenit.

Anno CIↃ IↃXXXXVI. quædam honeſta mulier Micia Petreia dicta, à quatuor iam menſibus paralipſi morbo percuſſa, non ſolum

corpus;ſed nec mẽbra ſigillatim omnia,abſque alicui' adminiculo mouere poterat. Hęc ægrotans ſuorũ miniſterio ad ſepulchrũ, D. Gõdiſalui fuit aſportata: vbi vigilias nocturnas (vt ſolet fieri à peregrinis vouentibus) in oratione proſtrata ſequenti nocte permanſit. Sequenti vero die mirabiliter ſe ſanatam inueniens: & mox ſine alicuius iuuamine; greſſus dirigens, per totam eccleſiam lætanter incedere viſa eſt. Huius miraculi teſtes fuerunt oculati, non paucæ vtriuſque ſexus perſonæ: quæ illic etiam aſtantes, D. Gondiſalui patrocinium poſtulabant. Non enim, vt videre eſt, aliquando illius ſacellum ſine vouentibus peregrinis reperitur.

Quidam homo paralitico etiam morbo laborãs, inſuper, & oculorum cæcitate, diœceſis Lamacẽſis in eadem Luſitania, in quodam ligneo grabato, ad ſepulchrum Diui Gondiſalui fuit aſportatus. Ibi fidei deuotione inflãmatus preces, lachrimas, ſuſpiria, Deo offerebat diuinam opem implorando; vt per interceſſionem D. Gondiſalui exaudiri mereretur; atque ſanitatem deſideratam obtinere. Antequam paraliticus hic inde deduceretur: & viſum & omnium membrorum ſanitate recepta; ad domum ſuam ſanus reuerſus eſt. Nec mirum cùm Chriſtus

maiora habentes fidem teſtificetur in Euangelio miracula operaturos.

His & aliis multis miraculis per interceſſionem Diui Gondiſalui patratis & à prædicto Antiſtite diligenter examinatis, idem ſummus Pontifex Iulius III. præuio ſacri collegii Cardinalium maturo conſilio, eundem D. Gondiſaluum Amaranthum ſanctorum cathalogo adſcribendum quodammodo cenſuit; atque illius feſtum decima die Ianuarii in tota Luſitania ſolemniter celebrari permiſit.

Tanta verò eſt deuotione cultus, tantus confluentis ad ſepulchrum eius populi concurſus, precipue tempore Veris; vt per nullam illius Interamnis Regionis viam, quiſpiam poſſit tranſire, quin vouentes obuios habeat, aut audiat turmatim incedentes, fiſtulis, tibiis, & aliis multis ſecundum morem patriæ muſicis inſtrumentis vndique perſtrepentes. Qui omnes deuotionis ergo Amaranthũ frequentius quàm Compoſtellam non tam multum diſtantem petunt. In octauis vero Pentecoſtes in quibus D. Gondiſalui pręcipua celebratur ſolemnitas aut potius iteratur; propter viatorum opportuniorẽ cõmoditatem, triginta circiter hominũ milia, à curioſis ſcrutatoribus quotannis

numerantur. In huius veritatis, ineluctabile teſtimonium cõtigit, non à multis retro annis; quod ex minutiſſimis cãdelis, quas pauperes peregrini; religionis ergo in eius altari ſolent offerre, mille ducentæ octuaginta ſex libræ iuſto pondere, à quodam curioſo ædituo ſunt inuentæ. Iſtius admirandi populi cõcurſus meminit merito L. Andreas Reſendius in altero himnorum quos officio eiuſdẽ D. Gondiſalui ab eo compoſito interſeruit, nec parum doleo illos hic ad manum non poſſe habere, vt tanquam angulares lapides huic apponerent ſummario, hoc tamen eiuſdem himni fragmentum de quo recordor, hic iuuat inſerere.

Non capit duplex
Amaranthus, amplas
Sæpe cateruas.

Non etiam loci amœnitas in quo ſanctus Dei famulus requieſcit, parum peregrinos inuitat atque pulcherrimum ibidem, eiuſdẽ ord. pręd. & ſumptuoſiſſimum monaſterium exiſtens; quod sereniſſimi Regis Ioannis III. fauore & munificentia extructum, reditibuſque magnis dotatum eſt, quod pro gratiarũ actione D. Gõdiſaluo debita, vt fertur, inuiſitur. Fit de illo in tota Luſitaniæ Prouincia, quæ in Africam & Orientalẽ Aſiam

vſque extenditur; omnibus ſextis feriis poſt completorium memoria, cum antiphona & propria feſti ipſius oratione. Eius precibus, piiſſimus luminum Pater & Prouinciæ noſtræ, & ordini quem ipſe profeſſus eſt, incolumitatem, & priſtinum Apoſtolici ſpiritus feruorem donare dignetur: qui glorioſus viuit in ſæcula, Amen.

DE INSIGNI SALVTIFERAQVE CONVERSIONE D. PETRI *Conſalui, Tudenſis, ordi. fratr. prædic. Aſtorganæ olim eccleſiæ Decani, déque eius miraculis tam in vita quam in morte.*

ANno circiter poſt Chriſtum natum cIↃ cxc. Apoſtolicam ſedem Cœleſtino iii. moderãte, & Caſtellę ceptrum Alfonſo huius nominis nono, natus eſſe fertur D. Petrus Conſalui, in vrbe quadam quæ in noſtræ Luſitaniæ & Tarraconẽ-

ſis prouinciæ confinibus ſita eſt, Aſtorga communiter nominata. Parentes hic B. pater ſortitus eſt non minus illuſtri fulgentes ſtemmate, quam diuitiis huius ſæculi affluenteis. Erat autem eius auunculus tempore quo ad puerilem peruenit ætatem, ſacer Antiſtes Aſtorganus, cuius fauore & ſaluberrimis monitis adiutus, artes quas liberales vocant, hic Dei famulus non gregarius futurus, ſub Magiſtrorum diſciplina conſtitutus, adeptus eſt. Deinde verò temporis aliquantula intermiſſa mora, in eâdem Epiſcopali ſede Aſtorgę vrbis canonicatus locū gradum quę lætus obtinuit. Non hîc illum pedem figere, arridens mundus permiſit, reditibus iam honoribuſque cumulatum, ſed ad altiora precipitii loca per licita tamē media euehere nitebatur. Namque cum ille indies maius peritiæ literarum, & honeſtæ virtutis, clarius ſpecimē prębeteret: per diplomata ſummi Pontificis ad eminentem Decani Aſtorgani dignitatem promotus eſt. Erat ille tunc tēporis iuuenili floridus ętate: & corpore pręſtās, atq; cæteris omnibus valde cōſpicuus. Cumque his nouiter inflatus honoris infulis tantæ dignitatis & gradus, immodicam animi lætitiā intra ſe cōtinere atque occultare non poſſet; imprudenter illam

exterius iactantérque non ſolum verbis effu-tire, ſed & operibus vanis ſibi perſuaſit oſtē-tare. Atque proindè poſtquam literas Apo-ſtolicas recepit quibus in Decanum confir-mabatur, iuuenili quadam motus vanitate, inter alia ebulliētis animi ſui indicia, equum pulcherrimum conſcendit atque totam ciui-tatem ouans & iactabundus curſitando per-luſtrauit. In feſto natiuitatis Redemptoris noſtri, hunc mentis exceſſum rationíſque deliquium, ferunt, D. Petrum fuiſſe paſſum. Ille verò cœli terræque conditor qui in altis habitat, & in alto collocatus throno in hæc inferiora oculos ſuos pientiſſimè ſolet con-iicere, atque noſtra ſigillatim opera conſide-rare: hanc temerariam Decani huius infla-ti iactantiam, clementiſſima diſpenſatione ſua foras erumpi permiſit, vt ex ſubſequen-ti & inopinato caſu idemmet vanitatis ama-tor reſipiſcens, compóſque mentis factus contemptis huius vani ſæculi illæcebris; tan-quam ad anchoram ſacram, ad tranquillum religionis fratr. prædicatorum portum tu-tè confugeret. Contigit namque illi dum per ciuitatem, vt iam diximus triumphali pompa incederet, per quendam vicum in quo frequentiſſimus erat populus novita-tis tranſeuntium alicuiuſue ridiculoſi otij

proſpectator, oſtentationis ergò, calcaribus acriter ſubditis & compreſſis equum per publicum ſtadiũ agitare. Sed extrema gaudii occupante luctu, antequam ad metam victor deueniret, in quẽdam cœnoſum locum ſiue potius volutabrum, equo pedibus offendente corruit & decidit. Ac proinde admiratione populari proſpectantis turbæ in deriſum conuerſa eſt: & in chachinum vulgus ignobile eleuato clamore ſolutum, ſibilis & ludibriis illum impetere atque explodere cœpit. Cum autem vanus adoleſcens in opprobrium atque populi abiecti deriſum ſe incidiſſe notauit, totus verecundia perfuſus, erubeſcentiam ſuã internumq; animi dolorem minimè etiam ſimulare valens, publicè in hæc verba prorupit.

Quandoquidem, inquit, mundus à ſuis in ludibrio habitũ, me ſic illuſit, eâdem hac die, qua ego me illi magis effrenatè deuoueram: ego et iam illum tanquam fallacem ſumpta vindicta poſt terga penitus relictũ irridebo; & ne iteratò me ab illo illuſum eſſe cõtingat; vitam in meliorem frugem commutabo. Ecce diuina omnipotentis Dei benignitas, quæ ei in ſumma ſemper ſapiẽtia coniuncta; bona etiã dè malis, vt D. Augu. teſtatur in libris de ciuitate Dei, elicere nouit & dignatur.

CAP.

De eius ingreſſu in ordinem frat. præd, déque ſtudio & predicatione ſubſecuta.

AB illo igitur inopinati caſus vel ruinæ tempore fallacem mundum cum omnibus ſuis falſis oblectamentis faſtidire incipiens, ſe ſuáq; omnia, mẽte ſibi diuitus reſtituta, Deo optimo maximo vouere exorſus eſt. Quia verò iuxta ſaluberrimum D. Hieronimi conſiliũ, in epiſtola ad Heliodorum, à cœleſti radio illuſtratis & prauo huic ſæculo renuntiare proponentibus, tempus non eſt expectandũ diuturnum nec propoſitum differẽdum, ſed tanquam ſi in auaro perículoſóque portus littore detenti eſſent, vela ventis laxando, funes quibus immorantur preſcindere magis quàm ſoluere debent: hic nouus ad Deum trãsfuga D. Petrus, firmum animi ſui decretum circa ſtatus ſui mutationem, non diù diſtulit. Quinimò breui temporis tranſacto curriculo, mortalem fugacémque mundi vitam ſub obedientia & paupertatis ſarcina, propter Deum tranſigere eligens, ordinem fratr. prædic. in Hiſpaniæ regionibus tunc temporis florentiſſimum, & ad quem iam eiús propenſus animus ſpontè & deuotè fere-

batur; ſæculi pompis dimiſſis ingreſſus eſt. Conuerſus igitur in Deum, quem in clericali ſanctiſſimóq; ſtatu priſtino obliuioni quodammodo tradiderat, & in alterum trãſmutatus nouum hominem; ſtatim quaſi apis ſolicita, collectas flores omnis virtutum generis in alueare cordis ſui recondere ſatagebat. Neque enim propicia poténſque diuinæ largitatis munificentia huic ſanctæ obſeruantiæ humilimo iam tirunculo, (qui nõ multo anteretrò turgidus eques extiterat) in ſancto propoſito deficiebat imò, potius indies magis gratiarũ donis adaucta in eo videbatur. Atq; proinde ſupernè iam oculatus hic Dei famulus toto imprimis animi conatu puram nudamque apud Deum conſciẽtiam habere cupiẽs, ad cœleſtis mercimoniæ negotiationem intenta mente totus anhelabat. In eadẽ verò domo religioſa in qua habitũ ſumpſit, probationis anno, Sic vocant tranſacto, regularis obſeruantiæ vota emiſſo, omnibus charus cœnobitis, in interioris hominis vita magnos progreſſus faciebat. Cœpit autem virtutũ eius tam vehemens odor apud omnes flagrare: vt non ſolum circumcirca; ſed in remota quoque loca diffunderetur. Fratres enim quos ſibi, religioſus factus, in Domino acquiſierat, de ſancta illius

conuerſatione ſummè lætantes, ſibi ipſis ſilencium minimè imperare valebant; ac proinde ſancti Petri cœleſtem in ſolo vitam vbique predicabant. Poſthæc autem cum Dei famulus ordinem quem conſultiſſimè elegerat, in animarum proximorum ſalutem inſtitutum eſſe conſideraret; poſt liberales artes quas in ſæculo acquiſiuerat: theologiæ ſacræ habitum in religione addiſcendo ſuperaddere menti, curauit. Atque de licentia prælatorum ſacris literis operam impendens, tanto animi iubilo atque gaudio interiori afficiebatur, dum ſacros euoluebat libros ſalutiferas cœleſtis fontis aquas hauriendo; vt non ſemel aut bis tantum, totus huic literarum ſacrarum ſtudio intentus, noctes duceret inſomneis. Vt autem proximorum ſaluti cui totus inhiabat vigiliis & ſtudiis ſuis prodeſſe poſſet atque has ſacræ theologiæ ſalutiferas aquas Chriſti cultoribus affluenter dignèque propinare, ex his quæ legebat ſelectiora in ſui pectoris abditis auidè recondebat. Solebat etiam hic ſanctus Pater Diui Patriarchæ ſui Dominici miram vitæ conuerſationem animarum zelum, mundi contemptum, voluntariam profundamque humilitatem atque inenarrabilem corporis macerationem,

ſemper prę oculis obiectā habere. Propterea verò ſtrenuus fidei Zelator, frequentis orationis amator, & morum grauitate decenter ornatus exemplar religioſæ vitæ ſe omnibus demonſtrabat. Inſtanter etiam à Deo precibus efflagitabat aſſiduis vt ei talētum neceſſarium dignaretur commitere ſpiritus ſapiētiæ & virtutis, quò dignus efficeretur miniſter verbi ſui euangelici diſſeminandi. Nec in hac ſua iuſtiſſima poſtulatione diu repulſam paſſus eſt. Namque breui temporis emēſo curriculo, in quo & religionis obſeruātiæ diſciplinis, & litteris ſacris operam adhuc tirunculus nauabat; cōſiderantes ordinis Præfecti, illius ſufficientiam ſanctis moribus fulcitam, qua iam nō infructuoſè verbum Dei poterat proponere proximis & illorum arcanas excipere confeſſiones, autoritate qua fungebantur D. Petrum Conſalui ad vtrumque munus exercendum publicè expoſuerunt. Prædicator igitur & confeſſor deſignatus ſtrenuus Christi ſeruus & paupertatis amator, verbo & exemplo viā cœli omnibus clarè demonſtrans, euangelicam doctrinam fructiferè miniſtrabat. Si quandò, aliquem ſacramentali indigere pœnitentia perſentiebat, nullatenus illum ſpiritus charitatis torpêre imò nec quieſcere ſinebat, quouſque

huiuſcemodi ouem in gregem Dominicum, excepta confeſſione, ſalutaríque pœnitentia iniuncta reuocaret & introduceret. Viſus eſt aliquando è menſa ſurgere, aliquandò in remota loca proficiſci, vt oblata lucrandi proximi occaſio, non volaret: Nulli denique labori parcens, vt verus filius Patriarchæ ſui Domini ſpiritualem proximorum ſalutem corporali vitæ ſuæ libentiſſimè præferebat. Quando in aliquam domum, hoſpitandi gratia, neceſſe erat illum intrare, quantumcumq; Magnatis alicuius eſſet hoſpiciũ, tam ipſum patrem familias, quàm omnes illi adherentes, efficacibus verbis exhortabatur, vt ad ſacramentum cõfeſſionis & ſalutaris pœnitentiæ antidotum vellent accedere; idque aliis atque aliis exemplis & autoritatibus, deuotiſſimè perſuadebat. Erat enim & in hoc verus Anteſignani noſtri imitator de quo refertur quod inter loquẽdo cum ſęcularibus, ſemper de rebus ad cœleſtem patriam ſpectantibus aliqua opportunè verba intermiſcebat. Hac etiam de cauſa D. Petrus Conſalui de damnis, & periculis exiſtentium in peccato mortali; de reproborum æterna dãnatione, de reſurgentium per pœnitentiam fœlici ſtatu, hoſpitibus ad quos diuertebat priuatè concionabatur. Quamobrem vix

vnquã ab aliquo ſimili egrediebatur hoſpicio, quin prius omnium in eo commorantium, ſeorſim confeſſione excepta ad pœnitentiæ præteritorum & vitæ emendationem tranſlatos dimitteret. Nec mirum quamuis magnum, erant enim verba eius à Dei ſpiritu procedentia quæ gratia diuina cooperante, vacua minimè reuerti poterant.

CAP. IIII.

De tentatione ſancto Petro Conſalui immiſſa ab aulicis Regis Caſtilliæ per ſpeciem cuiuſdam fœminæ impudicæ.

IAM per totam ferè Hiſpaniã, ſancta viri Dei fama ſplendebat & vires acquirebat eundo, atque Regiam iam Ferdinandi Hiſpani huius nominis tertii implebat; quando ipſemet Rex non leui iã ſuſpitione ductus ſanctitatis D. Petri Conſalui eum propè ſe habere, deſiderauit. Erat hic catholicus Princeps, variis bellorum contra Sarracenos, tũc expeditionibus præpeditus; Hiſpania adhuc pro principaliori ſui parte, ab eiſdem impiis Chriſti oſoribus occupata: & ſancti viri præſentiam ſibi neceſſariam iudicabat, vt in bello contra

infideles illos gerendo, & precibus D. Petri & conſilio ſalubri iuuaretur. Quare ſibi pius Rex tanquam catholicus meritò perſuadēs, Chriſtianorum bella, nō curribus aut equis, tantùm aut vario telorum genere ſed diuino potius numine primū inniti debere; protinus ſanctū Chriſti famulū ad ſe venire iuſſit. Quantum verò boni attulerit Chriſtianorum militum caſtris, viri iſtius Apoſtolici præſentia, fuſis apud Deum precibus, conſilio ſalubri Regi ſuo præſtito, & concionibus apud milites habitis: fauſtus fœlixque rerū euentus ſatis demonſtrauit. Namque poſt eius in caſtris aſſiſtentiam; non ſolùm glorioſam idem Ferdinandus de Sarracenis victoriam reportauit: ſed etiam Vrbem illam florentiſſimam Hiſpalim dictam vtique totius Beticæ Prouinciæ vnicam Metropolim ab illorum manibus vi eripuit. His minimè perpenſis à ſiniſtri ingenij hominibus, contigit aliquando quoſdam aulicos Magnates in ſermonem vitæ & ſanctæ conuerſationis D. Petri Conſalui incidere; atque vnumquēque illorum in diuerſas ſciſum opiniones, diuerſa etiam iuxta animi bonam vel ſiniſtram affectionem iactare; ſicuti etiam Chriſto Domino cum Iſraëlitico ſemine contigit. Aliis enim vitæ frugalitas, honeſta conuer-

ſatio, & Apoſtolicus in vitiis redarguendis Zelus, laude & reuerentia dignus videbãtur. Aliis vero prauò affectis animo; quia ſanctus vir, obſcœnos illorum mores Euangelica libertate reprehẽdebat, maximè omnium impudicitiam, carniſq; effrenatam libidinem; illum audacem temerarium, aliiſque detractionis opprobrioſis verbis dignum mutua altercatione iudicabant. Dum hanc illi interſe controuerſiam ocioſè diſcutiebant, laſciua quædã & impudica mulier, ex his quæ cominus eos auſcultans Martis caſtra Cupidinis cauſſa ſequuntur: colloquii ſubiecto & materia percepto illorum ſic verba intercepit. Quo nam me munerè afficietis, ſi iſtum monachum, taliter aſſectauero, vt hoc ipſum quòd ille in nobis tantopere abhorret atque abominanter reprehendit, amore captus in ſeipſo amplectatur libẽtiſſimè? Nihil iucundius opportunius, dulciuſue auribus omniũ profani illius conſiliabuli Doctorum, vt ita dicam, afferri poterat, quam hæc perditæ illius fœminæ pollicitatio. Atque immodica affecti lætitia, hunc tantum virum tamq; religioſum, Veneris illæcebris deuictum fore ſperantes, quo & vitia illorũ peſſima minus ſordida, minuſque reprobata, cenſariiſque iudiciis expoſita manerent: & D. Petrus Cõ-
ſalui

ſalui, tanti ſcandali patrato ſcelere indelebilē inhoneſti religioſi notā contraheret. Spe igitur precii hæc diaboli ſagena (in qua non niſi turpiſſimi & immundiſſimi illaqueabantur homines) vires nouas reſumens, ad ſancti viri mentem ſeducendam, ex toto animi conatu ſe accinxit, atq; diſpoſuit. Non multò poſt iſtam malignam pactionem, occaſione expiſcata nefario crimini aggrediendo, horā ipſa elegit intēpeſtiuam, in qua D. Petrum à negociis & hominum frequentia vacantem, alloqui poſſet. Accedens igitur ad illius hoſpicium vel tentoria per atrienſem illi inſinuauit ſecretum ſe magni ponderis atque vrgētiſſimum negotium cum eo pertractandum habere. Hoc ille nuntio audito, nihil omnino inhoneſtum pertimeſcens, imò potius aliquid in Dei laudem proximorúmque ſalutem futurum ſuſpicatus, illam ad ſe introgredi ſincerè permiſit. Illa verò cameram ſancti viri ingrediens, confeſtim flexis genubus ad illius pedes poſita; fraudulentis fictiſque reſperſa lachrimis, vt ſui confeſſionem exciperet enixè precibus poſtulauit. Erat iam tunc maior diei portio tranſcurſa, atque ſolis occaſus imminebat, quapropter temporis incommoditas D. Petro non longius vllam moram cum muliere faciendam eſſe

ſuaſit; quam vt dimiſſam ſequenti die reuerti præciperet. Quare ad illam conuerſus, Reuertere inquit filia craſtina die; quia nunc iam, vt vides, aduesperaſcit, & ego tunc libẽter confeſſionem tuam excipiam. Cui illa, Pater ſancte, celebris tuæ virtutis fama vbique ſatis eſt nota, & ego etiã certiſſimè ſcio te magnã de animarum ſalute ſolicitudinem gerere; atque vt peccatores reſipiſcant, maximè procurare; Ideo enim huc accedere auſa ſum. Precor vt mihi in quadam vrgentiſſima tribulatione ſubuenire ſtatim velis. Deum autem obteſtor quod niſi hodie meã peccatorum meorum exceperis confeſſionẽ, ſi quid mihi horrendum hac nocte contigerit, tu corã illo meæ damnationis rationem reddes. Dum hæc fraudulentæ ſerpentis verba D. Petrus innocenter excepit, obteſtationis appoſitæ tremendo tactus ſcrupulo, ad quoddam eiuſdem cubiculi diuerticulum ſiue angulum mox ſeceſſit, atque illam genibus ſuis proſtratam, vt ſe crucis ſigno ante confeſſionem muniret, poſtquam forſitam admonuit, de lethali illo crimine quo magis grauabatur illam priùs interrogauit. Non libenter crucis ſignum ſathanas eiuſque miniſtri aſpiciunt aut venerantur, nec iſta etiam eiuſdem factionis tartareæ aduocatrix, ſan-

cto viro, in hac parte vt licet ſuſpicari moré gerere curauit, vt nec de peccato aliquo ſalutis æternæ deſiderio affecta mẽtionem fecit. Imo ex abrupto, conceptum cupiens ſpirare venenum; ſanctum Dei famulum audacter ſic eſt alloquuta. Mi frater Petre lethale vulnus quod patior, & meum ſuper omnia cor torquet, tibi denudare non verebor. Noueris quod, tui fruendi, amore crucior ardentiſſimo & pro comperto habeas, quod niſi meo acquieſcas deſiderio, minimè vltra ſuper futuram eſſe. His & aliis ſimilibus verbis, tãquam melle lito gladio, venenoſa hæc peccati filia, ſanctũ & honeſtũ Dei famulum D. Petrum, trãsfodere cogitauit. Tam inuſitato & proteruo deperditæ mulieris inſultu auſuque ab illo inopinatè audito mirari ſatis non poterat, attamen à Dei ſpiritu inſtanter illuminatus, & ex venenoſis herbis fauos etiã conficere cupiens, atq; prædam à leonis faucibus eripere: illius oculato cordis arcano, blãdis verbis ab omníque penitus animi indignatione alienis, lethifero vulneri; ſalutarẽ medicinam, prodigio quodam adhibere curauit. Nõ, inquit, filia Deus permittat, vt ego tuę repentinę mortis cauſa exiſtam aut fiam, ne triſteris quia confeſtim ab iſto vitæ diſcrimine eris libera; Sed oportet paululũ prius.

vt expectes, donec lectum quem adhuc incompoſitum habeo; poſſim decenter ſternere. Poſt hæc diſcedens in aliud domus ſuæ diuortium, magnam lignorum ſtruem coaceruans, igni ſubtus approximato, flammam ſuſcitauit non paruam. Deinde fœminam procacitatis plenam, ad ignem accedere inuitatam, palio proprio ſuper flammas iniecto aut ſtrato taliter eſt alloquutus. Quandoquidem tanto mei potiũdi amore flagras, vt tua verba ſonant, accedamus ſimul & in hoc ignito cubemus ambo ſtratu, vt tuo poſſim ſatisfacere deſiderio. His dictis ſupra cappam in rogo ſtratam, ſe reponens atque recumbens, nullo ab igne paſſus nocumentum illæſo etiã palio, ibidẽ veneris ſuggeſtricẽ expectabat vel inuitabat. Adderant oculati ſpeculatores, aulici ſ. milites, qui illius diabolicæ ſuggeſtionis fautores priùs extiterãt, atque rei euentum, finẽque per ſciſuras quaſdam ianuæ diligenter rimabantur. Cum verò ad illud cœleſte ventum eſt prodigium, quando ignis inuerſa natura, à combuſtione approximatæ materiæ abſtinuit; tanto miraculo propriis euigilantibúſque conſpectum oculis, cœperunt praui illius inſidiatores lachrimis erumpentibus compungi & apertis protinus ianuis ad D. Petri Conſalui pedes

proſtrati, malitiam ſuam profitentes, veniam ab illo humiliter poſtulârunt. Illa verò impudica fœmina viſo miraculo, de vaſe contumeliæ, ad Deum per pœnitentiã conuerſa, tranſlata eſt in totius pudicitiæ vaſculum; atque illius complices, in propoſita tẽtatione, timorato animo à facie viri Dei impetrata venia recedentes, poſt experimentum illud factum, magis ac magis, D. Petrum venerari quàm antea ſolebãt, ac debita deinceps proſequi reuerentia procurarunt. In libro, vitæ fratrum dicto, ſimile quidpiam eueniſſe legitur ſancto patri fratri Dominico, Cubenſi vt opinor qui in Luſitania fundator fuit monaſterii Sanctirenenſis, quia à curia Regis mæretrices omnes & mimos ſuis prædicationis expelli fecerat. Vide eundem librum parte 4. capite 4.

CAP. V.

De aliquibus miraculis eius, déque pontis cuiuſdam in Minio flumine conſtructione.

EXpugnata iam per prædictum Regem Catholicũ Hiſpalenſi illa celeberrima vrbe, vt diximus; reuerſus ille in Regiam, itineris comitem voluit habere D. Petrum Conſalui. At poſtquam in aulam ſimul peruenerunt, cupiens

ſanctus vir miniſterium ſibi creditum fideliter adimplere, & conſtanter proſequi, extra turbam adulatorum, & ſcurrarum, (ne de aliis illius officinæ vanitatis monſtris loquar) Regi valedicens, Prouinciam Compoſtellanam quam Calletiam antiqui nominarunt, petiit: Hoc tempore priorem egiſſe referunt aliqui, in conuentu Vimaranenſi in interamni Luſitaniæ Prouincia, poſtea vero quaſi denuo Deo inſeruire incipiens, feruore & ſpiritu duplici reſumpto, concionibus totus deditus, indies ad cōuerſionem peccatorum anhelans euangelicum munus exercebat. Cum autem vir egregius corpore eſſet præſtans, aſpectu elegans, eloquio ſuauis, & virtutem etiam pulchram in corpore pulchro præſeferret: mulier quædam tunctenus honeſta, in cuius domo aliquādo D. Petrus hoſpitii cauſa venire conſueuerat, à diabolo ſeducta atque excæcata, in illius cōcupiſcentiam, exarſit. Quid multa? Occaſionem ſatis oportunam nefario operi tentando quæſiuit & proſecuta eſt: ſed per Dei gratiam, intētione maligna, ab illo olfacta, igne materiali (vt prius) pro armis ſumpto, illius ſathanici ignis incendia mirabiliter reſtinxit & effugit. Videns inhoneſta mulier miraculum hoc inſperatum, tota in ſtuporem cor-

diſque compunctionem verſa in teſtes ſanctitatis D. Petri, omnes conuocare domus ſuæ familiares non erubuit: qui illæſum ſanctum Dei famulum ſuprà rogum cubantem conſpiciẽtes, in Dei laudem, rei euentum diuulgarunt vbique.

Dum aliquandò D. Petrus rediret à ſuggeſtu, atque ex itinere laſſitudine confectus eſſet valde, ſocio etiam eius ſimiliter fatigato, ad cuiuſdam mulieris domum, ſitis ſedandæ gratia diuertit. Fœmina verò à qua ad bibẽdum aquam petierat, reſponſum illi, huiuſmodi dedit. Scias pater mi, quod intra hanc domum nihil eſt ad præſens, quod tibi propinare poſſim, niſi tantum parum vini in parua repoſiti lagena, quod quidam ſacerdos ad ſeruandum mihi tradidit, cuius pro cibo miniſtrando ſum famula. Tunc D. Petrus, potens eſt, inquit, Deus ſuis ſubuenire miniſtris vini liquore nec exhauſto, nec ab eius domino hoc presbitero aliqua illius diminutione cõprehenſa. His deuotis verbis emollita mulier atque in magnam erecta fiduciam, vini portiunculam in vaſculo ſemiuacuo reconditam fiducialiter & libenter viro Dei & ſocio eius obtulit. Sedauit tunc D. Petrus, laborioſam ſitim, ſimúlque ſocius eius, abſque aliquo lagenæ eiuſdem exſicãdæ

timore atque pia illa Samaritana altera reſalutata, diſceſſerunt ambo. Rediit non poſt longum temporis ſpacium ſupradictus presbiter, atque vinaceum vas repetitum, acceptúmque maiori vini portione onuſtum perſentiuit, quam antè reliquerat, proindéque protinus de huius rei nouitate famulam cœpit interrogare. Illa verò lagena iterum appenſa & conſiderata, poſtquã euidens cognouit miraculum eſſe factum, eleuata voce, tota in admirationem rapta, ſacerdotẽ à vini illius ſumpſione abſtinere vrgentiſſimè poſtulabat. Deinde verò rei euentu nuda veritate illi expoſito, feſtinus illico ſacerdos poſt D. Petri veſtigia, velociter viam arripuit quouſque rectà ad illum peruenit, atque in terram pronus coram illo enixè rogabat, vt plenam refectionem ſumpturus, in ſuam dignaretur domum iterum reuertere. Excuſauit ſe ſanctus pater verbis gratificatione non minus ornatis, quàm humilibus, & deuoto ſacerdoti domum redire iuſſo, ſoli Deo dandam eſſe gloriam ſuaſit; atque mox iter inceptum proſequutus eſt.

Cum aliquoties D. Petrus in eâdem Calletiæ regione iuxta Minii fluenta concionaretur, vidit multos ex itinerantibus, qui vadoſa fluuij tentantes loca, quotidie eò quòd

non faciliorem haberent tranſitum, mortis ſe periculo multoties exponere, eſt enim flumen illud profunditatis non immodicæ. Quare ex eleemoſinis emēdicatis aliqua pecuniarum ſumma, huius rei cauſa, prius congregata, pontem quendam in eiuſdem aluei ripa conſtruere cœpit. Multa illi miracula Deo patrante, hoc tempore contigiſſe referuntur, non diſſimilia iis quæ diximus, cum de vita D. Gondiſalui Amaranthi ageremus, quando pontē alium ſimilē conſtruxit. Speciatim illud narratur contigiſſe, de piſcium multitudine ad oram fluminis vltrò ſe offerentium D. Petro pro noui pontis conſtructione. Tandem abſoluto operis edificio, ponte iam tranſeuntibus peruio facto, ad vrbem Tudenſem propè eundem ſitā fluuium ſe recipiens, indefeſſè verbum Dei accolis illius territorii prædicabat. Huic Apoſtolico in hac regione intentus obſequio, reliquum vitæ ſpacium cum magno animarum fructu expendere curauit.

CAP. VI.

De miraculo panis cœlitus miniſtrati pro ſocij fame ſedanda.

CVM igitur in eadem vrbe Tudenſi iam ſenio confectus quieſceret, Deo tamen ſemper vacans, aliqua miranda prodigia eius precibus operata eſt diuina Mageſtas. Inter hæc autem, dum famulus Dei D. Petrus quadam die ad menſam iam ſederet, vt prandii refectionem ſumeret, relatu didicit, quendam honeſtum virum, magna ſibi neceſſitudine coniunctum in loco diſtanti morbo graui correptum eſſe; vnde amicitiæ, & charitatis vinculo conſtrictus, à menſa protinus ſurgens, illum viſitandi gratia, viam eſt ingreſſus. Cum verò ad cuiuſdam montis radices pertrãſeundo perueniſſet, religioſus quidam iuuenis ſocius eius, non adeò laboris patiẽs, fame compulſus, cum quodam alio aduentitio itineris ſocio ſubmurmurare quodammodo non eſt veritus. Hic frater Petrus, inquiebat, quia iam prouectioris eſt ætatis & propterea parco vtitur cibo; me robuſtum iuuenem, calore naturali ad excoquenda alimenta ſatis affectum, eâdem menſura, victúſque parſimonia, & tenuitate vult coarctare; atque ſic ægrè nutritum macerare. Quamuis longius diſtans, eos D. Petrus eum præcederet, non illum latuit Deo reuelante, hoc ſocii ſui ſuſurriũ; atq; fixo gradu expectãs quouſ-

que ille appropinquarit, ſequenti miraculo à ſimili deinceps coërcuit detractione. Aſcēde inquit fili mi, ſi eſuris ad illius montis proximi dorſum, & ibidem obſoniū paratum inuenies quo & famen extinguas & ſufficienter pro nunc reficiaris. Paruit ille dictis & ſimul cum alio ſuſurrii complice illuc pergēs, in quodam aliquantulū eminenti loco duos albiſſimos panes mappa quadam ſuprapoſitos, atque vini lagenā inuenerunt, quę omnia reportata feſtiui feſtinantéſque ſtatim ſancto viro intactè obtulerunt. At ille ambobus ſociis, vt quantum illis ſufficeret ſumerent inuitatis, reſiduum in eodem loco vbi viaticum illud offenderant reponere iuſſit. Et refectione ab illis tunc ſumpta, famelicus frater sociúſque illius præcepto. D. Petri parentes, non parum de hac re mirati, illum curioſitatis ergo interrogarunt, vnde nam vel à quo panes illi fuiſſent in deſerto loco aſportati? vel, quod etiam nimis eos in ſtuporem induxerat, quis fragmentorum reliquias reſiduúmque prandii ibidem repoſitum, abſtuliſſet? Poſt namque aliquantulum breuis temporis curriculum, quo panis & vini reſiduū cum mappa dimiſerant in loco vbi antea poſita illa inuenerunt, atque ad viam communem deſcende-

rant, tanquam curioſi ſcrutatores: iterum reuerſi nec veſtigium quidem inuenerunt. Satis eſt, inquit ille quod naturæ penſum, lautè comedentes & bibentes ſoluiſtis, id verò quod ſuperfuit; abſtulit idemmet qui antè attulerat.

In eadem Calletiæ prouincia maritima concionabatur aliquãdo famulus iſte Dei apud vrbem Bayonam vel Vayonam dictam, cum frequentatiſſimo populi cõcurſu: & ecce ſubitò eſt exorta tempeſtas, & tam ſubita aëris inclementia territi aſtantes populi quo modo inde tutè diſcedere, ſiue aufugere ſolũ cogitabant. At D. Petrus illorum cogitationes percipiens atque introſpiciens, labantes animos, hac exhortatione firmauit. Fratres chariſſimi, dixit ille, ne paueatis, metum quæſo deponite; Ille namque omnipotens Dominus cui omnia parent & obediunt, hanc procellam ingruentem, quam veremini, antequam nos comprehẽdat, in aëris tranquillam commutabit ſerenitatem. Nec adhuc Dei famulus verba finierat, & iam nubes illæ minaces, & ventorum turbines, à ſuggeſtus omni loco circumuicino diuinitus abſtinentes, reliqua omnia circum circa ſuburbia quæ oculis aſtantium comprehendi poterãt, horriſono inuadentes furore, impetebant.

Igitur, Altiſſimo doctrinam illius euangelicam, ſequentibus ſæpe ſignis confirmante, & ſenili percurrente iam ætate, in quadam quadrageſimalis temporis dominica die, ramis palmarum benedicẽdis dicata, cum ille ſuggeſtum aſcendens diem ſibi iamiam imminere palam prædixit, etiam non amplius illũ ibidem ad prædicandum venturum; atque proinde omnes enixè & humiliter obſecrabatur: vt quando ad illorum aures, de inſtante obitu ſuo ſermo & fama perueniret, precibus ſuis coram Deo iuuarent. Quãuis enim dicebat vlterius, per Dei gratiam in nullo me reprehendat cor meum, poſtquam mundo renuntiaui, non tamen illam me conſcientiæ puritatẽ habere exiſtimo, quæ fidelium ſuffragiis non nimis indigeat. Et poſt vale dictum omnibus in proximam vrbem Tudenſem ſe recepit; in qua illius ſanctæ hebdomadæ, dies reliquos prędicare nõ deſtitit; Chriſtum imitatus, qui in vltimis etiam vitæ mortalis terminis cõſtitutus, templum Salomonis prædicationis cauſa frequentare, dignatus eſt. Paſchali igitur inſtante feſto, à quadã grauiter correptus eſt ægritudine, propter quam cauſam ad conuentum ſibi aſſignatum Compoſtellæ redire non potuit, quod maximè habebat in votis. Poſtea tamen morbo

eodem remiſſius, vt videbatur; illum vexante, & quodammodo in declinationem tendente, reſumptis, vt cúmque viribus, additóque animo itineri ſe accinxit, quô diem extremum, ſi fieri poſſet, inter fratres ſuos, in Compoſtellano conuentu, fœliciter clauderet. Sed dum ad oppidum Sancta Columba vulgariter dictum, vix & ægrè deueniſſet, morbo iterum ingraueſcente, in horáſque magis inualeſcente vlterius progredi non valens ſocium qui illum comitabatur, ſic eſt alloquutus. Opinor Dei eſſe voluntatem, mi frater, vt in vrbem Tudenſem aqua diſceſſimus ibidem moriturus, reuertar; Ideo obſecro vt confeſtim ad illam properemus. Illuc igitur denuò reuerſus, ad quandam hoſpicii priſtini domum declinauit, necdum enim apud Tudenſes, præd. fratr. ordo conuentum quod modo habet, obtinuerat.

CAP. VII.

De tranſitu beati Petri Conſalui; & miraculis quibuſdam.

IGitur mortali inualitudine indies magis ingraueſcente, hoſpitem ſuũ ad ſe accerſiri faciens; hæc illi verba vltima fecit. Chariſſimè frater noueris quod Dominicus noſter, meorum

memor laborum, illis finem imponere dignatur. Ego verò ab illo precibus impetraui, vt huic parceret regioni, cui varium ácerbúmque, propter inhabitantium crimina, flagellum nunc imminebat. Deinde pro hoſpitalitatis charitate, qua ſemper erga me vſus es, clementiſſimus ipſe pater lüminum vt ſpero mercedem tibi rependet. Interim tamen, quia aliud tibi prę ſentandum, gratitudinis ergo, niſi hanc zonam qua hactenus preſcingebar, non habeo, illam te precor ſuſcipias, quam tibi aliquando profuturam confido. Suſcepit pius hoſpes religioſè ſancti viri munuſculum, non ſecundum humanam ſapientiam, multum precioſum, atque in mundiſſimo linteolo inuolutum, magna alicuius adhuc olim adepturus boni, ſpe & fide animo concepta, in competēti repoſuit loco. Nec vana fides. Poſt aliquantulum namque ſpacium, cum prædictum cingulum in duo fruſtra diuidere vellet, vt amico cuidam intimo partem alteram communicaret, tāquam rem precioſiſſimam fidei ſaltē oculis æſtimatam, ferreum illud inſtrumentum, quo inſciſionē facere intendebat, è manibus eius exiliēs, leuiuſculo quodam ictu percuſſū, reddidit & reliquit. Exiſtimauit illico vir hic pius, ſpeciali diuini numinis concurſu, &

non caſu hoc illi contigiſſe, quaſi Deo cinguli illius diſpliceret diuiſio, munuſculíque quod ſanctus & Apoſtolicus pater, in amoris & gratitudinis ſignum hoſpiti ſuo contulerat, atque religione tactus, non ſolum integram corrigiá illam ſed & baculum quo D. Petrus adhuc viuens, nixus incedebat, ad eccleſiæ cathedralis Præfectum, vt ibidem dignè atque cum debita reuerentia cuſtodiretur oblatũ tradidit. Poſtea demum, hora trãſitus ſui inſtante, ad quam ſe à longinquo tẽpore præparauerat, in ſanctiſſimo Dominicę reſurrectionis feſto, ſpiritum Creatori ſuo reddidit, anno ab eius incarnatione, CIↃ CCXXXX.

Eius verò funebria obſequia munúſq; ſupremum, Tudenſis Antiſtes ſumma cum veneratione perſoluit, qui tanta illum dum viueret deuotione ſemper coluit; vt ſe iuxta tumulum illius ſiue conditorium, poſtquam è viuis diſcederet ſepeliri voluerit, eius enim tantopere confiſus erat ſuffragiis; vt hoc etiá votum ſuum, ſuis teſtamento firmato mandauerit legatariis. Et cum eius vltima voluntas in hoc olim adimpleretur; atque iuxta D. Petri reliquias eius cadauer ſepeliretur: Deo ita diſponente mirabiliter, in cuius cœleſti aula, ſtella ab ſtella differt in claritate, imperceptibili

ceptibili ſeparatione,poſt aliquod tēpus elapſum, viſa ſunt amborum conditoria ab inuicem longè diſtanter ſeparata quam à principio extiterint.

Poſt illius animæ ſanctiſſimæ à corporis ergaſtulo egreſſum, piiſſimus Deus noſter, miraculis multis fidelibus populis oſtendere dignatus eſt hui⁹ ſancti viri inefabilia merita. Ex illius enim ſepulchro, oleum aliquādo emanaſſe, ſicut antea legimus contigiſſe, & ſeraphicæ illius virginis Catherinæ martiris monumento, in quo ab angelis in monte Sinaï recondita fuit, & Diui Nicolai mauſoleo ſimiliter. In huius veritatis euidens teſtimonium oſtenditur adhuc in eadem eccleſia vas quoddā vitreum, in quo canonici tunc temporis interuiuos agentes portionem aliquam liquoris illius miraculoſi recondiderunt. Cum aliquando de hoc miraculo, incredulus quidam homo, duræq; ceruicis ad illius ſepulchrum accedēs multis narrantibus dubitaret, ſuperaddidit ipſe nūquam tale quidpiam ſibi perſuaſurum aliquem, nempe quod ex illa lapidea tumba, oleum aliquando emanarit: niſi ſuis ipſe etiā oculis miraculum illud prius experiretur & palparet. Non diuina, huic incredulo defuit benignitas, ſicuti & Thomæ de ſua reſurre-

ctione dubitanti, Et poſtquam iſta diffidenter protulit verba; ecce ex eodem confeſtim ſepulchro, oleum reſudare viſum eſt, de quo illemet manibus ſuis vaſculum quoddam ex illis guttis impleuit; atque in conſpectu multorum aſtantium, glorioſus Deus in ſanctis ſuis laudatus eſt.

In eadem diœceſi Tudenſi, quædam erat illuſtris matrona, virtutibus etiam non minus inſignis, quæ aliquando D. Petrum Cōſalui hoſpitata fuerat non minori, vt creditur, deuotione quàm vidua illa Sareptana, quæ prophetam Heliſeum antiquitus excipiebat. Et cū ſemel ab illo, adhuc aura etherea fruēte efflagitaret, vt aliquod ſibi pignus & memoriale redderet, deuotionis cauſa ad ſeruandum, ſubridens Dei famulus illi ita reſpondit. Tempus aliquando inſtabit in quo aliquid, me viuente vel è viuis ſublato in mei memoriam poſſideas. Cum vero deuota mulier de illius tranſitu certior facta eſſet: in memoriā nō ſine dolore & triſtitia ſibi reduxit, promiſſum munus quod ab illo petierat, dū viueret, non impetraſſe. Attamē ſequenti nocte, D. Petrus Conſalui promiſſi memor illi inſomnis apparens, dixit. Noli ſoror chariſſima contriſtari, quāuis enim dum inter mortaleis agebam, tuis non ſatiſfecerim votis in

eo quod deuotè à me poſtulaſti: craſtina die in meum perge ſepulchrum,& ibidē tibi ſtabo promiſſis. Nocturnæ reuelationis nō immemor deuota matrona diluceſcente die ſequenti,ad eccleſiam cathedralem in qua ſancti viri ſepulchrum erat,deuota proceſſit; & poſtquàm ſe illius precibus deuotè cōmendauit paululū, immittens manum per quoddam apertum foramen in idem mauſoleum deuotionis excitandę cauſa,dentem quendā ex ſancto cadauere D. Petri inſcia offendit; quem ſtatim foras extrahens, lachrimis ſuffuſa,omnibus aſtantibus rei feriē in Dei gloriam manifeſtauit. Qui omnes ſatis mirari nequibant in diuinas erumpentes laudes: Illa verò Theſaurum diuinitus conceſſum nullo contradicente in domū ſuam reportauit.

Canonicus quidam dum de miraculis.D. Petri cum aliis ſacerdotibus confabularetur, in fide miraculorum eius dubius perſiſtēs dixit.Et ſi ego,illum ſanctum eſſe & cū Deo in cœlis regnare, niſi impiè, negare nō poſſim: nunquam tamen mihi perſuadebo, tam crebra miracula, vt quotidie referuntur apud nos vera eſſe; quoniā poſtquā ego in hac vrbe habito nullū oculis meis hucuſque potui videre, aut experiētia facta cognoſcere. Hæc illo præsbytero temerarie iactitāte,ecce duo

homines puerulum paraliticum portantes, cauſa viſitandi eandem ſepulturam D. Petri Tudenſis, maiorem ingreſſi ſunt eccleſiam, & accedentes propè locum illum ſanctum, nondum preces ſuas orantes finierant, quãdo paraliticus ille infantulus, ſtans rectus & ſanus, huc atque illuc greſſus lætanter dirigere; ab omnibus viſus eſt. Fuit autem miraculum adeo manifeſtum; vt turba multa in ſtuporem verſa, quæ illic ſtabat, laudis clamores protinus in cœlum extolleret. Accurrit Tudenſis populus, accurrit & ille incredulus presbiter: dúmque quaſi ſuis manibus recens miraculum contrectaret, dubietate priſtina in deuotionem commutata, mirabilem Deum in ſancto ſuo D. Petro laudare deinceps decreuit, de incredulitate ſua non parum pœnitens.

CAP. IX.

De miraculis eius circa nauigantes.

NAuta quidam in malum nauis conſcendens ab eius ſummitate, vi vẽtorum ingruente auulſus, in mare ſemel fuit precipitatus. Qui ſtatim D. Petri Conſalui recordatus, quem in mari Hiſpaniæ, patronum propicium multi experiebantur, illius opem inuocare per aëra vo-

lans ſuper vndas incœpit, & ecce in habitu frat.prẹd. Dei famulus illi apparens, adſum inquit, fili mi, quia me vocaſti, ne timeas. Atque manum illi extendens, intra nauem à ſubmerſione liberum, repoſuit.

Non abs re, hic interſerere videbitur, quod iis diebus præteritis in quodam antiquo libro manuſcripto, bibliotecæ S. Victorii reperi. Ibidem enim, cum in quodam cathalogo ſanctos ordinis noſtri qui miraculis claruerunt offendiſſem, etiam & D. Petri Conſalui mentionem factam inter reliquos ſub his verbis perlegi. Beatus Petrus Conſaluus, Patronus maris Hiſpaniæ, clar. miracu. Ex quibus verbis ſatis conſtat, ab antiquo iam & immemorabili æuo periclitantibus in Occeano freto, D. Petrum ſubcurrere conſueuiſſe, nec eſſe apocryphum aut omnino abſurdum, vt aliqui irreligioſè philoſophantes autumant, quod paſſim nauigātes per Oceanum predicant, ac teſtificantur, D.ſ. Petrum Conſalui ſæpeſæpius ab illis, tempeſtate ingruente, viſum eſſe in mali vertice vel in velorum ſummitatibus, viridem candelam accenſam in manu geſtantem, ſtatímque poſt viſionem iſtam, procellam ſtagnante mari ceſſare.

Quædam mulier apud Scallabin Luſitanię

vrbem filium habebat pede altero contritũ & contuſum,grauitérque laborantem;à quo iam chirurgi decem octo minutula extraxerant oſſa, nec tamen propterea ſanabatur. Cum illa igitur de huius ſancti viri miraculis audiret,voto emiſſo,filij ſui ſanitatẽ ab eo efflagitabat. Qui illius orationibus mox aures porrigens interceſſione ſua apud Deum obtinuit vt puer ille deſideratam ſanitatem impetraret.

In libro etiam qui dicitur vitæ fratrum, qui maximæ autoritatis eſſe iudicabitur ab illis, ad quos authoris eiuſdem notitia peruenerit, parte quinta cap. IX. vbi de illis qui miraculis claruerunt agitur,de B. Petro hæc quæ perlegi hic transferre verbum verbo reddendo mihi placuit.

Item in eadem Hiſpania,inquit author,fuit frater Petrus Conſalui,qui in Tudenſi eccleſia honorificè eſt ſepultus,vbi ad inuocationem populi,multa fiunt miracula.Vnde etiã venerabilis eiuſdẽ Ciuitatis Epiſcopus,pluſquam centum octuaginta miracula, per diſcretos & fide dignos examinata,& per teſtes iurata,ſub ſigillo ſuo, tranſmiſit capitulo generali, quod celebratũ eſt Tholoſæ anno domini.CIↃ CCLVIIJ. Inter quæ miracula, leproſi quinque mundati, demoniaci nouem libe-

rati, cæci, ſurdi, fiſtullati, gutturuoſi, contracti, & diuerſis febribus laborantes, ſanati quamplurimi referuntur.

Cuidam, ex percuſſione fructicis, duæ ſpinæ in oculis remanſerunt, quæ adeò altè intrauerant, quod nullo modo poterant extrahi vel etiam videri. Inuocauit auxilium fratris Petri Conſali, & ſtatim albæ ſpinæ, per ſe de eius oculis, in gremium ceciderunt; & perfectè curatus eſt.

Item mulier quæ per ſeptẽ ſeptimanas lac amiſerat, vnde filium alteri tradiderat, dolẽs maximè, quia paupercula erat, facta oratione ad tumulum fratris Petri, cum rediret in domum inuenit ſe lacte repletam, quo filium enutriuit.

Quidam nautæ in maris periculo conſtituti, inuocauerunt fratrem Petrum Conſali, qui ſtatim apparuit eis dicens; Adſum, & cõfortans à fluctibus procellæ eos liberando, duxit ad portum.

Vxor quædam in naui paruula, dum flumen quoddam tranſiret profundum, timore concuſſa, (paruulum filium habens in humero) cecidit, quinquies ſubmerſa in profundis, ſed inuocato beato Petro ab ipſa cũ cecidit & à marito qui ſtabat in ripa, ab ipſo periculo euaſit, cum filio ſuo.

Quidam iuratus dixit quod cùm per ſex menſes, febribus affligeretur & eſſet valde inflatus, ita quod vix poſſet ſuper baculum ire; apparuit ei frater Petrus & dixit. Veni ad tumulum meum & curaberis. Venit & curatus eſt. Hæc, in libro ſupra memorato ſub hoc ſtillo exarata habentur, quæ ſimul cum ſupradictis, à pio lectore non dubito quin debita deuotione in Dei laudem ſimplicibus & columbinis oculis conſpiciantur. Illi gloria & honor in ſæcula, Amen.

BEATI PELAGII CONIMBRIGENSIS, LVSITANI, GESTORUM, breue compendium.

HIc venerandus atque ſanctus D. Pelagius cuius memoriam penitus extinctam, vt cumq; ex amore fraterno ſuſcitare tenemur, Luſitanus fuit natione, atque famoſus Dei præco, de cuius vita & ſancta conuerſatione, meminit expreſſè imprimis liber ille primitiuorum patrum, à Magiſtro vmberto ex parte compoſitus, ex parte in ordine debito diſpoſitus, de quo ſæpe mentionem fecimus ſupra. D. etiam Antoninus in ſua ſumma hiſtoriali 3. parte libr. 23. Frater Leander ab Al-

bertoBolonienſis in libro de viris illuſtribus F. Serafinus Razzius in Chronicis ord. fratrum præd. vltimo vero frat. Antonius Senēſis, ex quibus omnibus nec adhuc iuſtum compendium colligi faciliter poteſt, in gratiam deuoti lectoris. Tamē quaſi ſpicæ ſparſim relictæ ſelectiſſimo veritatis nudę grano onuſtę, æſtimari debent hæc quæ ſequuntur.

Hic ſanctus Pater D. Pelagius Luſitanus in primitiuo ordine floruit, anno circiter 1250. Atque imprimis tam in officio prædicationis exercendo, quam in confeſſionibus audiendis, peccatorum qui ad Deum per ſuas conciones conuertebantur, fideliter, vt ait Magiſter Vmbertus firmiter, humiliter & feruenter laborabat: & in omnibus ſe virum apoſtolicum, legitimúmque D. patris noſtri Dominici filium, in proximorū ſalute æterna procuranda ſemper oſtendit. Tamen in curia antiquorum patrum, vel temporum viciſſitudine, omnia quæ dici poterant ſigillatim in proximorum ediſſicationem, de illius vitæ conuerſatione, fere ſunt abolita. Hoc tantum nobis conſtat quod in regno Luſitaniæ apud vrbem Conimbrigam, in qua ſecundus eiuſdem Prouinciæ olim florentiſſimus conuentus extat, qui ab illomet fuit fundatus & in eo inſignis verbi Dei præco

diu extitit; Poſt multos vero pro animarũ ſalute emenſos labores, quos prędicando, docendo & admonendo exantlauerat coram poſitis fratribus, & orantibus, penſum naturæ ſoluit atque in Domino ibidem requieuit.

Poſt tempus aliquod cum foſſa cuiuſdam fratris defuncti propè illius ſepulturam aperiretur nebula quędam de illius tumulo egrediẽs, odorque mirabilis, omnes aſtãtes cum incredibili ſuauitate reſperſit. Habebat autẽ prædictus foſſor filiam quandam graui detentam infirmitate, ita vt de lecto ſurgere minimè valeret, ille vero filiæ ægrotantis ſolicitudinem gerens, domum reuerſus eam voto emiſſo, D. Pelagio comendauit, quæ ſtatim à lecto ſurgens ſana & incolumis, in miraculi euidentis teſtimonium, amphoram aquæ plenam de fluuio circafluentę, qui Mũda dicitur vnuſque eſt ex præcipuis Luſitaniæ, protinus aſportauit.

Cum fratres illius conuentus, in quo idem ſanctus fuerat ſepulturæ traditus, campanã vellent conficere, & defectu artificis magna pars neceſſarij cupri iam eliquato metallo defficeret, frater quidam ab oratione ſurgẽs, de terra tumuli ſancti Pelagii partem aliquam ſumens, ad locum fornacis propera-

uit in qua artifex campanam conflabat, atque illam terram mittens confidenter, in fornacem, cuprum in continenti taliter excreuit, quod campana perfectè eſt elaborata, & de ſuperfluo cupri centum viginti ſex libras ſuperfuiſſe, in libro vitæ fratrum dicto, affirmatur. Qui numerus librarum, præter id quod ex eleemoſinis fuerat emendicatum, fratres conuentus mutuô acceperant, à creditoribus, pro conflatione campanæ & ſecundum artificis iudicium, defficiebat ſaltem tertia pars cupri, nec eius penuria, ab illo deprehenſa eſt niſi quando iam materia liquefacta, in caſſum hactenus laboraſſe, propter defectum ſufficientis metalli compellebatur.

Hæc adhuc hodierna die campana cernitur, in translato, propter vicini fluminis inũdationes, & nouiter conſtructo monaſterio: quæ ex illa parte ex quà metallum cum terra ſepulchri fuit permixtum diſtinctæ materiæ eſſe atque adulterinæ ſtatim prorſus cognoſcitur. Sed tamẽ in nullo alio aut ſonitus aut deformitatis defectu comprehendi, aut iudicari poteſt, quod in compoſitionem illius operis, purum terræ elementum venerit.

Habet idem artifex, vxorẽ ſuam infirmá-

tem,& propter prædictum miraculum, fide cõcepta,deuotè calceum,qui B. Pelagii vſui ante fuerat,ſuper doloris locum illi iuſſit apponi;ſtatímque ſanata eſt.

In eadem vrbe Conimbrigenſi, cum quidam vir nobilis ex illis quos ſcutiferos tunc vocabant,acuta febri vehementer laboraret, atque colo eius fuiſſet puluis appoſitus de tumulo ſancti Pelagii,receſſit ab illo febris.

Quidam frater eiuſdem conuentus, cum vehementer febribus vreretur,proiecit ſe ſuper tumulum ſancti Pelagii, & deinceps febrim penitus non perſentiuit.

Quidam perditæ vitę & duræ ceruicis homo; cum nullo modo vellet ad cõfeſſionem accedere pœnitentialem, atque aliquando induratum animum ſuum cognoſceret: ad ſepulchrum D. Pelagii accedens affectuoſè illum rogabat ſanctum, vt ſibi impetraret à Domino oris cõfeſſionem: cum debita cordis contritione. Poſtmodum autem in tantam & tam ſubitam cordis conpunctionem deuenit, vt (eius confeſſore hoc atteſtante) præ lachrimis & ſingultibus vix potuerit peccata ſua voce proferre.

Quidam cæcus,qui ſancto Pelagio aliquãdo confeſſus fuerat peccata ſua,abſolutionis impetrandæ gratia, auditis poſt ipſius mor-

tem miraculis, quæ Deus ipſius Diui ſuffragiis operabatur, quanta potuit cum deuotione, ipſi ſe commendauit; & ſtatim viſum recepit.

Aliqui etiam obſceſſi à dæmonibus, diuerſis temporibus, eiuſdem ſancti meritis liberati ſunt: & venientes ad eius ſepulchrum, Deo & ſancto illius famulo, gratias humiles retulerunt.

Item duæ Sarracenę, apud Conimbrigam febres patiebantur vehementiſſimas; & audientes miracula quæ Deus per merita ſancti Pelagii operabatur: in fide Chriſtianorum, quam non habebant, accipientes paululum de terra ſepulchri eiuſdem Diui: ſtatim diuina miſericordia ſunt ſanatæ.

Multa alia miracula operatus eſt Deus per huius ſancti viri interceſſionem, quæ ſatis illius ſanctam vitæ conuerſationem, & merita coram Deo indicare poterant, in noſtram viuentium ædificationem, niſi vt ſupradiximus vel temporum iniuria vel patrum noſtrorum negligentia, eſſent obliuioni tradita. Et cum iam à tempore & ſæculo immemorabili huius ſancti viri memoria ſit ex parte deperdita apud viuos, tamen adhuc in eadem vrbe Conimbrigæ, non deſunt multi religioſæ pietatis Chriſtiani, qui ad illius ſe-

pulchrum;(in eminenti loco noui monaſterii, collocatum) accedentes: pro variis neceſſitatibus illius cum fiducia magna implorent & ſentiant auxilium. Sit Deus in eo benedictus. Amen.

BREVE COMPENDIVM VITÆ MIRANDÆ SANCTI LAVrentij Menendij Luſitani ord. fratr. præd.

IN conuentu Vimaranenſi prouinciæ Luſitaniæ, qui vnus eſt ex quatuor antiquioribus illius reformatiſſimæ Prouinciæ, floruit olim in primis ordinis prædicat. incrementis quidam S. Pater frater Laurentius Menendius dictus. Quando autem tempore Dioniſii Regis Luſitaniæ anno circiter cIↃ cclxxxxviii. propter eiuſdem vrbis defenſionem; monaſterium propè muros ſitum, ad locum magis remotum in ſuburbiis tranſlatum eſt & nouiter extructum, in colateralem eccleſiæ parietem, tranſlatæ etiam fuerunt huius ſancti viri reliquiæ, & ibidem intus in quodam abſtruſo conditorio firmiter colocatæ, vt fertur. Eius geſta, quæ maximè alicubi reperire cupiebam, vel propter conuentus tranſmu-

tationem,quo tempore multa neceſſariò antiqua monumenta patrum, cum veteri ſimul monaſterio deleta eſſe creduntur, vel etiam propter bellorum & peſtilentiæ diuturnam tribulationem (quæ per multos , vt diximus, annos Regnum illud inuaſit) penitùs deſiderantur.

Quia tamen antiqua eiuſdem Diui memoria apud fidelem populum pia colebatur veneratione, vt coniici poteſt ex veſtigiis illius antiqui ſæculi, quidam prior eiuſdem conuentus iam à multis annis defunctus, de quo nulla extat apud ſenes recordatio, in breui quadam chartula pergamena ſummatim aliqua poſteris dereliquit, & propria manu ſubſignauit: ex quibus clare coligitur antiqui iſtius Diui fratris Laurentii Menendii ſancta & mirabilis vitæ conuerſatio.Hæc autem quæ reliquit ſcripta & habentur in eodem Vimaranenſi conuentu,hæc ſunt.

Sanctus frater Laurentius Menendius qui in iſto quieſcit conuentu, fuit prædicator Apoſtolicus ſanctæ vitæ & doctrinæ, & in multis partibus huius Regni glorioſè prędicauit, eleemoſinis etiam acquiſitis pōtem qui dicitur de Cauez fecit edificare. Precibus ſuis & meritis coram Deo duos mortuos ſuſcitauit.

Item cum apud oppidũ de Chaues, vbi prædicabat, quadam die deambularet in agro cauſa ſtudendi & firmandi memoriam pro concionė facienda, ſocio ſuo ſeorſim à longè eum attẽdente, quidam Angelus ad eum venit per viam & in eodem loco in quo deãbulabat, illi tradidit quandam paruam arcam ligneam quam afferebat multis & variis reliquiis plenã. Et cũ illam in manus eius reponeret ſancto viro dixit. Hodie traditur in manus infidelium quædam ciuitas Chriſtianorum propter illorum peccata: & propterea tibi Deus has reliquias per me tradi iubet vt illas ad tuum conuentum reuerenter cuſtodiendas deferas. Quibus dictis Angelus in eodem loco diſparuit. Socius verò illius qui à longe proſpiciens per planum & ſpacioſum agrum iuuenem notauerat ad D. Laurentium accedentem, & cum eo loquentem; poſtquam deprehendit illum ab oculis ſuis ſublatum abſque hoc quod per aliquam viam reuerteretur; miratus rei nouitatem à D. Laurentio quæſiuit poſtea, quisnam illum conueniſſet? Accedentem enim, inquiebat ille, proſpexi: ſed minimè poſtea diſcedentem. Ad hæc B. Laurentius, Quandoquidem, ait, Deus tibi oculos dignatus eſt aperire vt diuinum illud cerneres ſpectaculum, di-

gnabitur etiam vt ego tibi occultum miſterium quod mihi cõmiſſum eſt reuelem. Scias frater quod hodie traditur in manus paganorum quædam ciuitas Chriſtianorum: & iuuenis ille quem vidiſti Angelus erat cœleſtis, qui mihi ex eâdem infortunata vrbe hãc reliquiarum capſulam, Deo ita miſericorditer nobiſcum operante, tradidit. Et deinde illi ſacrarum reliquiarum capſulam, quam ſub palio habebat oſtendit.

Hæc tantum, (in breui illa cartula quam perlegi anno circiter 1576) veſtigia geſtorũ huius venerandi patris D. Laurentii Menendii in eodem conuentu reperiuntur, atque in argumentum miraculi huius, tam magnam & numeroſam reliquiarum quantitatem habent eiuſdem cœnobii patres ex illis, vt fertur, quas D. Laurentius ab Angeli manibus acceperat: quod in omnibus totius prouinciæ conuentibus ſimul ſumptis, vix quid ęquale vel ſimile inueniatur. Extabat etiam, me puero, in eadem adhuc eccleſia, hæc hiſtoria antiquis depicta coloribus, Angelo reliquiarum capſulam ſancto Dei viro offerente, qui eas ambobus reuerenter accipiebat manibus. Hæc ciuitas quænam fuerit in eodem breui ſummario vel alibi deſcriptum non legitur; ſed tamen ex temporum circũ-

ſtantiis annorum facta ſupputatione, quamuis non euidenter & demonſtratiuè, coniecturaliter tamē & probabiliter ſuſpicari poſſumus, fuiſſe vel Antiochiam vel ſaltem Acharon quæ alias Tolemaida dicitur. Namque tēpore quo Diuus Ægidius Scallabitanus è viuis diſceſſit florebat hic beatus frater Laurentius anno nempe 1265. qui de eius conuerſatione iam ſancta aliqua reſcripſit, Magiſtro generali fratri Vmberto, vt ſtatim dicetur, & cum adhuc in ſæculo illo hominum natura magis eſſet robuſta & vſque ad perfectam ſenectutem communiter omnes deuenirent, poterat poſt mortem B. Ægidii hic Diuus Laurētius tanquam iunior multis adhuc annis ſuperuiuere. Ciuitas verò Antiochena ab infidelibus fuit expugnata, vt teſtatur Beatus Patriarcha Petrus de Palude in libro bellorum Domini & ſeruatur in hoc conuentu noſtro Pariſienſi anno Domini cIↄ cclxviii. (quamuis aliqui auctores affirment quod anno xc. hoc euenerit) & conuentus noſter quem in eadem vrbe habebamus, funditus tunc fuit euerſus & martirio coronatus cum quatuor fratribus eiuſdem monaſterii coram maius altare fideliſſimus Paſtor & conſtantiſſimus in fide Patriarcha ordinis prædicatorum Antiochenus, frater

Chriſtianus, qui mitra & habitu pontificali ſuperindutus mortem pro fide & ouibus ſuis confortandis expectauit. Vnde veriſimile eſt quod ex hac vrbe & forſan ex eodem ordinis prædicatorum cœnobio ſtatim deſolando: in aliud nouiter conſtructum, & in tuto Chriſtianiſmi loco conſtitutum, diuino dono per Angelicum miniſterium theſaurum illud ſpirituale reliquiarum fuiſſe tranſlatum.

Pons ille de quo ſupra meminimus, dictus de Cauez, adhuc in eodem rapido flumine integer & ſatis peruius cernitur, & lapideis ex altera fluminis ripa ſtipata via crucibus, non paruæ altitudinis, per cuiuſdam prærupti montis dorſum vſque ad pontis ingreſſum in parua diſtantia cõtinuantibus; quamuis ex parte exoletum iam ſit iter illud in quo hæ cruces fuerunt erectæ.

In catalago Bibliothecæ ſancti Victorii in quo vt diximus, antiquos ordinis prædicatorum patres ſanctitate corruſcos reperi, de hoc etiam Apoſtolico viro Diuo Laurentio Menendio, niſi ſit alius qui me lateat, ſub his verbis mentionem factam ſpecialem, memini. Sanctus Laurentius Hiſpanus qui pingitur lauro. Ex quibus quidem curtis verbis

clarè infertur illius ſanctitatem in primitiuo ordine,tanquam cuiuſdam eminẽtiſſimi interceſſoris apud Deum in exteras etiam nationes fuiſſe diuulgatam, atque eius imagines lauri ramo ornatas fuiſſe in vſu apud fideles. Modò verò vix in eôdem cõuentu coram illius tumulo altare erectum cernitur, in quo D. Laurentius tanquam in ſepulchro dormiens depictus cernitur: & ſupra D. Petrus Conſalui. Sic enim ſocordia noſtra friget ſanctorum deuotio & deficit etiam illorum interceſſio. In libro, qui dicitur vitæ fratrum, à Magiſtro Vmberto in lucem prodito, de eodem D. Laurentio Menendio hæc infra ſcripta ſunt intelligenda, ni fallor, quæ ex relatione D. Ægidii Luſitani idem Magiſter ordinis didicit.

Capellanus quidam Hiſpanus, refertur ibi; cum de vno oculo penitus nihil videret, fidẽ habuit quòd ſi frater Laurentius prædicator manum ſuper eius oculum poneret, ſaluaretur. Rogatus ergo frater Laurentius oculum eius tetigit & ſtatim viſum recuperauit.

Idem frater Laurentius cuidam iuueni, qui rogatus ab eo nolebat parcere cuidam inimico ſuo; dixit. Scio quod impediris à dæmone quem portas. Quo reſpondente nihil ſibi & dæmoni, vir ſanctus diſceſſit . Et ecce

intra triduum à dæmone corporaliter arreptus & miſerabiliter eſt vexatus. Veniens ergo ad fratrem Laurentium, perfectè curatus eſt. Hæc ſunt quæ ibidem referuntur.

Non autem ſcrupulum dubitatióue aliqua inde oriatur alicui vtrumne hic D. Laurentius quia Hiſpanus dicitur & non Portugallus vel Luſitanus alius ſit ab eo de quo loquimur. Namque tunc temporis quando ii Diui florebant in ordine, ex tribus Hiſpaniæ diſtinctis nationibus vna tantum ordinis prædicat. erat Prouincia communi nomine Hiſpania dicta, tam propter conuentuum paucitatem, quàm vicinorum Regum Hiſpaniæ conformitatem. Attamen poſtea conuentuũ Luſitaniæ numero adaucto & Regum fœdere diſſoluto, bellíſque inter vicina Regna ſuſcitatis, non ſolum ordinis noſtri conuentus in diuerſas ſunt diuiſi prouincias, ſed etiã ordo militaris D. Iacobi à ſummo Pontifice fuit in duos Hiſpaniæ & Luſitaniæ diuiſus Magiſtratus vt modo exiſtit, cum antea mixtim omnes Caſtellani & Luſitani ſub vno Magiſtro D. Iacobi militarent. Hæc annotauerim tam pro his quæ de B. Laurentio ſupra citantur quam etiam de D. Pelagio Conimbricenſi; & B. Damaſo Papa, quem Portugallum Vimaranenſem eſſe, ſatis conſtat,

vt nõ minus ornamenti quàm irrefragabilis veritatis teſtimonium eius in rebus mirandis quæ de hoc ſancto viro dicebantur afferri poſſet. Quia vero tam honeſtis patrum precibus támque vrgenibus (vt ille teſtatur in prologo) rationibus non potuit non annuere: tractatum quendam idem venerandus Magiſter proprio idiomate compoſitum anno 1570.*emiſit in lucẽ, in quo fideliter grauitérque abſque multis verborum floſculis, huius Beati fratris geſta narrat: religioſorum patrum religioſo deſiderio etiam religiosè ſatisfaciẽs. Fatetur etiam antequam opuſculum incipiat non leui ſe ſcrupulo coarctatum propriæque conſcientiæ ſtimulis, hiſtoriam hanc, antequam extremum diẽ clauderet ſcriptis mandaſſe, in ſuorum ædificationem fratrum; quia hoc & huic diuo ſpeciali eum proſequenti amore debebat, & rem ipſam ſolus poterat tunc temporis adimplere. Erat enim Doctor hic inſignis eiuſdem Eborenſis vrbis alumnus atque in eodem conuẽtu, in quo Beatus hic frater Petrus maius vitæ ſpacium ſanctè viuẽs tranſegerat, tunc tẽporis prima religionis rudimẽta imbiberat, neque alius illius ſeculi cõtemporaneus iã interuiuos mortales agebat qui de ſupradictis rationẽ reddere poſſet & ea in mentem hominũ cõmodius reuocare. Teſtatur etiã ille, diuina ſuper hac aſſertione Maieſtate cõteſtata ſe ſimplici & nudo ſermonis ornati ſtillo huius Beati fratris geſta tradere: & ſicuti ea oculis ſuis cognita & palpata didicit: ita ea poſteris relinquere; non illum plus laudibus efferendo vel de-*

primēdo; quā quod nuda veritas permittit. In his verò quæ ſenſibus propriis percipere minime potuit: propter alicuius temporis interpoſiti, quo abſens ab eadem fuit prouincia, teſtibus vſus eſt ſemper digniſſimis & omni exceptione maioribus; à quibus quæ non viderat quæſiuit. Quia verò mihi etiam in eodem cœnobio Eborenſi contigit diu immorari, Henrico Cardinali infanti in eiuſdem vrbis ſede reſidente, pro cōcionibus in eadem eccleſia faciendis; atque eiuſdem Beati fratris Petri adhuc veſtigia quodammodo preſſi ſiue deprehendi, & loca in quibus à cacodemone perſequebatur: tumulum etiam in quo quieſcit diligenter obſeruaui & alia: ideo hanc illius deuotam hiſtoriam verbum verbo reddendo traducere atq; fratribus omnibus noſtri inſtituti communem facere in Dei laudem & ſeruorum ſuorū religioſum exēplum curaui. Hoc vt boni conſulat & in propriæ vtilitatis augmentum pius lector conuertat, tenetur enim, humiliter exoro.

DE SANCTA CONVER-SATIONE BEATI FRATRIS, PETRI Eborenſis Luſitani ordinis fratr. præd. ex idiomate Portugallo traducta fideliter, aliquibus etiam nouiter additis.

CAP. I.

REGNANTE in Luſitaniæ Prouinciis ſereniſſimo Alfonſo, huius nominis quinto ꝗ cognomine eſt Africanꝰ dictus, anno circiter gratiæ cIↄ cccclxx. natus eſſe perhibetur hic beatus frater, Petrus Eborenſis. Beatum verò illum dico nõ quia ex autoritate Apoſtolicæ ſedis ſit iam ſanctorũ numero relatus, ſed quia vſus obtinuit, vt viros de quorũ ſanctitate, miris virtutibus, miraculorúmque gratia, nobis per multa teſtimonia indiciáque euidentia, ſatis conſtat; beatorum ſiue Diuorum nomine piè atque religioſè, & verbis & ſcriptis cultúque priuato veneremur. Eius patria in territorio vrbis Auiarenſis cõtinetur, parentes verò obſcuri nominis humilíſque fortunæ extitêre. Poſtquam autem

ad ætatem peruenit, ad labores tolerandos idoneam, vt vitæ inopi victum quærendo conſuleret, nauticam exercendam in vaſto Oceano, elegit artem. Eſt enim Auiarenſis vrbs, propter maris ſinum propè illam ſtagnantem, nauigantium negotiationi accõmodata. Hîc igitur ille, nauigerum peritum cui ſe manciparet, poſtquàm conuenit remigum ſiue nautarum abiectæ aſſociatus turbæ infimum inter omnes locum, tanquam tirũculus tenere incœpit, atque ſolum naucleri dictis, in rudiori nauis obſequio, parêre. quãuis autem huiuſmodi negociationis maritimæ, vulgus ignobile, illorum ſaltem qui nauigio inſeruire tantum ſolent, vario vitiorum genere & praua conſuetudine infectum reperiatur; non tamen in hoc, hîc tirunculus nauita Petrus, communem viam ingreſſus eſt. Poſthæc inſtante quadam diuturna & lõginqua nauigatione, quam ipſe ſimul cum reliquis ſuæ ſocietatis nautis, facere tenebatur; voluit priùs(diuino, hoc ei ſuggerente ſpiritu à quo omne bonũ procedit) ad ſacramẽtum pœnitentiæ accedere & deinde viatico corporis Chriſti à ſacerdotis manibus ſumpto, ſe præmunire. Sunt enim hæc duo ſacramenta efficaciſſimum vitæ munimen, non ſo-

lum ad noxam animæ depellendam: ſed & multotiens ad euitandum temporalia aliqua imminentia flagella præſentaneum remedium. Ad cœnobium igitur Dominicanę familiæ, in eadem vrbe florentiſſimum, quod ſub inuocatione Dominæ noſtræ de miſericordia eſt ædificatum: voti adimplendi cauſa ſe contulit. Et cum ſacerdotem exquireret, qui illius arcanam audiret confeſſionem, religioſus quidam pater frater Antonius nomine, perſpicuæ ſanctitatis vir, ad hoc munus obeundum illi fuit deſignatus. Inſpexit autem religioſus pater in iuuene Petro poſtquam confiteri crimina ſua incœperat quãdam non vulgarem animi bonam indolem, atque proinde bene de illo ominatus ad iugum domini ſub religionis obſeruantia portandum magis aptum idoneúmque iudicauit, quàm vt periculis multis mobiliſſimi freti egeſtate compulſus, laborioſam nauticam exerceret. Hanc internam cogitationem pater ille venerandus Petro iuueni in eadem confeſſionis proceſſu, aperuit, perſuadere illi cupiens rationibus, vt mũdo poſt terga relicto, tantíſq; cum eo periculis & incommodis dimiſsis: & ſecurius & vtilius Deo ſoli inſeruiẽs, ſacrum religionis habitũ vellet

ſumere: At ille cum nihil minus cogitaret, quam de portu adeo tranquillo ſibi inueniẽdo, antequam vela ventis laxans vaſtam nauigationem ingrederetur: facilimo negocio mox ſibi perſuaſus: tanti ſacerdotis acquieuit conſilio, dicens. Ego quidem, quantum ad me attinet, libentiſſimè, promptóque animo, ſumpto habitu cœnobiali huic ſacro conuenti inſeruirem, ſi domus huius miſericordiæ, & patres miſericordis Dei genitricis cultores, miſericordiam hanc huic miſero dignarentur preſtare. Non diſtulit pater ille religioſus lucrandæ huius animæ occaſionẽ, & poſt ſacrum illud exomologeſim peractũ, Priorem eiuſdem conuentus adiens honeſti iuuenis cauſam, tãquam fidelis & propicius aduocatus, coram patribus propoſuit, atque egit vt ad habitum & communem viuendi modum reciperetur. Quia verò conſtitit à principio illum litterarum etiam rudimenta ignorare, nec proinde habitum quo indui ſolent futuri ſacerdotes & predicatores, illi ſecundum ſtatuta noſtra cõuenire, ad illorum gradum & conſortium, qui fratres conuerſi nominantur, de conſenſu Prioris & patrum conuentus fuit admiſſus. In primo verò illo nouitiatus ſiue probationis anno, poſtquam habitum induit, in multis, de more, humilita-

tis officiis probatus, talia vere humilitatis & obedientiæ, indicia præbuit, vt virtutum multarum exemplar, diuinitus effectus, videretur. Vnde vnanimi omnium patrũ conſenſu atque ſuffragiis poſt decurſum catacheſis annum, ad profeſſionem regularis obedientiæ, libentiſſime admiſſus fuerit.

CAP. II.

De ieiunio & oratione eius.

IGitur vniuerſæ legis monaſtici inſtituti, per emiſſum in profeſſione, votum, debitor iam factus, vocationis ſuæ non oblitus, in virtute ſanctíſque religionis ſacræ obſeruantiis inſtantiſſimè progredi conabatur; atque propoſiti ſui fundamentum firmum eſſe intelligens ante omnia frugalitatem ſeruare & abſtinentiam: ſtricte hæc amplexari currauit, Sic enim & Apoſtolicus pater ordinis noſtri lucifer, ſanctus Vincẽtius Ferrarienſis in tractatu de vita ſpũali affirmat. Niſi enim ait ille imprimis contra gulam victoriam habueris, in vanum laboras in acquiſitione aliarũ virtutum. Notent hoc religioſi aliqui, qui potius animalia ventris dici poſſent. Ex tunc ergo ieiunii priùs à ſacris noſtris legibus inducti, vigilans erat obſeruator, nec tantũ illo contentus, (cum tamen multis ex fratribus,

delicioſis ſatis prolixum & difficile videatur) fere toto anno, continuè illud ſeruabat, exceptis Dominicis diebus,& feſto natiuitatis Redemptoris noſtri. A carnium eſu & vino vt D. Patris ſui Dominici veſtigia non amitteret, ſemper in tota vita ſua abſtinuit. Nunquam in proprio cubare lecto viſus eſt, niſi vltimo peregrinationis ſuæ tempore, in quo etiam nonniſi quàm pauciſſimis diebus,ex obedientia ſuorum ſuperiorum conſtrictus. Tunc enim quando illum ex præcepto obtemperare opportebat, ad propriũ cubiculum ſe recipiens, ita vt de die conſueuerat ambulare ſupra, ſtratum veſtitus quieſcebat,dequo poſtea latius agemus. Tempus diurnum in illis quæ per obedientiam ſibi erant commiſſa religioſè traducebat noctu num verò,carnis macerationi & orationi aſſiduæ vacans, nudis genibus in terra defixis, indeſinenter dedicabat. Si verò ſomnus obrepens illum aliquando nimium grauabat, vt ſe pauliſper reclinaret brachiis ſcipionis loco, in terram ſemi curuatis, atque vultu ſupra manus demiſſo, ſomnum potius deludens quàm admittens, póſtq; aliquantulum dormitabat ad orationis aſilum, feſtinus toto animi conatu reuertebatur. Delegerat verò ſibi in ſpecialem locum ad orandum

pro tempore illo intēpeſtiuo, ſacellū quoddam eiuſdem eccleſiæ cœnobialis, in quo tumulo recōditus iacet inſignis ille & immortali laude dignus Albaquerquis, qui primitus ducis ſtrenuiſſimi munere fungens, magnam illam Prouinciam Canariam dictam ſubiugauit, atque heroum antiquorum numero meritiſsimo referri poteſt. In hoc ſancto orationis loco, cùm primum Deo inſeruire exorſus eſt, ſanctus frater hic Petrus cōuerſus diutiſsimè carnis repugnantiam, dæmonum illuſiones, atque multa alia aduerſantia paſſus eſſe legitur, quibus tamen omnibus magno labore ſuperatis, ſpiritui carnem ſeruire cogebat. Sæpe dæmonum cateruæ illum impetentes: vana irritáque omnia illa exercitia in quibus ſanctitatis pretextu occupabatur, atque in fructifera eſſe dicebant; atque illum à Deo reprobationis calculo præſcitum & de damnatorum numero, eſſe affirmabant. Quibus humilis & conſtans Dei ſeruus nihil aliud reſpondebat niſi hoc aliud certè dignabitur Deus, vt ſpero meus, qui pro me mortuus eſt.

CAP. III.

De charitate eius in ianua, erga pauperes.

POſtquam autem illius virtus iam in ore omnium verſabatur, conuentus ſui Præfectus munus ianitoris laborioſum ſatis atq; nimis patientem cordatúmq; exigens virum, ex obediẽtia illi commiſit vel potius vt onus impoſuit. Cum quia de illius morum honeſtate & prudentia iam ſatis conſtabat, tum propter ſingularem charitatem, quam erga pauperes mendicos pręſeferebat. Cupiebat enim vt Chriſti alumni ad conuentus pauperis & mendicantis: ianuam confugientes, ex eleemoſinis, fratribus erogatis, portione etiã ſibi impartita iuſta ſancti viri, fratris Petri diſtributione fruerentur. Hoc vtique charitatis officium eleemoſinas diſtribuendi, agebat ille tanta animi affectus dulcedine, atque vultus hilaritate; vt in vnoquoque paupere perſonaliter, Chriſtum Redemptorem noſtrum, de compoſito & ſciẽs excipere & fouere videretur. Hinc nomen eius, glorioſiſſimo cognomine ex vſu iam omnium ornatũ, ſeruus vel pater pauperum dicebatur, vt erat. In huius rei argumentũ non ineuidens, quędam religioſa atque illuſtris Domina, D. Catherina

therina nuncupata, præ foribus eiuſdem cõuentus in ianuæ veſtibulo, prædictum fratrẽ Petrum Eborenſem depingi curauit, qui inter innumeros poſitus pauperes, & mẽdicos, panis & obſonii eleemoſinas diuidẽs inter eos ſui ſanctiſſimi exercitii dum in viuis ageret inſpectatoribus curioſis vel deuotis ſpecimen præbet.

CAP. IIII.

De Mutatione eius ad conuentum Eborenſem.

OCTO plus minus anni, iam erãt trãſacti in quibus ianitoris & œconomi pauperum, religioſum onus ſubierat D. hic frater; quando efferueſcente ſæuo dæmonum furore, hoſtis antiquus illum in ſupra memorata capella orationi inſiſtentem fuit aggreſſus. Nec ſemel tantum aut bis territamentis, iniuriis & flagellis etiam affectũ: quadam nocte maiori Dei permiſſione effrenatus dæmon quidam ſanctum religioſum Petrum orantem, crudeliſſimè hora proxima gallicinio percuſſit, atque ſolo priùs deiectum deinde dextrorſum & ſiniſtrorum raptatum, in marmoreum ſepulchrum ſupradicti Albaquercii, magna vi allidendum impegit. Cum verò in galli cantu ad matutina-

le officium peragendum fratres in eccleſiam conueniſſent, inſolitas lamentantis voces gemitúſque flebiles illius audierunt. Accurrunt omnes eò properantes quo lamenti vox audiebatur: & ſacellum illud ingredientes, ſanctum fratrem Petrum conuerſum, ſolo diſtentum offendunt; vultu toto & auribus ſanguine reſperſis & dilaniatis. Comprehenſo igitur, oculis potius quam auribus, rei euentu Vicarius generalis, qui tunc temporis erat congregationis ſanctæ obſeruantiæ in Luſitania, in alium conuentum aſsignandum atque mittendum cogitauit, quô dæmonum inſultus illos atrociſsimos, ſi fieri poſſet, effugeret. Erat autem, tunc Prior conuentus Eborenſis, vir quidam religione præſtans, Frater Petrus Diaz, ad quem Vicarius generalis litteris directis, hunc Dei famulũ in eandem Eborenſem ciuitatem ad conuentum ordinis ire iuſſit: quò perueniens ab eodem conuentus Præfecto fuit humaniter atque reuerenter exceptus. Mirum tamen erat quando ille à cœnobio Auiarenſi diſceſſit, pauperum turbas ad monaſterii valuas turmatim concurrentes cernere mœſtis vultibus madidiſque oculis, inuicem ſe lamentantes & conquerentes, eo quod illos hic pauperum ſeruus fidelis relinqueret: atque in

aliud monaſterium diſcederet.

CAP. V.

Qualiter officium ianitoris Eburæ exequebatur.

TRanſmutato igitur religioſo fratre in Eborẽſe cœnobiũ,à Priore non longo poſt tempore in portæ cuſtodẽ ſimiliter fuit ſuffectus; ſicut antea in Auiarenſi ſolitus erat oppido,ordini famulari. Cenſuit enim religioſus Præfectus, ſi hoc illi munus iniungeret:plurimum ſe & domus honeſtati,religioſæque obſeruantiæ commodi allaturum; atque Chriſti mendicos iuxta conuentus diſpoſitionem bene prouiſos per ſancti fratris Petri miniſterium, nutritóſque fore. Erat enim per totam prouinciam huius ſancti viri fama,de patientia,religionis obſeruantia,déque charitate erga egenos, vbiq; adeò diuulgata; vt multorum relatu Prior Eborẽſis cognouerat,imo potius certiſſimè ſibi perſuaſerit, nulli alteri pauperum curam, portæque cuſtodiam poſſe ita ſecurè & cum tuta conſcientia delegare. In hoc humilitatis & charitatis officio collocatus, quod & ad vitæ vſque finem adimpleuit,cum tanta ſe ſemper

prudentia & patientia exibuit vt nihil ſupra. Erga iratos ſe patientiſſimum oſtendebat, erga modeſtos facilem, erga immoderatos integerrimũ, erga ſupereminẽtes in his quæ ſui erant muneris integerrimum; & demum Deo in omnibus deinde religioni fideliſſimũ ſe diſpenſatorem comprobabat. Pẽdet enim (vbi obſeruantia clauſuræ regularis viget) non pars modica totius boni, à prudentia, religionis zelo & honeſto exemplo, fidelíq; Ianitoris diſpenſatione. Si aliqui honeſti viri in conuentum ingredi aliquando volebant, facilimè ſanctus Dei famulus illos admittebat. Si verò fœminæ aliquæ cauſa conueniẽdi pro negociis aliquem ex fratribus, ad portam appropinquabant; niſi talis eſſent honeſtatis & claræ famæ, vt ipſe nihil ſiniſtrum de illis timere poſſet: ſtatim infecto colloquio & interdicta cõfabulatione à foribus cõuentus eas arcebat, nonnullis aliquando aſperrimis etiam verbis reprehenſas vt religioſos in pace & trãquillitate animi viuere & Deo inſeruire permitterent admonendo. In huiuſmodi verò perſonis ad colloquium fratrum admittendis vel reiiciendis, videbatur à Deo ſpiritum diſcretionis gratis datũ habere. Ad intercognoſcendum enim accedentium bonam vel malã intentionem, imprimis ętatem

verba & fœminę geſtum diligenter obſeruabat:atque ex his coniiciens quid magis expediens eſſet in Dei laudem,& quomodo ſe gerere deberet: aut blandis & humanis verbis gratioſè eas expectare rogabat, quouſq; patrẽ, quẽ quærebãt vocaret,vel etiam verbis aſperrimæ reprehenſionis adhibitis negato & impedito illo colloquio,dimittebat,atque in domum abire iubebat. Talis ex hac religioſa eius conſuetudine,in tota vrbe orta exinde eſt de illo opinio, quod nulla fœmina; cuiuſcúmque eſſet qualitatis, ad Ianuam cõuẽtus colloquutionis gratia venire audebat, niſi modeſtis veſtibus ornata;atque etiã conſanguinitatis vinculo eſſet coniuncta, religioſo illi cum quo ſermonem habere volebat. Narrat Reſendius noſter in hac hiſtoria de ſeipſo,quod cũ adhuc puerulus eſſet, iam tamen intra conuentus clauſuram degens, matrem ſuam ad ianuam aliquando accedentem vt dilectũ filium videret, ibidem ipſe alloquebatur. Ille verò beatus frater obtenta priùs à Priore domus licentia ad puerum accedens cum mater aderat, hilari vultu & religioſa lætitia perfuſus hæc verba illi dicebat; frater Andreole (diminutiua vocula illum ex affectu compellans)Mater mea me vocat? vt vadam ad conueniẽdam illam,

Adcò enim loco & tempori ſe prudenter accommodare nouerat; vt niſi timorata alicuius futuri periculi,conſcientia illum deterreret, facilem ſe omnibus præbebat ipſe, atque obſequium omne ſuúmque miniſterium,hilariter & lætanter abſque alicuius graamine adimplebat.

De hilaritate in ſeruitio, & patientia in opprobriis.

CAP. VI.

SIcut Dauidicum ſuadet canticum, vt Domino nempe in lętitia ſeruiamus,ita ſemper hic eius famulus vultum hilarem ex animi puri puro gaudio in omni obſequio exhibendo præſtabat.Ea enim anima quæ magno peccatorum pondere ex grauida orto conſcientia, deprimitur;nō poteſt non (omni vera exultatione procul depulſa) multoties Cimeriis mæroris tenebris inuoluta ingemiſcere, atque exterius in corpore tardo, in vultu demiſſo, indicia interni doloris emittere atque foras elimi nare. Hic autem beatus frater Petrus; quaſi ſplendido iugíque conuiuio refectus, internam ſpiritus lætitiam, ſeruata tamen debita modeſtia, atque prudentiæ freno ſibi im-

poſito; in exteriori ſemper homine feſtiuus & iocundus omnibus apparebat. Contigit nonnunquam, aliquos religioſos vel de induſtria, tentandi cauſa, vel etiam aliquid humanum paſſos minúſque inſtituto ſuo conforme, ſanctum fratrem Petrum verbis laceſcere opprobrioſis eo quod integerrimũ legum ſibi impoſitarũ ſiue à Deo, ſiue à prælatis ſuis, atque fideliſſimum obſeruatorem in officio ſibi commiſſo exequẽdo videbant. Atque proinde alij brutum animal, alij inflexibilem & quaſi rationis expertem intractabilémque vocitabant. His omnibus iniuriis ab illo patienter imò & hilariter auditis, quaſi nihil horum ad ſe pertineret quæ dicebantur, nihil aliud reſpondebat niſi ad tritũ ſuum recurrens adagium. O miſerum me inquiebat. Diſpereant peccata mea. Si vero adhuc atram bilem ſtomachúmve egerere non finiebant illi quorum occaſione ſe de peccatis ſuis conquerebat, atque iracundia vlterius progrediente ſe offenſos eſſe ſignificabant, ad pedes illorum pronus proſtratus (ſecundum leges nouitiis iniunctas) veniam ab illis humiliter de ſcandalo non ſuo petebat, dicens. Hoc ſit propter ſanctam charitatem. Quaſi etiam & in hoc

de opprobriis tanquam de aliquo ſibi illato beneficio gratias referret. Quo humilitatis & pacientiæ raro exemplo, nullus erat adeo inurbanus, nullus ita ferox, indomitíque cordis, qui non emollitus iram deponeret.

CAP. VII.

De patientia eius & lætitia in iniuſta punitione.

CVM in eodem cœnobio Eborēſi frater quidam, Petrus Ferrarius dictus Prioris munus ageret, atque de foris rediēs in domum ad portam campanula pulſata expectaret, portarius D. Petrus ſolicitus per conuentum diſcurrens Supriorem, pro quodam negocio expediendo quærebat. Atque impatiens moræ Prior qui ter iam campanā pulſauerat, dimiſſa ianua ſeruitii fratrū eccleſiam ingreſſus per ſacriſtiam cōuentum intrauit. Suppreſſa verò pro tunc animi paſſione, ſequenti die cum de more capitulum fratrū fieret, in quo de leuioribus culpis publicè confeſſis à Prælato pro illis correctio quædam punitiua adhibetur, prout vnius cuiúſq; maior vel minor legum præſcriptarum violatio exigit; Prior cōuentus ad quem huiuſmodi delinquentes corrigere ſpectat B.

fratrem Petrum ad ſe iuſſit accedere. Et poſtquam illum aſperrimis reprehendit verbis, propter heſterni diei moram in ianua aperienda, præcepit illi vt ad diſciplinam virgis infligendam nudo humero, vt ſolet fieri, ſe prępararet. Libentiſſimè hic Dei famulus Priori obediuit confeſtim, atque demiſſo habitu ex vtráque humerorum parte ambos illos, ſicut grauiter delinquentes faciunt, diſciplinis plurimis diutiſſimè aſſuefactos, immeritæ correctioni preſentauit. Flagris illum tunc Prior cedere per aliquam morulam nõ ceſſauit, expectans vt petita venia humili voce, culpam ſuam (vt moris eſt) ſanctus frater fateretur. Tunc enim quando à prælato propter commiſſum defectum, aliquis vapulat religioſus, ſi inter flagella peccaui tantum dicat, non vltra punitio illa procedit. Si verò tacet tanquam inpœnitens & durus corde acriùs à prælato ſolet puniri. At B. frater Petrus nihil horum veritus nec attendens, & diſciplinam patienter ſubſtinẽs & patientiam cordíſque humilitatem non amittens, tacitus reduplicata flagella excipiebat. Quinimo & ſubmiſſa voce Priorem præcabatur vt durius illum percuteret. Non eius ſincerã mentem in culpa ſua ſilenda & diſciplinæ petenda aduertit prior; imo potius non hoc ab

alia cauſa niſi ab impœnitenti corde & obſtinato animo proficiſci iudicabat. Propterea verbera redintegrans, ictus frequentãs, acriùs ad ſanguinis vſque effuſionem illum flagellabat. Accurrit tunc quidam venerandus doctor frater Ioannes de Auiario dictus, qui propinquior priori ſedebat, & extendens benedictum ſcapulare ſuper B. fratris Petri dorſum nudatum, prout ſolet ex charitatiua compaſſione aliquando fieri, priorem humiliter exorauit vt ſatis iudicaret punitum pro culpæ illius reatu, atque patiẽti religioſo Petro ſuaſit, vt ſuã cognoſcens culpã, diceret peccaui. Tunc ille totus modeſta hilaritate perfuſus ſic reſpondit. Peccaui, verũ hoc eſt ideoque addantur flagella, percute plus me, Percute oro. Ex ſuis verbis, tam ipſe ante indignabundus prior, quam conuentus totus religioſorum aſſiſtentium ſponte erumpentibus præ deuotione lachrimis, clarè intellexerunt quod beatus hic religioſus frater Petrus, non ex aliqua cordis impatientia, aut animi obſtinatione tenus tunc culpam confiteri diſtuliſſet, neque ideo iratus vt verbera duplicarentur petiiſſet, ſed præ amore pœnitentiæ & tribulationum deſiderio, quo & ſupplicia maioreſque pro Christo pati pœnas cupiebat. Atque proinde his eius, pa-

tientiæ & ſanctæ ſimplicitatis plenis, fratres omnes qui aſtabant in hũc deuotionis ſubitum effectum interiùs incidẽtes; valde mirati ſunt. Ille verò, ſurgens & ad locum ſuum læta fronte, animóque dulcedine ſpirituali recreato, receſſit.

CAPVT VIII.

De mortificatione & abſtinentia eius in cibo & potu.

QVantæ abſtinentiæ hic beatus frater Petrus ſemper fuerit iam ſupra ex parte perſtrinximus, & quonam modo ab æſu carnium ſemper abſtinuerit, ſed adhuc vnum verbum in huius virtutis exemplũ lubet ſuperaddere, quod non ſine aliqua Dei offenſa omitti cogitarem. In ſolemnitate Paſchali ſanctiſſimę Reſurrectionis Chriſti, cum fratres omnes prandium ſumentes ad menſam refectorii ſederent, Prior qui tunc conuentus moderator erat Magiſter quidam frater Emanuel Statius, ex portione vel ex munuſculo ſibi oblato, ad Beatum fratrem Petrum partẽ perdicis per ſeruitorem miſit. Ille vero nudo capite & reuerentiæ gratitudiniſq; cauſa humiliter etiam demiſo, poſtquã munuſculum

acceptauit, columbina ſimplicitate fretus, ad Priorem hoc nuntium remiſit; quod ſi ex obedientia illi perdicem illam vt comederet, iniungebat paratus erat obedire. Attamen hoc prȩſuppoſito ſuam reuerentiam ſupplici-ter precabatur, ne occaſionem ipſius gulæ præberet qua irritata carnium vſum nouiter appeteret, quod ſibi indulgere in poſterum difficillimum iudicabat, ſatis enim & ſplendide, herbis illis quas in menſa habebat reficere ſe poſſe dicebat. Placuit religioſo Patri religioſi fratris Petri excuſatio & prudẽs poſtulatio, atque ſemiperdicem illam ab eius conſpectu ſeruitori præcepit vt tolleret. Non deffuerũt in menſa qui optima de cauſa ſuſpicarentur Priorem magis tentãdi gratia, quam bene faciendi animo, erga religioſum fratrem impiè affectũ, hoc illi munuſculum miſiſſe ſed tamen, ſi talẽ forte eſſe contigit: mentita eſt iniquitas ſibi, & famulus Dei Petrus prudentiſſima reſponſione ſui Prælati bonæ vel malæ intẽtioni, religioſè obuiauit. Veſcebatur carnibus iam tunc temporis in Eborenſi conuentu ter in hebdomada, quadrageſimæ & aduentus ieiuniis exceptis, ex Apoſtolico indultu, propter piſcium defectum & oræ maritimæ diſtantiam. Tamen etiam diſpẽſatis diebus Beatus hic religioſus

à carnibus abſtinebat. Nunc enim oleribus, cauliculis & vrticis; nũc aliis domeſticis herbis in aqua decoctis & tantum olei pauxillo linitis: ſe reficiebat. Si fortè piſculenta aliqua portio illi obueniebat in menſa aliquando illam prælibabat, aliquando & comedebat totam, nunquam tamen ſollicitè ſimile aliquid procurare viſus eſt. In aliis verò hebdomadę diebus in quibus fratres piſcibus veſcebãtur, quæ oppoſita erant, cum gratiarum actione demptis feriis ſextis ſumebat; in quibus etiã à piſcibus abſtinebat. Quoniam verò in illis diebus potiones pro conuentu magis lautè parabantur, quam ipſe haberet in vſu, aquam intra ſcutellam vbi pulmenta delicatiora vel aliquid ſimile erat impoſitum, infundebat, qua ſapor delicatus penitus efflueret & dilueretur. Si verò quiſpiã illi proximus, quare aquam in ius infunderet interrogabat, reſpõdebat quod cauſa refrigerandi cibum. Aliquando verò & alias immixtiones in eodem pulmento faciebat, quæ magis ad nauſeam quàm ad delicias pertinere videbantur, hac tamen conſedentibus ſatisfaciens ratione. Si hæc omnia, dicebat ille ſubridens, in ſtomacho admiſceri debent ſtatim, quodnam erit in cõueniens, ſi paululum ante mixta, ex vna ſcutella ſimul ſumantur: Attamen

ſancta mortificationis intentio in huiuſmodi mixturis ſatis clara apparebat, quamuis religioſus frater illã hoc prætextu occultare niteretur. Si vero vel propter hanc inurbanã conſuetudinem, ad nauſeam colaterales fratres moti & indignabundi illum aliquando iniuriis afficerent vel alibi ob quamcunque cauſam obiurgarent, tanquam pro ioco opprobria ſibi dicta reputans, hoc tantum ſimplex reſponſum ſecum ipſe loquẽs omnibus dabat. Eya ergo lætare tu in his rebus.

CAPVT IX

De pœnitentiis ordinis lætanter expletis & vini abſtinentia ſeruata.

Mos eſt apud cœnobitas, ſi religionis obſeruãtia viget, pro leuibus etiam culpis, delinquentibus ieiunium, ſolius panis & aquæ refectione ſumpta, à prælatis vno vel pluribus diebus indici & ita à cibis abſtinẽtes delinquentes in refectorio corã patribus admẽſam ſedentibus, ipſi ſoli inſolo comedunt. Si vero prælato placet, ipſis ſuam per ſeruitorem confitentibus culpam condonat, cum illiſque aliquando diſpenſat, ſinminus ibidẽ vſque ad finem menſæ pœnitentiam &

abſtinentiam præſcriptam patiũtur. Si quando igitur, hic religioſus frater Petrus non ita ſedulo munus ſuum obibat vt prælati exigebat voluntas, vel in aliquo alio defectu erat deprehenſus, atque ſupradicta mulctabatur pœna, nihil illi erat illa die iucundius gratiúſve. Et quoniam vt ſupra diximus ab ingreſſu ſuo in ſacram religionem à vino ſemper abſtinuerat, oppoſita illi à priore pœnitentia iniungebatur, vt contra vſum vinum biberet in prandio. Nec iudicãdum eſt iſtam leuem illi fuiſſe mulctam non ſolum propter ſui ſancti propoſiti mortificationẽ, ſed quia etiam, inaſſueta naturæ ſaltem non nimis delectant. Non diſſimilis omnino pœna vt in ſacris canonibus habetur, pro culpis antiquitus iniungebatur ſacerdotibus: cum à cõmunione ſacri corporis Chriſti priuabantur, cum tamen modo, ſit aliquando neceſſe vt cum pœnę cõminatione, ad illud cœleſte conuiuium accedant quod toto ſemper corde appetere ſatius eſſet. Vir igitur ſanctus hãc ægre ferens vini potationem, ad Prælatum (culpam ſuam cõfitẽs) pro diſpenſatione obtinenda recurrebat: qua obtenta aquam reſumebat vt antea, minori forſan ſtomachi ſui repugnantia.

CAP. X.

De veſtitu illius & paupertate voluntaria.

HABITVM nouum geſtare nunquam omnino acquieuit aut ſibi perſuaſit, nec iam Prælati ſuper hac re illi vim facere volebāt, ſed tantum cum iam pannoſus totus non niſi offenſis aliquorum oculis incedere conſpiceretur, de aliqua vili veſte iam vſitata & pro magna temporis intercapedine ab alio vſu conſumpta & attrita religioſo, illi prælati prouidebant. In hieme verò propter frigoris inclementiam, quandam ſatis villem, nimis tamen lanoſam veſtē portabat ex illis quæ ex Hibernia ad Luſitaniam deuehūtur, quibus ſæpè in mari nautæ vtūtur ſago ſimiles, cum qua frigoris intemperiem poſſet arcere. Hæc tamen veſtis non ſolum exterioris tunicæ diurno tempore, ſed & nocturno lectuli ſtragulæ & linteaminum officium & vicem ſupplebat. Tunica interior qua ad carnē vtebatur, ſtrictè regularis obſeruantiæ vſu ſeruato; lanea erat & ex groſſa materia, atq; ſuper illam ex anteriori pectoris & ſtomachi parte laneum etiam portabat puluinar. Cum autem propter hanc incompoſitæ veſtis, & lanei ſuperinduti, ſacci ſarcinam, à religioſis

gioſis aliquando illuſus eſſet, atque ab illis brutũ animal clitella ſuper onuſtũ, ſiue clitellatus frater vocaretur, nullum aliud reſponſum dare ſolebat niſi lætanter verba excipiens, hoc commune ſuum repetebat ſecũ quaſi loquẽdo adagium. O miſerũ me diſpereant peccata mea. Eya, nunc lætare tu in hac re.

CAP. XI.

De perſpicacia ingenij eius & naturali habilitate.

NEque propterea quia propoſitum mutabat & quaſi dans ſine mente ſæpe ſonũ, ſubter fugiens quæſtiones ad rem nõ reſpondebat, ideo alicui videatur hunc ſanctum Dei virum ex fatuitate & natiua ignorantia hoc facere conſuetum, & non potius ex ſimplicitate Euangelica. Non enim ſanctus hic frater obtuſam rudẽmue aut ſtupidam habebat mentem: quinimo in rebus humanis, in quibus, vel agendis vel conſultandis vel diſponẽdis humana requiritur induſtria; facilimum & ſatis preſens exibebat ingenium. Nec nimis debile huius rei eſt argumentum, quod circa nauticam artem quæ virum requirit exigitq; ſatis promptũ & habilem cum tantum tirunculus primùm extiterit, rationem

de multis dubiis acutè reddebat;atq; graduũ altitudinẽ, ventorũ diſcrimẽ aliaque huiuſmodi mediocriter nouerat. Teſtificatur autẽ huius hiſtoriæ autor Reſendius, quod ſe puero cum in quadam dominica die, poſt matutinale ſeruitium peractum cum nouitii in eccleſia remanerent propter ſacram communionem eadem die futurã vt ſe à peccatis per confeſſionem ante expiarent , ipſe nouitius ſanctum fratrem Petrum vidit columnæ cuidam clauſtri innixum oculis ſurſum in ſerenum ſtelliferúmq;cœlum defixis; cúmque ad illum accederet tanquam familiariter ab eo dilectus eum curioſè interogauit,quid nam ſuſpiceret oculis immoté eleuatis. Cui ille reſpondit. Iam à multis diebus ſtellam poli Arctici conſidero atque eius rurſũ menſuro per cacumẽ illius quem vides cupreſſi; atque falſum eſſe experior quod multi nautę dicunt hãc ſtellam nẽpe poli Arctici eſſe omnino immobilem. Namque oppoſitum his diebus notaui.Et ſi bene percipis ecce modo ad dexterã ſummitatis illi⁹ cupreſſi apparet; heri autem ad ſiniſtram priùs fuit poſtmodum, rami eiuſdem cuppreſſi illã ocultarunt omnino.Vides ne vbi modo apparet?Craſtina luce(ſi placuerit) illã per cupreſſi verticẽ lucere videbis. Vnde iã experiẽtia cognoſco

quod illa circũfertur & motu circulari voluitur in tanta localis motus diſtantia quantum, ſecũdum meam pepſpectiuã rota currus poteſt occupare. Hinc infero quamuis ſtella polaris vocitetur non tamen in illo eſt poſita (hic nãque Polus eſt fixus atque immobilis) ſed tamen reſpectu aliarum eſt magis polo propinqua; & propterea Arctica appellatur. Hic diſcurſus ſanè nõ hominẽ rudi ingenij, ſimplicémue arguit & ignorantem, à natura. Videbatur autem in verbis oppoſitum aliquãdo, quia ſimplicitas acquiſita per gratiã diuinam, ex parte nos ad vitam ducit æternã, quem ille tanta cura didiſcerat: quanta ſæpe multi dediſcunt.

CAP. XII.

De vigiliis & nocturna quadam viſione eius.

NOcturno tẽpore per clauſtrũ (in quo & fratrum ſepulturæ & loci commoditas ſolitarios ſpiritus recreat) horas nõ paucas ſolitariè deambulando conſumere conſuetus erat: ſi vero motus laſſitudo eum nimis vexabat: vel ad chorum confugiebat, in quo ſuam etiam humilem ſeruabat ſtationem & locum vel etiã ad capituli locum; vbi nudis in terrã gẽbus orabat quouſque requiem aliquam ca-

peſcendi, euidens ratio ipſa illum perſuadebat. Tunc enim corporali neceſſitati aliquid occii & ſomni indulgebat, quouſque in galli cantu, ad ſeruitium matutinale implendum cāpana pulſabatur, ad quod ille etiā diligēter ſurgens cōfluebat. Nec tamē his temporibus dæmones illum variis impetere territamētis atque illuſionibus ceſſabant, in varias horibiléſque ſpecies tranſmutati. Quadam nocte cum intra chorum poſitus corā maius altare, in quo diuinum Chriſti corpus reconditum ſeruatur, in oratione perſiſteret, ecce ex vna trabe lignea carū quæ in ſuperiori loco tecti, eccleſiæ parietum colateraliū ſuſtentāt cōnexionem, quidam gallus ſono horribili; ſeu potius ſtētoreo clamore cœpit canere. Non latuit Dei famulum rugientis leonis è mētita vox & adulterina galli cantilena ex alijs multis illuſionibus, quare nihilo inquietior effectus, orationi intentus vt antea perſtitit. Non hanc bene tulit inimicus crucis conſtantiam: atque extenſis magno ſtrepitu & fragore alis, deorſum ſe perpetim demiſit: quouſque tandem ſuper illius humeris vtroque pede ſe firmās, roſtro & vngibus illum poſtea in facie & in capite punctum laniabat. Tantum autem erat ponderis grauamen quo etiam illū onerebat; vt turrim aliquam ſuper

humeros ſe habere cogitaret vir ſanctus: atq; proinde ſigno crucis ſe muniens fanſtaſma illud fugauit. Completa deinde oratione ad chori locum deſcendit, vt ibidem aliquantulum de more requieſceret. Dormitabat autē genibus flexis ſupra faciem proſtratus atque reflexis brachiis ſiue recuruis & ſuper manū volis capiteſe reclinabat. Cum vero iam chorum intraret, gallum Tartareum in proceri hominis effigie coram ſe deambulantem aſpexit; pulla veſte pullóque capillo ex prolixa barba pendente qui nūc flamigeris oculis, verba iracundiæ muſitabat, nunc etiam grunitus porcorum modo edebat. Tunc Dei ſeruus ſilentio rupto, fidei clipeo munitus illi dixit. Ex parte Dei tibi pręcipio vt à facie mea ſtatim diſcedas, & ſi quid amplius facere tentaueris; ſcito quod mihi terrorē nō incutiet. Diſparuit tunc illa maligna vmbra, & vir Dei in oratione, ſomno exterminato, perſeuerās vſque ad tempus quo fratres ad officium matutinum ſurrexerunt inſtitit. Poſtquam vero illos chorū ingredienteis aſpexit, omni fantaſmatis oneroſa recordatione repulſa: lætus & omnino mentis cōpos, Deo fauete, effectus eſt.

CAP. XIIII.

De alia eius viſione nocturna.

Non erit absre etiã hic enarrare quod illi in eodem Eborenſi conuentu aliquãdo cõtigit. Eſt locus quidam in quo fratres antequam refectoriũ ingerediantur conueniunt: vt lento, ordinato religioſóque gradu ad ſignum Prælati refectionis aulam ingrediantur qui tunc ad colloquutiones & cõfabulationes erat ſignatus: prope quẽ ſcalla qua ad dormitoriũ aſcenditur ex quadrato lapide cõſtructa eſt. In quodã igitur iſtius aulæ angulo aliquis forſitã tirunculus vel ocioſus pictor: quendã monachũ deductis cum carbone lineis effinxerat. Accidit ergo quadam nocte ſignum faciẽte æditũo ad matutinum officiũ virginis quod in dormitorio ſolet dici, & pulſante, vt hic Dei famulus, à clauſtro exiens ſcallam illam vellet aſcendere, quò ſeruitio virginis intereſſet. At vbi ad illum picturæ locum deuenit, effigiem illã tanquã viuã fratris perſonã flãmigero atq; igneo vultu vidit coruſcare manibúſq; extenſis & rapacib⁹ vnguibus huc ac illuc ſe vertere. Nec ſolũ intra ſe ſe cõtinens hoc diabolicũ territamentũ, ab oculis illius ſuppoſititiæ picturæ exeuntes flammæ; & ab oris hiatu, repercuſſis dentibus horriſonus ſtrepitus, linguæque ſerpentino modo protenſæ ſpecies, virum Dei ſatis in timorem

impellebant inuſitatũ. Non propterea tamẽ corde ille decidit, imo in malignitatis portẽ-tum intrepidus irruens, modo benedicto ſcapulari; modo manibus aërem verberans illud effugare & percutere nitebatur; hoc ſuo ſẽper adagio iterato, diſpereãt peccata mea. En, frater ne es tu? diſcede malis auibus in locum tuum. Hæc illo agente & muſitante, fratres qui per eandẽ ſcallã deſcẽderunt aliqui & ipſe æditimus oculis & auribus ſuis conſpexerunt, qui cũ adhuc perturbatum in radẽda effigiati fratris pictura; & cũ ſcapulari etiam diluenda & deformãda inuenerunt.

CAPVT XV.

De quadam alia viſione nocturna.

Contigit illi ſemel cum in ſacello maioris altaris coram ſanctiſſimo Chriſti ſacramento in oratione proſtrato magnos eiulatus, populique ſtrepitus varios, in vltima eccleſiæ ſponda audi prope ianuas, atque inter clamores ipſos ſatis intelligibiliter, tanquã aliquod flagraret in domo incendium, hanc vocem adulterinam percipere quæ in ſimilibus caſib' clamoroſè ſolet emitti. Ignis, ignis, ignis, ſuccurrite, accurrite, ferte aquã, ferte aquã. Non ſolum vero & has voces Sanctus vir

clarè audiebat: ſed & ſonitus multarum vrbis campanarum fingebatur, quorũ ictibus populus excitari ſolet ad ſubueniendum, atque ad flagrantem ignẽ extingendum. Cùm vero ille cõmot⁹ verſa facie, in valuas eccleſię oculos cõiiceret à longe: vidit nõ ſolum illas igni copioſo flagranteis, ſed & ſaccellũ quoddam ex altera collaterali parte illis contiguũ in vocationis ſeraphicæ S. Mariæ Magdalenæ, flammis ingentibus conflagrare atque variam vulgi promiſcui clamoſis vocibus confuſisque inter ſe perſtrepentis turbam, modo aquã modo ſecures alternatim, pro igne illo reſtinguendo, poſtulantem. Non ſibi perſuaſit Dei famulus F. Petr⁹ diabolicũ hoc eſſe cõmentum, ſed verè incendium aliquod ibidem contigiſſe, atque veloci curſu ſe per eccleſiam illuc proripiens, antequam ad locum illum appropinquaret, dum peruenit ad ſacellum mediæ eccleſiæ, quod nomini Ieſus dicatum eſt, tota illa tartarea diſparente turba, ſe deluſum inuenit. Tunc verò beatus Dei famulus à dęmone ſe deriſũ comperiens: non aliam de illo acerbiorem vindictã ſumere potuit nec voluit niſi ſilicet ad chori locum redeundo, vbi in oratione poſitus matutinale tempus quo fratres ad eccleſiam veniunt, perſeuerans expectauit.

In his demum maligni ſpiritus illuſionibus nocturnis multotiens ille Dei famulus fuit exercitatus, quas iam ex conſuetudine & frequenti apparitione tam paruipendebat, vt nihil ſibi iam alterationis cauſarēt. Nonnunquam etiam ne propter fantaſmata iſta oculis diuagaret; prona in terram facie proſtratus preces ſuas adimplebat. Perſtrepente vero cacodemone circa illũ, ſe leuare renuebat atque dedignabatur. Imo aliquando emiſſa voce, illis apoſtaticis angelis dicebat; facite quæ vobis ſunt placita, nam & ego ne veſtra videã turpiſſima fantaſmata oculos à ſolo iſto non leuabo.

CAP. XVI.

De charitate eius erga fratres morientes.

CVm aliquis in cõuentu illo è viuis excedebat frater, in omnibus octo illis diebus poſt illius funerale obſequium immediatis, in quibus quotidie fratres, in Luſitania ſaltē, cõſueuerunt pſalmũ Miſerere & reſponſoriũ defunctorum cantare prope foueam defuncti: hic religioſus vir eundem locũ pro ſpeciali lecto nocturno tempore eligere ſolebat. Atque preces orarias, ad quas ſecũdum leges ſacras noſtri ordinis tenebatur recitãdas pro anima

defuncti fratris: ſuper eius feretrum vel ſarcophagum eas deuotè; cum aliis etiam orationib9 ſuper additis exſoluebat. Singulis ſeptimanis ad confeſſionis ſacramentum deuotus accedebat, in omnibúsque feſtis, tam Domini noſtri Ieſu Chriſti quã virginis Mariæ. Si vero eadem die omnes nouitios cõtingebat ad ſacram ſinaxim accedere cũ illis in communione illa viuifica reperiebatur: Si vero minime poterat, in matutino ſacro quod ex quadam antiqua fundatione in ſacello ſãctæ Mariæ Magdalenæ celebrari ſolet cui ipſe ſemper inſeruiebat, ſacrum Chriſti corpus cõmunicabat; aut ſi in eccleſia multus erat populi concurſus, in ſacra æde capitulis quotidianis dedicata. Non enim hominibus hic Chriſti ſeruus ſed Deo ipſi placere cupiens à mortalium conſpectu & populi turba ſemotus, quiete illi inſeruire intendebat.

CAPVT XVII.

De quodam eius egreſſu à conuentu.

TOtam iam Eborenſẽ vrbẽ huius ſancti viri fama diuulgata adeo replebat: vt minime occultari poſſet. Accidit eo tempore à viuis ſublatum eſſe quendã illuſtrem magnatẽ,

Dominum Ferdinandum, Macrum cognométo dictum, eiuſdem ciuitatis Capitaneum & patrem Domini Iacobi de Caſtro. Illius igitur vxor, pietate & religione præſtans, pro defuncti cõſortis anima ſuffragia, preces & ſacrificia exolui curauit, & cum de ſanctitate huius beati F. Petri certior eſſet facta: illius etiam precibus, animã viri ſui defuncti; iuuari cupiebat. Miſit ergo nuntium ad cœnobij Præfectũ, qui frater Lupus Soares dicebatur rogans illum vt ad ſe ſanctũ Dei famulũ mittere dignaretur, conloquii mutui gratia. Nõ enim prę nimio mœrore & inualitudine qua laborabat, ad conuentum noſtrum pergere tunc poterat. Sed quia ſanctus iſte religioſus extra monaſterium egredi non conſueuerat, atque etiam vanę gloriæ quodammodo non ſolũ illi ſed & toti conuentui, & murmurationis ſecularium detractorum periculum ex hoc oriebatur: habita matura deliberatione cum patribus à conſilio prudens prior modeſte illum excuſando illuc mittere primo renuit. Deinde vero quia clariſſima illa Domna precibus inſtantibus iterum atque iterum rẽ ipſam efflagitabat obtenta pietatis cauſa acceſito tunc beato viro F. Petro, à Priore illi fuit per obedientiam iniunctum, vt cũ quodam venerando patre fratre Aluaro Menẽdio

in ciuitatem ſocius eius prodiret, nulla tamē rei præcedentis mentione illi facta. Erat autem pater ille cui in ſocium fuerat datus, vir moribus grauis, religione præſtans, & ætate maturus. Cùm vero vna ad edeis prædictæ matronę accederent, è ſtrato ſuo lugubri deuota mulier ſurgēns, benignè illos & humaniter excepit: atque ad pedes ſancti Dei famuli ſedens, illius habitum reuerenter exobſculata eſt. Non illi multum arriſit hæc noua & inuſitata reuerentia ſibi facta, imo egerrimè ferens quod fecerat illa, emiſſa & eleuata voce mirabundus exclamauit. O nomen Ieſus, mulier quid facis? Miſerum me. Diſpereant peccata mea. Ego ſum frater conuerſus & idiota. Exoſculare habitum illius patris qui eſt ſacerdos. Nondũ verba hæc indignabũdus bene finierat, quando à ſede in qua ſe repoſuerat ſurgens, per portam camerę exiliuit, vt rectà ad conuentum properaret. Attamen prædictus venerandus pater ad illum verba dirigens ſic eum allocutus eſt, Chariſſime frater Petre ex partę Dei & patris Prioris tibi præcipio vt intra domũ ſubſiſtas paululum & audias quod iſta bona Domna tibi vult dicere. Tunc ille. Surgat ipſa & loquatur mecum, vt decet & licet cum quodam fratre conuerſo loqui qualis ego ſum, & non aliter.

Tenuit reſpõſum illuſtris illa Domna, atque fiat, inquit, ita vt vis, quia hoc mihi ſat eſt. Et ſurgens dixit illi: frater Petre propter amorẽ Dei, & animam mei conſortis Domni Ferdinandi te precor, vt preces pro illo ad Deum effundas. Ille vero doloris impatiens quia vanam gloriam effugere cupiebat, væ, inquit, mihi, diſpereant peccata mea. Quid in me boni vides, vt tale negocium commendares? Ad ſacerdotes, ad ſacerdotes, cuius hoc eſt proprium munus, cum iſta poſtulatione tibi recurrendum eſt, ſed deuota matrona inſtando perſeuerans, ex parte Dei & pro eius amore humilem eius ſeruum adiurata eſt, vt animam mariti ſuis precibus cõmendatam, non dedignaretur iuuare. Cui ille faciam ait quod iubes vt peccator, & ſtatim patrem cum quo illuc aduenerat rogare cępit, vt in domũ reuerterentur. Atque ita reſalutata illa matrona nobili, de inſolita ſibíque indebita, vt iudicabat, reuerentia nimis confuſus, & ferè ſtupefactus in domum ſacram reuerſus eſt. Poſt hoc illuſtris illa fæmina deuotionis ergo, habitũ nouũ quo vti ſolẽt conuerſi fratres parari atq; cõfici iuſſit, miſſùmque cœnobij Pręfecto precibus ab eo obtinuit vt beat⁹ frater Petrus illo ex obediẽtiæ præcepto ſibi iniuncto nouiter indutus vteretur.

Attamen licet obedientia iſta aſtrict', nouas veſtes, paupertati vt cũque indecẽtes, indueret: oſtentationem vitare cupiens vanã, vſitato & pauperi quem ante geſtabat ſuper habitu indutus & vili ſago Hyberneo ex groſſiori materia, tam nouam cappam exteriorem; quàm veſtem interiorem ſemper occultabat. Aliquando etiam ipſammet togã, in publico clauſtri loco prope portam conuentus dimittebat, vt egredientes in vrbem illa vti poſſent. Nec etiam immemor huius recepti quamuis inuiti beneficii, per integrum vnius anni ſpacium defuncti illius Domini Ferdinandi animam fuſis ante Deum precibus, deuotè commendauit.

CAPVT XVIII.

Reuelationibus ſibi factis pro morituris.

NOn caruit vir hic beatus diuinis etiã reuelationibus, quibus in ſãcto propoſito firmaretur: nec ſpiritu etiam futura præuidendi. Multo namque tempore illi contigit quod triduo ante quã defunctus aliquis, tam religioſus quàm ſecularis in eodem conuentu Eborenſi ſepeliendus eſſet; illius obitum diſtinctè cognoſcebat atque fratribus denunciabat. Hoc verò tam certũ

& vſitatum apud omnes cœnobitas tamque receptũ iã erat, vt ſ. triduo ante denunciaret ſepeliendos in monaſterio eodem Eborenſi diſtinctè declarando vtrũne frater aut laicus futurus eſſet, homo aut fœmina, ex benefactoribus confatribus noſtris aut ex alijs, vt de hac re nil dubii aut admirationis iã in aliquo fratrum cauſaretur. Teſtatur noſter Reſendius Magiſter ſe recordari, quod cum ſemel iſte beatus vir ſic aliquando prædiceret, poſt craſtinam diem apud nos quædam fœmina ſepelietur quæ ad beneficia & confraternitatem ordinis noſtri fuit antè recepta: non multis poſt horis, ad conuentum properantes acceſſiſſe miniſtros ad petendum veſtem ordinis pro quadam induenda poſt mortem fæmina, quæ iam in extremis conſtituta erat. Cum verò poſtridianum tempus iam adeſſet ab illo iam prædictum, ægrota mulier quaſi aliquomodo conualeſcens petiit vt ſibi aliquid quod manducaret, miniſtraretur. Non latuit fratres qui infirmã delato habitu viſitarant illius conualeſcentia atque eidẽ beato Petro quaſi illudentes dixerunt. Tu frater Petre non verum loquutus es imo mendaciũ quia ægrota illa quã nobis prędixiſti ſubitò moriturã, ecce modo iã conualeſcit & cibum ſumpſit. Tunc ille ſubridens vſitato & faceto

ſuo adagio appoſito reſpondit. Eia nunc, lætare in his, diſpereant peccata mea, quod ſcriſe ſcriſe. Nec in hoc pſeudo profeta eſt inuẽtus, quia illa melioris valetudinis apparentia, imminentis mortis præludia erat, quæ ante integram horam poſt hæc ſubſecuta eſt.

CAP. XVIIII.

De ſigno quo mortem diſcedentium præcognoſcebat.

TEſtatur idem Reſendius huius hiſtoriæ autor & teſtis oculatus, quod quadam Dominica die poſt matutinale ſeruitium decantatum, cum nouitii omnes quorum vnus illemet erat, manerent in choro vt exomologeſim peccatorum facerent cum magiſtro ſuo nouiciorum Fratre Ioanne de Beia, viro probatæ vitæ & religioſę cõuerſationis (erat enim ſequenti eiuſdem diej mane omnibus nouiciis Dominici corporis communicatio denunciata) ſinguli præſcriptum tempus ſibi debitũ antiquitatis vel ætatis preſtolabantur, vt ad predictum confeſſionis actum procederent. Acceſſit interea magiſter Reſendius paruulus tunc nouiti⁹ ad beatũ fratrem Petrum, qui nõ multũ ab illo loco diſtans in capituli ſacelo poſitus orabat. Singulari enim illũ vir Dei proſequebatur

batur affectu) eòque poſtquam acceſſit, de forma qua confiteri deberet: atque, animi præparatione ad Chriſti corpus communicandum eum paternè Dei famulus inſtruxit. Poſt hæc Reſendius ab eo puerili quadam importunitate enixè rogauit, vt ſibi reuelare dignaretur quonam modo quáve ratione præcognoſcebat illorum deſceſſũ, qui in eodem cõuentu vel mori vel ſepeliri deberent. Et quid, reſpondit ille, tua intereſt hæc ſcire? Cogita & præpara te ad confeſſionem ſacramentalem rectè faciendam & his ſupercede. Inſtauit Reſendius, atque Propter Dei amorem, inquit, te rogo ne mihi hoc aperire dedigneris. Tunc ille quoniam per amorem Dei me ad reſpõdẽdũ obſtringis, tibi quod ſcire cupis non denegabo dũmodo & tu nemini, quod tibi nunc dixero, reueles. Scias frater quod triduo antequã quis tã ex noſtris quã ex ſepeliendis apud nos è vita diſcedat, per experientiam diuturnam hæc præſagia præuiáque ſigna percipio. Si quiſpiam ex noſtro conuentu fratrum clericorum mori debet, noctu, in eccleſia ictus cuiusdam ſonitum magnũ fieri antea audio cũ ligneo illo inſtrumẽto ſiue maleolo quo frater prior in choro ſolet tempore precum fratribus aſtantibus ſignũ facere. Si frater conuerſus mei habitus

diſcedere debet, ſignum hoc in choro cõuerſorũ fieri ſentio, ſi ſecularis homo & cõfrater noſter, in portá clauſtri qua eccleſiam ingredimur, ſi mulier eiuſdem participationis beneficiorum, ad gradus altaris beatæ virginis roſarii, ſi vero de aliis ſecularibus, propè ſacellum nomini Ieſu dicatum, ictu ſonoro emiſſo, virum ſecularem diceſſurũ intelligo: fœminã tandẽ ſi in medio eccleſię hic editur ſonus. Nec fili mi in hoc aliqualiter hæſites quin ſẽper & infalibiliter hæc futuræ mortis indicia habeã, quoniam à multo iã tempore hoc habeo experientia compertũ: quamuis non ſemper hæc prędicere audeam, ne quis me diuinatorem exiſtimęt, aut de me forſitan ſentiat id quod eſt ſupra me.

CAP. XX

De viſione quadam virginis Mariæ in tranſitu cuiuſdam fratris.

FVit in eodem cœnobio Eborẽſi quidã venerabilis pater frater Ferdinandus Amatus, qui per multos annos munus ſacerdotalẽ deuotè obiuerat, nec nõ & confeſſiones delinquentium excipiendo: diuturnum Deo obſequium pręſtiterat. Tan

dem poſt grauem corporis ægritudinem, in paralypſim incidẽs aliquo temporis curriculo hoc malũ paſſus eſt. Et hora mortis poſtea appropinquante finéque laborum, per trium dierum ſpacium ſincopiſare modo remiſſius modo intenſius nunquam deſtitit. Aſſiſtebãt illi ſeruato circulari per vices ſuas ordine, die noctúque religioſi excubias agendo: atque tertia huius mortalis afflictionis die, peracto matutinali officio, magiſter nouitiorum diſcipulos ſuos omnes ad valetudinariũ locũ illum deduxit, in quo ægrotus pater agoniſabat. Erant autem, octodecim, quorum vnus illorum Reſendius maior, tertiumdecimum non excedebat annum. Iniunxit omnibus illis Magiſter ſuus vt diligẽter inuigilarent atque ſi tranſitus hora ægrotũ ingrueret ſtatim ad ſe properarent aliqui excitãdum, quò ipſe etiam morienti fratri, vt fieri ſolet, aſſiſteret. Eodem tempore beatus frater Petrus ſe nouiciis vigilantibus aſſocians, in quodam eiuſdem cameræ loco tacitus aderat nouitiis ſeptem pſalmos aliáſque preces dicentibus. Inter eos autem Reſendius aſtãs cum alio ſocio fratre Petro cognomento dicto Farto, poſt alias precationes hinmos virginis deiparæ: Aue maris ſtella, Quem terra pontus ætera, cantare cœperũt: quorum illi vnum ver-

ſum: omnes reliqui aliū proſequebātur. Cū vero ad verſum illum peruenerūt qui incipit. Maria mater gratiæ, pater ille venerandus qui iamjam è viuis diſcedebat, laſſa brachia quæ hactenus habebat demiſſa in altū eleuauit, percuſſis inuicem palmis in exultationis ſignum, quaſi virginem adeſſe videret, atque cantate, cantate, fratres, repetebat multoties. Tunc eleuatis oculis beatus frater Petrus (vt infirmi nouitatem & ſtatum conſideraret) ſubitò poſt hoc ſurgens ab ſponda inferiori lecti in lætitiam atque etiam in riſum conploſis manibus, oculiſque in aëra defixis prę-ter conſuetudinem exultabundus ſe laxauit. Nouitiis verò ad tantę rei nouitatem ſtupentibus, tam in infirmo quàm etiam in beato fratre Petro, ſurgite ecce ille inquit, fraterculi & Dei genitrici, debitā exhibete reuerētiā. Surgētes verò illi omnes protinus, verſus illā partē ad quam hic beatus frater oculos habebat conuerſos, reuerenter intuebantur: nō tamen aliquid cœleſte, ait Reſendius, videre meruerunt. Accurrerunt igitur ſtatim duo ex illis ad magiſtrum ſuū vt illum excitarent prout eis præceperat, qui ſurgens & ligneo ſigno cauſa euigilandi fratres per dormitoriū repercuſſo, credo, credo, multotiens, vt ſolet fieri, repetebat, quò fratres ad infirmariæ lo-

cum conuenirent.

In hoc tẽporis interſtitio nouitiis ſæpe prædictos repetẽtib⁹ himnos, viſio illa beatifica vt ſuſpicari poteſt diſparuit & beatus frater Petrus demiſſis ſtatim oculis verſus infirmũ iam agoniſantem ſe adaptauit, deinde imaginem crucifixi, his ſæpe repetitis verbis, Ieſu Ieſu, credo, credo, in manus illius patris morientis poſuit, atque ita antequam fratrum conuentus adeſſet, animam Deo ſuo reddidit ægrotus. Cũ verò ſtatim vndique omnes fatres illuc confluerent comperta viſionis cœleſtis gratia, qua venerãdus ille pater ante animæ exhalationem affectus fuerat, multas humiléſque gratias Deo & virgini angelorum Reginæ, pro tanto dignationis munere erga ſuum famulum è vita migrantem reddiderunt. Teſtem Magiſter Reſendius hoc loco Deum viuum, cum hãc refert viſionem, & beatam viginem Dei genitricem, in huius veritatis confirmationem inuocat, atque precatur vt ita dum è vita diſceſſurus eſſet, ſimiliter illi contingeret ſicut tunc ipſe vidit, & verè narrat.

CAP. XXI.

De ſpiritu profetico quo claruit aliquando.

Magiſtri Andreę Reſẽdii mater (Horũ vtraq; anima in refrigerio ſit) deuotiſſima erat huius ſancti viri fratris Petri, ille etiam præter morem,hanc matronam reuerẽter & affectuoſe venerabatur. Cũ igitur ipſo Pariſiis exiſtẽte mater defuncta eſſet; quæ ad cõfraternitatem & ſpiritualia beneficia erat admiſſa, in clauſtro fratrum ſepelienda erat ex ſpeciali preuilegio quod ipſa viuens & à conuentus cænobitis impetrauerat& ſemper maximę deſiderauerat. Sed tamen eius legatarii quámuis defunctæ matronæ eſſent ſanguine cõiuncti, huic eius vltimæ volũtati, ne adimpleretur, fortiter reſtiterunt. Volebant enim vt in eccleſia publica ſepeliretur quô & ad illius ſarcophagum poſſet faciliter accedere pro libito, atque ibidem editiori extructo monimento, beneficiis ſpiritualib⁹ illius animam iuuare. Dum veró hæc altercatio eſſet orta ſubitò inter illos atque etiam contra patres cõuentus, beatus frater Petrus rixe verba excipiens, Quid inter nos, inquit fruſtra cõtentio eſt orta ſuper hac re?Et pede ſignãs locum ad introitum domus capituli, in eodem clauſtro ſuper addidit. Hæc eſt cadaueris illius ſepultura. Attamen teſtamenti executores in ſua preualentes opinione in ec-

cleſia illa ſepeliri fecerunt. Poſt hoc trāſactis ſex ānis, Magiſtro Andrea Reſendio defunctę matronæ filio de Gallia reuertente, atque ægerrimè ferente quòd matris ſuæ voluntas in ſepulturæ electione non fuiſſet adimpleta: impetrata licentia à Priore conuentus, qui tunc præerat frater Antonius Freire oſſa eius in eundem locum rei inſcius prædictæ ad introitum priuati ſacelli Capituli, transferri fecit. Inquo etiā loco idem Reſendius nunc iam confectus ætate ſepultus quieſcit. Tunc demum quidam antiquus pater frater Alphonſus Banſa, hanc conſiderans tranſlationem & nouam ſepulturam, qui caſu ſuperuenerat illuc, ab oppido Montis maioris vbi pro ſanctimonialium confeſſionibus degebat, poſtquam Magiſtrum Reſendium de hac re quæſiuit audita tranſlationis cauſa lachrimis obortis illi dixit. Hoc eſt quod Dei famulus frater Petrus prædixerat quando mater tua àviuis diſceſſit. Atque illi rei ſeriē tūc narrauit; citato etiā pro cōteſte eiuſdē cuēt᷒ fratre Thoma Cruciato ſacriſta, qui idē etiā affirmauit ſe vidiſſe & audiſſe ab eodē beato fratre. Cōtigit etiā aliquādo vt idē beatus frater Petr᷒ fratres cōuent᷒ Eborēſis admoneret ſe prępararēt ad mortē, quia cito peſtis vrbē aggreſſura erat & VII. ex illis ab eodē morbo

percuſſos, diſceſſuros eſſe, quod poſtea rei euentus probauit.

Tam vulgare erat nomen famáque ſanctitatis huius beati fratris in tota Luſitania eo tẽpore, quod rex Emanuel & Maria illius conſors, quadam die ad conuentum noſtrum Eborenſem cauſa audiendi ſacrum accedentes, dum in aulam reuerterẽtur Regiam, clauſtrum ingreſſi, per portam cœnobii in qua beat⁹ frater Petr⁹ ſeruiebat exire decreuerũt. Dum vero Regina propè portam deuenit, ianitorẽ fratrẽ beatum ſic eſt allocuta. Frater Petre in tuis orationibus precor me commendatam habeas. Qui totus rubore & turbatione perfuſus, nihil aliud reſpondere nouit, quam demiſſo capite Reginam venerando, petitioni eius annuere. Cum etiam idem sereniſſimus rex Emanuel duos præcipuos Luſitaniæ conuentus reformare intenderet Oliſiponẽſem nẽpe, atque aliũ Regale quod dicitur, de belli victoria, quẽdã ex regno Caſtilliæ obſeruantiſſimum patrem Hiſpanum accerſiri fecit (Frater Ioannes Eurtado dicebatur) qui ſuauiter omnibus ad verã normã diſpoſitis, nec in Prouincia manere nec Prouincialatus munere fungi voluit, imo tãquã ver⁹ ordinis reformator, & ambitionis vitio minime tactus, Regi efflagitanti reſpondit,

cõplures in eadem prouincia grauiſſimos ſe cõperiiſſe patres, qui hæc omnia melius quã ipſe exequi poterãt. Hic vero tãtus pater diſcedens, cum per conuentũ Eborenſẽ trãſiret poſt quã vale dixit fratribus, & orationes pro itinerãtibus (vt moris eſt in religione ſanctiſſimi) ſunt perſolutæ, cõuerſus ille venerandus pater ad fratrem Petrum dixit illi. Frater Petre famule Dei rogo te vt Deum pro me velis orare. Cui frater Petrus, digito priùs ori impoſito, benedicite, pater, inquit, licentiam ad loquendum petens. Et poſt hoc addidit. Si ego, pater, auderẽ loqui, à tua potius reuerẽtia hoc petere deberem. Cui benignus pater ſit ita, ſubiunxit, & ambo hoc pactum ineamus, vt tu pro me quotidie dicas orationem, Aue, & ego tibi polliceor quoties ad ſacra peragenda acceſſero tui etiam ſpecialem habebo memoriam. Acceſſit tunc beatus frater Petrus ad eũ & exobſculato humiliter benedicto ſcapulari, ab eodem, paterno amplexu, benignè fuit exceptus, lachrimis nonnullis foras erumpentibus. Atque ita diſcedens ſanctus ille noſtrorum cõuentuũ reformator frater Ioannes Furtado quotiens ad Luſitaniæ patres literas ſalutatorias mittebat, ſẽper precibus & orationibus beati huius fratris Petri ſe commendari poſtulabat.

CAP. XXIII.

De pulchro eius aſpectu & duobus miraculis quæ patrauit.

SEruite Domino in lætitia; inquit Dauid. Ita hic beatus Dei ſeruus edoctus vultu ſemper hilaris incedebat vt ante admonuimus, atque quod magis notandum, quamuis aſperrimam ſemper vitam ageret, ieiuniis vigiliiſque corpus terrenum maceraret; non ſolum in facie lautę vitę minimæque abſtinentis ſpeciem præbebat, ſed in ſenili iā ętate conſtitutus, venerādaq; canicie ornatus, in vultu decorem, in genis ruborem roſeum, cuticulæque nitorem tam iuuenilem atque floridum proſpectantibus offerebat: vt nō parua deceptionis ſiniſtræq; opinionis occaſio circa eius pœnitentiam & frugalitatem oblata videretur. Solummodo enim denudatum caput conſcientiæ & rigidę conuerſationis ſuæ teſtimoniū reddebat. Erat quippe illius caput tenuiſſimis rarisque capillis potius reſperſum quàm coopertum, atque caluicie ieiuniis, vigiliis, diſciplinis & variis aliis accerſita acquiſitave laboribus: victus veſtitusque ſui ſobrietatem demonſtrabat.

Iugis itaque corporis maceratio nec in vultu ſanctam immutabat, lætitiam, qua omnibus humanus tractabiliſque offerebatur, nec in facie corporiſque reliquis membris, apparẽtiis mortificatę carnis virtutes ſuas prędicabat. Duo miracula, non minora ſupra dictis, hic nũc interſerere teneor, quæ à quodam religioſo fratre eiuſdem profeſſionis conuerſorum in eodem conuentu propriis auribus audiui. Frater Alfonſus de Vineis hic dicebatur, octogenarius iam quando ego illũ in eodem Eborenſi conuentu cognoui, anno. 1572, cuius etiam in illa decrepita ætate ſancta conuerſatio iuuenibus confuſionem non minimam poterat generare. Omni namque feria ſexta ſolo pane & aqua contentus reiunabat atque bis in heudomada ſponte clauſtrũ totũ humiliter & non ſine magno ſenilis debilitatis labore verrebat, quod meis oculis ſæpe vidi. Hic narrabat quod beatus frater Petrus ſemper in feſto trinitatis, quod celeberrimum erat in noſtro illo conuentu & vndique populi ad eccleſiam illius & totius domus officinas diſcurentes ſolebant conuenire, ibíque vndíque iocos, iantacula celebrare nouum ille ſuæ quietis non intermittendæ modum cogitabat. Et dum hæc inſtabat dies (turmatim namque con-

fluebāt)ſolebat officiū ianitoris alteri alicui commendare: atque preparatis in veſpere quibuſdam herbis pro prādio diei ſequentis ad ſuam cameram ſe recipiebat, quam iſte frater Alfōſus & alij obſeruabant, & de foris clauſā eſſe tota die, notabāt. Tempore verò veſpertino quando iā turbæ diſceſſerant,obſeruantes quiſnam illius cubiculum aperiret, videbant vmbram quandam candidā in creſpuculo iam nocturno ſeram recludentem & portam. Aliquādo illi contigit vaſa ad aquā in refectorio poſita,tempore æſtiuo maximi caloris vacua prandij tempore ex obliuione & prona dimittere, cū vero poſt benedictionem menſæ illū Prior vocaret, atq; reprehenderet(tenebatur enim ex officio prouidere de illa aqua ex puteo quodā) antequā ad menſam cōuentus fratrū ſederet: plena omnia vaſa ſunt inuenta ſaluberrima aqua miraculſoſè immiſſa.

CAP. XXIIII.

De quodam animæ deliquio quod à frigore nocturno eſt paſſus.

INter hæc vitæ ſpiritualis ſolatia, hiems quædam rigida frigoribuſque nimis aſpera Eboram inuaſit vrbem quæ multis forſan in cauſa

fuit veſtes duplicatas ſuperinduendi vt ſolet ibidem aliquãdo fieri. Et cum ſanctus Dei famulus corpori minime indulgens, eodem modo vt antea orationi nocturnæ inſtaret; atque in eiſdem eccleſiæ & capituli ſtationibus ſimiliter permaneret, increpuſculo matutino inuentus fuit ſemel apud ſacellum capitulis quotidianis dedicatũ, nudis genibus in terram defixis ſuper funeralem foueam vnius fratris proximè defuncti, tanquam exanimis in nudo ſolo pronus atque deiectus. Neque enim frigore gellatus ſurgere aut ſe inde mouere poterat. Tranſeuntes igitur illac religioſi illumque ſic exanimem ſenſibúsq; carentem inuenië tes, accurrerũt mox ad cõuẽtus Pręfectum, illius mortem vt ſuſpicabãtur, denunciantes. Quem poſtquam omnes inde eleuare vellent, ex prono in ſupinum fere mutãtes, illius genua callis duriſſimis obdurata quaſi alicuius cameli conſpexerunt. Inde ad valetudinarium portãtes, humaniùs procurandum ſiue nutriendum ſpacio trium dierum de prioris mandato inuitum detinuerunt. Nec illi hoc tempore à memoria excidit pauperum ante ſibi admiſorum cura, imo nihil aliud illo triduo frequentius in ore habebat quam charitatis hoc verbũ. Habeatur cura pauperum. Ne obliuiſcantur pauperes.

Quãuis autem illius vicarius ianitor ſollicitè pauperum ſuccurreret egeſtati, ne virum Dei illic deſiderari videretur, taliter tamẽ amaris lachrimis eiulatibúq; mæſtiſſimis, omnes illi Chriſti hæredes Beatum fratrem Petrũ videre cupiebant, ab illóque humaniter vt ante tractari, & ſæpe ſæpius pro illo interrogabant atque de his nõ leuiter dolebãt. Hac de cauſa quanquã nondum benè conualuerat pauperibus Chriſti & iannuæ conuentus fuit reſtitutus. Prior tamen obedientiæ comminatione illi præcepit vt deinceps quandiu illa rigidæ hiemis ſæuitia perduraret, ad cubiculum nocturno tempore ſe reciperet, atque ibidem ſaltem ſuper tabulatum quoddã & ſtratum ligneum fulcro ſupertectum antiquo ſtragulo ſuo coopertus quieſceret: & frigoris ſæuitiam vitaret. Obtemperauit Dei famulus paſtoris voci, atque formam ſibi preſcriptã ſeruans in lectulo illo duro genib⁹ tamen in ſolo defixis, appodiatus potius quã cubans dormitabat.

CAPVT XXV.

De tranſitu eius, præuiſo.

Septuageſimum iam annum cõpleuerat dei famulus frater Petrus, quãdo his dedit⁹ diſciplinis carnẽ ſuã iugiter affligebat. Quare annorũ numer⁹

ĩmodic⁹ & laborũ rigor aſperrim⁹ taliter ſeni le corpus contriuerãt, quod nõ poſt multo tẽ pore ſarcophago proximũ effecêre. Dominica igitur quadã die poſt feſtũ Epiphaniæ Domini, perſoluto matutino ſeruitio à fratribus, Dei ſeruus peccata ſua ſiue poti⁹ leues imper fectiones cõfeſſus Patri venẽrãdo fratri Alfõſo Bagnio, eidẽ ſuæ peregrinationis extremũ diẽ inſtare reuelauit. Hic pater qui illius vltimã excepit cõfeſſionẽ, ſupradicta noſtro Reſẽdio tãquã occulatus teſtis narrauit. Nõ parũ ergo admiratus, eo quod beatũ fratrem ſuis pedibus ſanum adhuc prouolutũ, cito migraturũ ipſemet aſſerebat. Vnde & ad Priorẽ cõuentus Fratrem Petrum Oliuarium accedens illi dixit. Iubeat Pater Prior, ſi placet, reuerentia veſtra cautè obſeruare fratrem Petrum, quia mihi nunc reuelauit in hac die dominica ſe à nobis mortalibus diſceſſurũ. Non his Prior incredulus fidem adhibuit aliquam, tum quia durus erat corde ad credendum hæc Dei mirabilia, tum etiam quia non ſibi videbatur illum tam ſubito poſſe mori, quippe quem cum nouiciis ad ſacram cõmunionem tũc acceſſurũ ſciebat quælibet enim iſtarum ratio ſufficiẽs videbitur, vt eiuſdem fratris inopinatæ morti diſſentiret. Accidit vero eadem die quod congregatis in ſacri

ſtia nouiciis,cũ in vicem proſtrati vnus ab alio veniam de offenſis peteret(hic mos enim ſanctiſſimus in Luſitania apud nos ſeruatur antequam fratres communicent) vt beatus frater Petrus primus omnium hoc humilitatis & reconciliationis actum in terram proſtratus ad aliorum pedes peragens, diceret. Fratres mei precor vos omnes vt mihi condonetis ſi quẽpiam veſtrum in aliquo offẽdi, atque me veſtris orationibus iuuetis coram Domino. Surgens deinde omnes eos ſeorſim amplexatus eſt: & ſingulis vale dicens, ad diligens exhibendum Deo obſequium vnico verbo eos exortauit. Non modica illos admiratio tenuit quid ſibi vellet huius rei nouitas,quidue ille facere intẽderet. Peracta deinde ſacra illa ſinaxi, beatus frater Petrus poſtquam Chriſti corpus aſſumpſit, totus lætitia inenarrabili delibutus, ſubmiſſa voce illud Pſalmi. 65. multocies repetere incœpit. Ibi lætabimur in ipſo. Ibi lætabimur in ipſo. Ad ianuã deinde quam cuſtodiebat reuerſus, in ſella ſua quadam lignea, quæ adhuc in eodem ſeruatur cænobio, cogitabundus imo in Deum abſortus ſedit. Tempore quo ſimbalum refectorij pro prãdio pulſabatur præfatus pater Alfonſus Bagnus, qui illius confeſſionẽ illa nocte exceperat (quamuis à Priore

ante irrideretur) obſeruauit tamen attentè quidnam beato Petro euenturum foret, & cum illum in refectorio cum fratribus ſedere non vidit, obtenta licentia à Priore à menſa antequam finitum eſſet prandium rectà ad ianuam pergens illum in ſedili ſuo collocatũ inuenit. Et cum ab eo quæſiuiſſet cur ad menſam, vt ſolebat, cum aliis fratribus non acceſſiſſet, beatus Dei famulus illi reſpondit. Pater mi iam non mihi opus eſt refectione iſta corporea, ſubiunxítque aliquotiẽs verbo iterato. Ibi lætabimur in ipſo. Manſit ibidem tunc cum illo aliquantulum temporis idem venerandus pater, atque campana ianuæ à quopiam tunc forte pulſata, cum ille ſurgere vellet vt videret quiſnam pulſabat, defficientibus viribus in terram moribundus cecidit. Iam tũc poſt gratiarum actionem à choro reuertebantur fratres: quos protinus conuocãs venerandus ille pater Alfonſus Bagnius, accurrerunt omnes atque Dei famulum viribus penitus deſtitutum è terra leuãtes in locum infirmorum inuicem aſportauêre. Et cum illum in blando lectulo vellent reponere, nutibus Dei famulus illos admonuit ne hoc facerent. Quare ad illius cubiculum aliqui properantes ſtragula qua ille vtebatur in ſolo protenſa & puluinari etiam quodã ad caput co-

locato eũ humaniter ſuper poſuerunt. Petiit mox ille extremæ vnctionis ſacramentum, quod illi ſine mora delatum, cũ maxima deuotione promptóque animo ſuſcepit, cũ fratribus reſpondendo Amen, poſteáque crucẽ obſculando, eleuatis in cœlum manibus vltimum ſupradicti pſalmi verſum dixit. Benedictus Deus qui non amouit orationem meã & miſericordiam ſuam à me. Quæ verba tam expeditè támque peritè protulit, vt non idiota ſed Latinæ linguę magiſter videretur, gratia, vt piè credi poteſt, ſupernæ claritatis, ſcientiáque beatorum illius iam animam ex parte illuſtrantibus. His dictis ore cõpreſſo oculiſque demiſſis coram toto cõuentu, ſpiritum Deo ſuo reddidit, anno. 1528. Dominica poſt feſtum Epiphaniæ Domini.

CAP. XXVI.

De cilicio quod in cadauere eius repertum eſt, & quomodo ſepulturæ fuit traditus

POſtquam anima illa ſãctiſſima ad immortalem tranſlata fuit vitam, Priori & Patribus conuentus Ebo renſis viſum eſt expedire, vt beati viri cadauer ſepulturæ mandaretur priuatim; atque ianuis clauſis, poſt veſper-

tinum officium abſolutum. Verebantur enim ne exorto tumultu ex frequenti venturi populi concurſu, ſancti huius fratris iuſta minus quiete & deuotè poſſent perſolui. Iam enim pauperes patrem ſuum & œconomum mortuum eſſe ſuſpicabantur. Cùm vero illius cadauer à duobus venerãdis patribus pollinceretur ex antiquioribus cœnobii, fratre f. Alfõſio Bagnio de quo ſupra meminimus, & fratre Stephano Acha, aſperrimo cinctum ad renes cilicio inuentum eſt, & ex diuturno vſus tempore taliter reconditum intra carnem vt p[illegible]fundum & circularem hiatum ſiue vulnus vndíque corroſum & iam cicatricatum, effecerit. Habẽt hoc adhuc cilicium, deuotionis ergo, ſacræ virginis alterius duorum conuentuũ ord. noſtri qui in eadem vrbe & ſanctis moribus ſanctáque obſeruantiſſimæ clauſuræ religione florent tituli Dominæ noſtræ de paradiſo, illúmque venerantur deuotè. Finitis igitur veſperis ianuis eccleſiæ priùs clauſis, in clauſtro decãtato funebri officio, ſepulturæ fuit deuotè à patribus traditus, in vltima capituli parte propè ferè Suprioris ſedem, coram quodam eminenti tumulo cuiuſdam noſtri benefactoris Roderici de SouſaOdiuorẽſis, vt ab antiquis illius conuentus patribus accepi ann. 1574. in eadem ſpelunca repoſitus

in qua ante quidam venerandus pater illius cōfeſſor Frater Aluarꝰ Murzello dictus. Erat iam tunctemporis , campana mortui fratris beati ſignum faciente,tantus populi tumultus in fores eccleſiæ irruentis, vt meritò patres timerent audito variæ turbæ ſtrepitu, crebris que ictibus ne fores ſecuribus effringerentur.

CAPVT XXVII.

De mœrore patrum in eius exequiis & clamore pauperum ſequenti die.

POſteridie quam ille mortē obierat & cum ſumma patris mæſtitia atque deuotione ſepulturæ traditus fuerat , funera illius ſolemniter ſunt celebrata: in medio eccleſiæ?eleuato,de more feretro quodam lugubri cooperto ornamento , quô etiam innumera populi multitudo vndique confluxit . Putabant enim ſub illo tūc eleuato capulo ſanctū ſancti fratris cadauer eſſe reconditum,proindéque poſt officium inchoatum ſpiritu deuotionis eos impellente etiamque vt exinde aliquas perciperent relliquias,feretrum illud ſub quo latere corpus putabant,ruperūt. Pōpa illa funeralis interim multis vtriúſque tam

ſtatus quàm ſexus celebrata lachrimis, paupe
res ad magnos clamores ſuaſit & induxit. Ce
lebrarunt etiam pro ſancti viri anima ſacram
miſſam, nouē aut decem peregrini preſbiteri
quos ille dum viueret charitatiuè & honeſtè
ſolebat intra portam conuentus excipere &
nutrire. Cùm vero iidem ad tumulum poſt ſa
crum factum pergebant, reſponſorium dicen
di & aquam benedictā aſpergendi cauſa, tan-
tus illorum erat eiulatus vt preculas illas bre-
ueis minime poſſēt abſoluere, quod etiam &
toto conuentui eadam die accidit cum poſt
miſſam decantatam, reſponſorium defūcto-
rum cantaretur: illud namque lachrimarum
exortis riuis finire chorus non potuit. Nāque
apperto oſtio clauſtri quà ad capituli locum
itur, tanto impetu populus ad ſancti fratris tu-
mulum irruit: vt non ſolum fletu, ſed populi
tumultu & frequentia, fratres finire officium
vix potuerint. Deinde fratribus ſe ad cubicu-
la ſua mæſtis recipiētibus, ſex homines ad tu-
muli cuſtodiam ſunt deputati, ne deuotio po-
puli ſacrū cadauer effoderet, atque ita vſque
ad meridiem populi concurſus non ceſſabat
locum illum viſitare. Pulſato vltimò cimbalo
ad prandium, tantus fuit omnium mœror fra
trum, tanta deuotio, vt comedendi appetitu
ſublato, Priorem monaſterii omnes cœnobi-

tæ rogarint, vt quæ parata erant pro conuentus prandio pauperibus erogarentur. Annuit votis Præfectus cœnobii vt quidquid vini, panis cibíque pro religioſis erat præparatũ, inter pauperes mœrore confectos propter patris ſui diſceſſum, diuideretur. Atque quatuor ad hoc deſignati patres cum ad ianuam conuentus accederent pauperibus prandium miniſtraturi: tantus de nouo fuit pauperum clamor ad extremum vſque vociferantium, patrem ſibi ſublatum ſanctum & pium, patribus illis perſuadentibus non ſiccis oculis, propter amorem quem erga fratrem Petrum & deuotionem habebant vt ſedentes comederent, eiuſque animã Deo commendarent: vt vix pauperes quieuerĩt & à lachrimis & clamore ceſſauerint. Itaque diſtributa eleemoſina ſolemnes illæ exequiæ finitæ ſunt. Hæc ſunt, quæ ſummatim ſciri potuerunt de huius ſancti fratris conuerſione: qui ſi alterius eſſet vel nationis vel inſtituti: illius geſta per orbẽ à multo iam tempore variis celebrata encomiis diuulgata eſſent.

STEMMA SELECTISSIMVM ORNATISSIMVMQVE SACRI

ordinis fratrum prædicatorum, in quo D. patriarchæ Dominici ſocii primi patres, ſucceſſores Magiſtri Reuerendiſſimi, comitia generalia, ſummi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, atque alii omnes viri dignitate, ſanctitate, & literis inſignes, qui à primis exorientis ordinis initiis, ad noſtra vſque tempora floruerunt: non minus exactè quàm ſuccintè recenſentur.

LIBRVM de primæuo ordinis ſacri frat. præd feruore, déq; eiuſdem ord. fundatione & rebus alijs ſcitu dignis, conſcripſit imprimis venerandus dulciſque recordationis pater magiſter Iordanus Saxo, qui poſt tranſitum glorioſum D. patris Dominici, Pręfectus generalis totius ordinis, extitit immediatè. Initium operis hoc erat, Filiis gratiæ & cohæredibus gloriæ. Poſt hunc antiquum authorem, duos inuenio patres inferioris Germaniæ, qui eiuſdemmet thematis opuſcula compoſuerunt. Deinde magiſter

Vmbertus ex his quæ copillauerat quidā pater Gerardus Prouincialis Prouentiæ volumen antiquitus,qui vitæ fratrum dicitur in lucem emiſit. Thomas etiam Brabantinus librum apum, in noſtri ordinis ornamentum & decorem,ſuppreſſo proprio nomine nobis relliquit ſatis curioſum, tangens eādem materiam primitiui ord.præd.Vltimo vero Leander ab Alberto conuentus noſtri Bononienſis alumnus (vt de aliis difuſioribus taceam hiſtoriographis) de viris illuſtribus eiuſdem inſtituti prędicatorū,iuſtum edidit volumen, in quo multa, incidenter, de his initiantis ordinis fundamentis ſunt intermixta. Tamē ex his omnibus,quos recēſui,authoribus, nō leui priùs adhibita diligentia, in euoluendis bibliothecis diuerſarum regionum, in quas me horum infelicium temporū fortuna,iactitauit, non niſi quam pauciſſima,atque ex parte dilacerata ex parte diminuta & abraſa,multiſque mendis conſpurcata, reperire potui. Cupiebam enim, ſi fieri poſſet, hæc omnia quæ filii huius ſeculi floccipendunt,in priſtinum reſtituere nitorem. Attamen hoc emenſo chao, veritas pulchra vt cumque enucleata, rerum multarum, preſentem Epitomem tanquam ſtemma pulcherimum conficiet. Spero enim,fauente Deo,vt hic florum faſci-

culus ex antiquorum patrum ord. prȩd. virtutibus conlectus, de generantibus filiis,grauique deſidia torpentibus euigilandi atque reſipiſcendi, odore ſuo ſuauiſſimo diffuſo, occaſionem ſubminiſtret.

Anno igitur huius vltimæ,mundi ſeneſcentis ætatis CIↃ. CCIII. clementiſſimus Vnigenitus patris,humano generi peſſũ tenebris eunti ſuccurrere dignatus, precibus virginis matris inter poſitis,lucidiſſimumHeſperum ex occidentali Heſperia D. Dominicum ſuſcitauit, atque in Toloſam'doloſam tũc iure optimo dictã,miſit, vt inde,prȩdicationis ſuæ & veſpertinæ illuminationis, initium faceret. Et ſicut Ioannes Baptiſta veluti cœleſtis Lucifer ſolis ortum præueniẽs,primum ſaluatoris denunciauit aduentum, ſic Patriarcha Dominicus veſpertini ſyderis officio fungens,occidente ſeculi luce, vicinum creditur iudicium præueniſſe. Decebat enim vt omnipotẽs,qui olim Luciferum opportunè produxerat,Heſperum quoque declinante iam die etiam educeret. Egrediens igitur Apoſtolicus hic Patriarcha annô iam citato de terra ſua & de domo patris ſui,tanquam alter Abraham, cuius ſemẽn,vt ſtellas cœli Deus multiplicare cogitabat, in Toloſana prouincia peſtiferam illam Albigentium hȩreſim toto animi conatu

vita & doctrina impugnare primò inſtitit. Cũ autem eodem ferè tempore duodecim Ciſter ciẽſis ordinis Abbates Galli natione ab Innocentio III. deſtinati, contra eoſdem Albigenſes hęreticos Catholicam doctrinam prędicando diſputandóque fidem defenſarent, cum illis Epiſcopus quidam ſanctiſſimus vir Hiſpanus & D. Patriarcha Dominicus Apoſtolico muneri diligenter incumbebant. Decurſo tamen poſt biennio idem venerandus Antiſtes in Hiſpaniam reuerti cogitauit, quod etiam & illi duodecim hæreſum impugnatores, qui tunctenus ſtrenuè militantes multos exantlauerant labores, facere decreuerũt. Atque poſt miſſam ad aratrum manum, vt in hiſtoria Albigenſi continetur, Gallico illo ſpiritus feruore quodãmodo extincto, ad propria loca omnes remearunt. At vero indefeſſus Patriarcha & Chriſti ſeruus Dominic⁹, quamuis ſolus relictus, magis de ſalute animarum quã de vita ſua ſollicitus, albeſcentem Chriſti meſſem conſiderans, licet zizania plurima infectam: operarios vero paucos redintegrato tunc ſpiritus feruore fidei clipeo munitus in eadem ſolus acie contra hęreſes militare non recuſauit. Hoc cõperto ſtatim eius zelo etiã ſub illius vmbra & illius exemplo commoti, remanere voluerunt aliqui feruidi charitatis

proximorum viri, virtute preſtantes , ex comitatu eiuſdem Oxomēſis Epiſcopi: & ſimul cum ſancto Dei famulo pro hæreſum extirpatione & fidei catholicæ deffenſione ſeipſos & animas ſuas in holocauſtū tradidêre. Quib⁹ tunc adunatis, egregius pater Dominicus Anteſignanus effectus, non minus immaculatæ vitæ exemplo quàm doctrinæ ſuæ ſoliditate, & debellabant hæreticos & fideles confortabant in dubiis. Non etiam hoc temporis curriculo: deſſiciebant indicia, quibus & vita & doctrina D. Patris approbata rutilabat, Dòminò cooperante confirmantéque omnia & ſequentibus ſignis. Namque donum linguarum, ſpiritus propheticus, gratia ſanitatum, aliaq; multa miracula quotidie in D. Patriarcha viſa erant. In bellis etiam contra hæreticos factis ipſe catholicos confortans milites crucifixi imagine in manu eleuata inter eos confidenter procedebat: vt teſtatur eadem effigies quæ multis ſagittarū ictibus percuſſa adhuc hodierna die reuerenter ſeruatur Toloſæ, in oratorio antiquo vbi fratres noſtri ante ordinis confirmationem apud caſtrum dictū Narbonenſe habitabant. Super omnia vero ita paupertatem deamabat in Albigenſium confuſionem, quod poſt ordinis confirmationem omnibus renunciare temporalibus fra-

tres ſuos iam apud Toloſam, de bonis huiuſmodi tettenis ſolicitis, omnino diſtrictiſſimè coëgerit, atque in ſecundo & vltimo generali capitulo Bononiæ ab eo celebrato idémet in vniuerſum matura conſideratione præceperit. Adeo autem paupertas hæc fuit obſeruata deinceps: vt etiam in conſtitutionibus antiquis, quas Andegaui manu ſcriptas an. 1242. perlegi præcipiatur, ne domorum noſtrorum parietes altitudinem viginti quinque pedũ excederent, néue cornices permitterentur erigi niſi in ſola ſacriſtia, quæ eccleſiæ (ſi benè memini) excederét hanc ſupradictam menſurã altitudinis. Vnde & in particulari adeo rigoſoſè paupertas etiam ſeruabatur, vt anno. 1254. celebrato quodã capitulo Prouinciali Teutoniç apud Vuormatiã ſub Alberto Magno Prouinciali tunc exiſtente Germaniæ deffinitum ſit, quod quidam frater conuerſus qui in Bethonia obierat, & fuerat compertum poſt eius mortem, illum habere extra conuentum aliquos nummos & veſtes repoſitas ſine prælati ſui ſcientia vel notitia, vt extumularetur. Atque ita priuatus fuit ille proprietarius frater eccleſiaſtica ſepultura. Et anno. CIↃ CCLVII. Auguſtç celebrato alio capitulo prouinciali ſub eodẽ M. Alberto Magno, quia Prior conuentus Mindenſis eques

venerat ad capitulum, per Prouincialẽ & diffinitores fuit publicè punitus hac illi pœnitẽtia ſic in actis iniuncta. Item Priori Mindenſi iniũgimus quinque dies in pane & aqua, quinque miſſas, tres pſalmos, tres diſciplinas, quia venit eques ad capitulum. Ecce paupertas, ecce humilitas, ecce ſpiritus Heliæ D. inquã, Dominici in primogenitis eius filiis. Vnde ille exemplo ſuo legem hãc firmare intendens, cubiculum nunquam aut proprium lectulum ad quieſcendũ habuit atque in vltima ægritudine conſtitutus alieno lecto ſiue ſtrato vſus eſt, vt habetur in libris bibliotecæ ſæpè memoratæ. S. Victorii Pariſini. Quare non poſſum non de pictoribus in hac parte conqueri qui pauperrimum Chriſti ſeruum proprietatis inimiciſſimum, cum claue vel alio ſimili proprietatis indicio à cingulo pendente, depingunt: & non potius virginis roſario, nudiſque pedibus, vt ipſe continuò per viam incedebat. Adhæſerunt tunc ſancto viro non ſolum aliqui ex familia ſupra dicti Epiſcopi, ſed & Toloſani nonnulli etiam pietate & religione tacti, ex quibus, numerus, vt fertur; ad ſextumdecimum vſque peruenit. Horum nomina ex variis collecta authoribus hæc ſequentia eſſe abſque dubitatione exiſtimo.

Cathalogus patrum ſacri collegii D. *Dominici quos ſocios habuit in prædicationis officio contra hæreticos Albigenſes in partibus Tolloſanis.*

Frater Matheus Gallus fundator conuentus Pariſienſis. Prior Prouincialis franciæ, Primus & vltim⁹ Abbas in ordine, vnuſque ex primis qui elegit regulam D. Auguſtini. Requieſcit in eôdem conuentu ad ſedem cantoris.

Frater Bertrandus Garrica Gallus natione, Prior prouincialis primus Prouenciæ, atque aliquando ſocius itineris Patriarchæ noſtri D. Dominici. In conuentu quodam ſororum apud Nouſquet in eadem prouincia quieſcit.

Frater Guillelmus Clarethi natione Gallus de quo narrãt authores quod prędicator feruentiſſimus atque Apoſtolicus fuit ſpiritu.

Frater Petrus Silanus vel Ceſlaanus Toloſanus genere, atque nobilis ciuis eiuſdem vrbis, qui ſe ordini pręd. deuouit ante eius confirmationẽ, atque illuſtres ædes quas poſſidebat prope caſtrum Narbonenſe patribus noſtris donauit ibidẽ in quibus habitarũt aliquãdo.

Frater Thomas qui illius germanus erat & ſeculo renũciato ſanctè in ordine vixit atque in eodem conuentu Toloſano dormit.

Frater Dominicus Hiſpanus D. Dominici ſocius indiuiduus, qui quamuis ſtatura puſillus erat ſanctitate tamen magnus apparebat

omnibus. Hic eſt qui vt in libro, vitæ frat. dicitur illęſus ſuper ignem ab impudica muliere viſus eſt cubare, dum ab illa tentaretur.

Frater Laurentius Anglus natione, qui poſtea cũ primis ſtudẽtibus Pariſius miſſus eſt.

Frater Dominicus Cubẽſis Hiſpanus, & inſignis prędicator, qui fundatorprimus extitit conuentus Scallabitani in Prouincia Luſitaniæ, atque ibidẽ miraculis clarus quieſcit.

Frater Guerinus Gallus ex Prouencia.

Frater Dominicus tertius, Hiſpanus natione, pietate clarus.

Frater Stephanus Metenſis ex eadem regione Gallicana.

Frater Ioannes Vicentinus, celebris concionator & ſanctitate vitæ miraculiſque inſignis.

Frater Mannes qui cum D. Patriarcha Dominico coniunctus erat carnali fraternitatis vinculo & qui etiam miraculis poſt mortem multis valde claruit.

Frater Petrus Madinus Hiſpanus virtutibus etiam & religione conſpicuus.

Frater Otherus Normanus natione, qui tãquam ſacri collegii miniſter, vitam conuerſorum in nouo ordine prędicatorum primus omnium profeſſus eſt.

Hi omnes viri illuſtres, pietatis amatores, verbi Dei precones ſimul cum Euãgelico vi-

ro Dominico prima ordinis fratrum prædicatorum iecêre fundamenta Toloſæ.

De primæua viuendi forma D. *Dominici & ſociorum eius, & de titulo hoc, Fratrum prædicatorum.*

POſtquam igitur ad hunc numerũ, Apoſtolicum D. Dominici collegium Deo prouidente deuenit: omnes hi patres inuocata primum diuini ſpiritus gratia ex decreta & præuia admonitione ſancti viri, voluntarii ipſorum Paſtoris, habitum regularẽ ordinis legitimi vel ſaltem primogeniti canonicorum D. Auguſtini, quem & ipſe D. pater iam ante geſtabat: omnes deuotè & vniformiter ſuperinduerũt. Deinde ad virginalem ſanctimonialium chorum pius pater procedens, quæ apud Prulianum erant recluſæ anno. 1214. eadem ſacra veſte D. Auguſtini illas fecit veſtiri. In hac vero Apoſtolica viuendi forma conſtituti, Epiſcopi Toloſani, & Simonis Comitis Montiſfortis fauoribus & eleemoſinis multis adiuti affectiq;: cæperunt illi venerandi patres diuino roborati numine officiũ prædicationis nouo feruore proſequi, hæreſum extirpationi conſtanter incumbentes. Anno autem CIↃ. CCXV. qui iam decimus erat poſtquam D. Dominicus

minicus cum ſociis ſuis Euangelicum exercebat miniſterium ſumma cum laude, non minori fructu Toloſanæ eccleſiæ, de nouo ordine inſtituendo quod iam diu cogitauerat, cuius officium eſſet per orbem diſcurrendo prędicare & fidem catholicam contra hæreticos defenſare: ſecum firma iam tunc mente deliberauit. Deinde, occaſione oblata cum Epiſcopo Toloſano Romam hac de cauſa petens, ab Innocentio III. oraculum, pręuiſo quodã à P. M. miraculo, accepit vt ad ſocios ſuos rediens aliquam omnes cũ illo regulam ab eccleſia iam approbatam eligerẽt, ſub cuius obſeruantia, nouum ordinem, profitentes prædicationi poſſent inſiſtere. Toloſam igitur vir ſanctus repetens comitia prima patribus illis indixit, quæ quamuis non tanto faſtu & ſolemnitate eſſent nec comitiorum nomine celebrata vt in hac noſtra fit ætate, maiori tamen boni communis zelo, minorique cordium difformitate ſunt abſoluta. Namque conuocatis omnibus in vnum atque ſpiritus ſancti imploratione facta, ſummi Pontificis reſponſũ D. Dominicus ſociis ſuis proponẽs de regula eligẽda eos ſuffragia ferre iuſſit. Poſt maturam vero deliberationem, doctoris & prædicatoris D. Auguſtini cuius iam habitũ geſtabant & officium gerebant ſiue exerce-

bant Apoſtolicum , omnes vnanimiter regulam elegerunt quam ille pro canonicis ſuis compoſuerat. Erat autem iam tum temporis apud omnes Toloſanos vulgare adeo & vſitatum, ſacrum illud collegium D. Dominici, fratrum prædicatorũ nominare, vt referunt authores aliqui, vt non aliter quando de illis loquebantur eos vocabant, niſi idiomate ſuo Gallico *les freres preſcheurs*. Contigit etiam in hac temporis intercapedine Innocentium III. P. Max. ad D. Dominicũ & eius ſocios, pro quodam fidei negocio, litteras Apoſtolicas velle dirigere, eiſque iam confectis cum Notario ſibi aſſiſtente de forma inſcriptionis ſupraponendæ aliquandiu vacillare. Poſt varias tandem litterarum illarum ſuperſcriptiones, quas non ſemel tantum aut bis immutare præceperat, hanc ſcribæ reſolutionẽ vltimã conſcribendam dictaſſe Magiſtro Dominico & fratribus prædicatoribus. Vel vt alii refferunt authores. Scribæ ſic. Magiſtro Dominico & prædicatoribus cum eo commorantibus. Poſt hæc Romam D. Patriarcha reuerſus, ſub eodem titulo fratrum prædicatorũ ordinis huius Apoſtolici ab Honorio III. qui iam Innocentio ſucceſſerat anno CIↃ CCXVI. 22. die Decembris confirmationem poſtulatam impetrauit. Ecce huius

nominis fratrum præd. etimologia. Primo enim fratres prædicatores illos vocarũt Tolosani, ſicuti & Anthiocheni Cipriotæ nouæ legis authores Chriſtianos. Secundò ſummus Pontifex Innocentius in ſuis Apoſtolicis literis. Tertiò Honorius III. in bulla confirmationis eiuſdẽ ſacri ordinis. Vnde non ſatis mirari queo quonam pacto vel ad quẽ finem autor quidam modernus in libro quem rerum pub. inſcripſit (qui liber cautè & attentè à catholico viro in multis legi debet) nomen hoc fratrum prædicatorum aſſerẽte auſus eſt ſe nullibi reperiſſe vel legiſſe à ſummis Pontificibus nobis eſſe impoſitum. Cum enim prædictus autor religioſus ſit ordinis Hæremitarum, qui ſub eadem regula D. Auguſtini etiam nobiſcum militat, atque ex fraterno amore non ſcommata, aut ſaltem certiſſima tantum, in proximorum ædificationem, non autem dubia ne dicam falſa, in lucem proferre deberet mirum eſt quorſum hæc mordicùs inuidioſéue protulit. Si quis vero adhuc maiorem de huius nominis etimologia probationem cupiat Nanetis in Britania, Andegauis in Aquitania, noſtras antiquas poterit conſulere bibliothecas, in quibus pluſquam viginti exemplaria autentiqua Apoſtolicarum

litterarum inueniet,Gregorii, Vrbani, Pauli,Iulii Pontificũ qui, poſt tranſitum D.Dominici ſedem Apoſtolicam immediatè, tenuerunt, & in eis ad diuerſos patres eiuſdem ordinis, Inquiſitores,Prouinciales, & Lectores pro diuerſis negociis literas ſuas mittẽtes,hac ſemper inſcriptione tam intus quam extra vſi ſunt. Si vero in aliquibus Galliæ prouinciis Iacopitę nominantur fratres noſtri ratio eſt quia hic conuentus Regiæ vrbis Pariſienſis in ędibus D. Iacobo Compoſtellano dicatis, & multi alii per totam Franciam in ordinis initio viuo adhuc D. Dominico, vt ſtatim dicetur,fuerunt erecti. Accedit ad hoc,quod mos eſt Gallis,vſitatiſſimus poſpoſita principaliori nominum & prænominum digna appellatione,breuitatis cauſa ſuccifis etiam & ſincopatis cognominibus (vt ita dicam) vnum quemque multotis vocitare.Non enim ignea illorum mens in aliquo benè patitur moras (de epulari tamẽ negocio non loquar in quo illis,breues dies hominis ſunt) quam ob cauſam ſępiſſimè in rebus agendis nec rationi locum dant,nec tempori.Ideo igitur natiuo fratrũ prędicat.nomine ſepoſito, Iacopitas nos vocant, ſicut & ſeraphici D. Franciſci filios cordigeros & trinitatis redemptionis, captiuorum patres, Maturinos.

De nouo habitu fratrum prædicatorum à virgine Maria Dei para conceſſo & nouo nomine tunc illis impoſito à Romanis.

IVerat autem hic ſacratus prædicatorũ ordo & ſub hoc ipſo nomine, iã pridẽ profetico prçuiſ⁹ ſpiritu, à viris multis probatę vitę atque ſpectatę virtutis, Romę Venetiis, Conſtantinopoli, vt latè patet in libro vitæ fratrum dicto & in hiſtoria D. Dominici ſcripta, per fratrem Mauritiũ eius diſcipulum quę incipit, Multifariè multíſque modis, & habetur in biblioteca conuentus regalis S. Ludouici Piſſiaci in Gallia, & Andegaui in Aquitania in membrana cõſcripta. Nam D. Bernard⁹ in ſerm. S. Andreæ Apoſtoli, Gregorius in Ezechielẽ, & in Lucam cap. 14. Abbas Ioachim, Heremita quidam Romanus, Stephanus Prior Carthuſ. Miles quidam Tẽplarius, & Sibillarum vna, omnes prædixerũt nouum ordinem prædicatorũ in mundo ſurrecturum. Ab Honorio igitur confirmatus hic ſacer ordo decurſis poſt paucis diebus, eiuſdem anni vt aliqui aſſerunt authores velut Magiſter Iordanus affirmat anno 1218. Deipara virgo cui Patriarcha Dominicus ordinẽ ſuum ſpeciali affectu deuouerat, reuelatione

facta viſibili cuidam ſeruo ſuo, habitus prædicatorum fratrum formam in hunc modum pientiſſimè demonſtrauit. Erat tunc temporis Romæ quidam venerandus doctor. Reginaldus nomine Decanus eccleſiæ S. Aniani Aurelianenſis in Gallia, qui ſimul cum Epiſcopo eiuſdem vrbis terram ſanctam luſtrare ſtatuerat, & comperta interim à quodam Cardinale D. Dominici fama illum aliquotiens reuerenter viſitabat magnáque proſequebatur deuotione, atque etiam, mente firmauerat abſoluta peregrinatione ſua. Hieroſolimitana quam intendebat, nouum prædicat.frat. ordinem intrare. Sed dum ſe ad iter parabat graui febri correptus, inſtantem iam mortem ſentiebat. Hunc repentinum caſum poſtquam ſeruus Chriſti Dominicus reſciuit,ægerrimè Reginaldi ægritudinem mortalem ferens, ad conſuetam confugit orationem & à Virgine ſacratiſsima, cui noui ſui ordinis curam & progreſſum penitus commiſerat,inſtantiſſimè efflagitare cœpit à filio ſuo vnigenito hoc ſuis impetrare precibus, vt modico ſaltē tempore ægrotantem Patrem Reginaldum ſibi concedere dignaretur. Eadem nocte in qua ſanctus Patriarcha has anxius fūdebat coram virgine preces, ecce eadem pientiſsima angelorum Re-

gina duabus comitata cœleſtibus puellis, ægroto Reginaldo & euigilanti, viſibiliter apparuit, atque cœleſti quodã liquore vnguẽto que tunc aures eius, nares, os, renes & pedes ſanctiſsimis quibuſdam verbis ad ſingulas vnctiones prolatis illum miraculoſè perunxit. Inter quæ verba, hæc tantum ad nóſuſque peruenerunt. Stringantur renes tui cingulo caſtitatis. Vngo pedes tuos ad præparationem Euangelii pacis. Poſt hæc die tertia addidit virgo puriſsima, tibi reſtitutionis ampullam & perfectæ ſanitatis mittam. Deinde ſacrum ordinis noui habitum Reginaldo oſtendens, En inquit iſte eſt habitus tui ordinis quem profiteri debes. Non latuit virum Dei Dominicum in oratione proſtratum, huius virginei congreſſus viſio & ſucceſſus ſpeciali ſibi reuelatione, eodem tempore facta diuinitus, atque die ſubſequenti maxima iam fiducia effectus, ad viſitandum infirmum exultans perrexit, illumque poſtquam ſalutauit iam omnino ſanum vel vt alii authores referunt conualeſcentem tantum & à periculo mortis omnino liberum conſpexit, atque ab illomet nocturnæ viſionis ſeriem quem ante cognouerat, libentiſsimè & lætanter audiuit, ſolus enim cum Diuo Dominico erat.

Triduo deinde tranſacto (vt legitur in bibliotheca S. Victorii) dum B. Dominicus & quidã religioſus pater Hoſpitalarius cum eodem Reginaldo in eodem illius hoſpicio ſedentes conloquerentur: ſuperuenit iterum beata virgo & coram illis, conualeſcentis ægroti corpus ſecundò pervnxit, ex quo tempore non ſolũ ęſtus febrium ſed & ardor concupiſcentię in eo fuit totaliter extinctus. Et ſicut ipſe poſt modum ſecreto cõfeſſus eſt, nec primus in eo motus libidinis vſque amplius pullulauit. Magiſter Iordanus in ſuo tractatu quem ſupra retulimus, ſe audiuiſſe aliquando Pariſiis in collatione fratrum à proprio ore D. Dominici hoc miraculum teſtatur, nõ tamen duplicem apparitionem ſed vnicã & abſente Patre noſtro Diuo Cœnobiarca Dominico. Et ita, apud tumulum eiuſdem B. Reginaldi in tẽplo noſtræ Dominæ de cãpis hic Pariſiis, effigies quædam inſinuare videtur. Cernitur enim ibi è regione ſepulchri in pariete, decumbentis Reginaldi imago, hoſpitalario ſolo ad caput eius ſedente indutóque veſte coloris iacinti, & virgine Deipara ex altera parte duabus comitata virginibus, Diuus etiam Dominicus à longè in oratione proſtratus apparet, atque miraculi hiſtoria in calce picturę eſt cõſcripta quamuis exparte non verè, cum ibi dicatur

Pariſiis miraculum contigiſſe. Satis enim conſtat Romæ & non hic Reginaldum ſanitatem & ordinis præd. habitum diuinitus recepiſſe. Poſt hãc virgineam ac cœleſtem viſionem ſtatim Patriarcha D. Dominicus ſe ſacro virginis habitu candido & nigro mutatis canonici regularis cuculla atque ſuperpellicio & rediuiuum ægrotum Reginaldum ſtatim vt aliqui volunt, etiam ſuper induït, deinde omnes fratres & ſocios ſuos quos iã in numero quadragenario Romæ habebat congregatos apud S. Sixtum. Huius forſitã miraculi diuulgata aliqualiter fama per ſacram & Põtificalem vrbem, in cauſa fuit, opinor, vt noui ordinis præd. profeſſores à Romana plebe, fratres habitus virginis Mariæ dicerentur vel vt refert D. Anton. 3. p. hiſt. fratres virginis Mariæ. Tamen fratrum prædicatorum nomen, à cõcionandi continuo & indefeſſo ministerio, poſtea magis frequẽs tritumque fuit quouſque tandem inualuit. Precipui patres huius primi nouique ordinis cõuentus recenſentur, fr. Tãcredus prior S. Sabinæ, fr. Othonius, f. Gregorius, f. Henricus.

De antiquitate & conditione primorum quatuor conuentuum fratrum & ſororum, Romæ & Tholoſæ

ANno 1216. æſtatis tempore conceſſa iam fuerat patribus Toloſę eccleſia S. Romani ad monaſterii conſtru ctionem, hactenus enim in ędibus quas Petrus Sillanus, vt diximus, conceſſerat habitabãt omnes: quę prope caſtrum Nar bonenſe ſitæ erant. Et Virgines etiam ſacræ apud Prulianum in nouo monaſterio iam pri dem erant recluſæ. Sed tamen tam fratres quam ſorores habitum regularium canonico rum D. Auguſtini nullo profeſſionis vel regu læ voto adhuc emiſſo, portabant. Romæ vero vſque ad virginis reuelationem ſimiliter fiebat, niſi quod ſorores antiquo ſuo habitu ordinis D. Benedicti quando ingreſſæ ſunt ſanctum Sixtum erant indutæ. Quapropter nondum quoad antiquitatem vel cœnobiorum fundationes huius temporis habenda eſt ratio, cum nec habitus nec regulæ formam, quam fratres predicatores proffitentur, tunctenus haberent. At vero poſtquam & ordo fuit confirmatus & virginis habitus receptus primum quem fratres ord. conuentum habuerunt fuit Romæ apud S. Sixtum, vbi fratres erant congregati. Deinde lapſis quibuſdam diebus ex ordinatione Honorii III. fratres iã ord. prædicatorum ad ſanctum Sabinum ſe transferentes, ſancti

Sixti domum, ſacris virginibus quas D. Dominicus ad clauſuram perſuaſerat de mandato eiuſdem P. M. conceſſerunt. Aſſerit Seraphinus Razius Italus natione quod hæc tranſlatio & ſororum recluſio fuit facta anno 1217. tempore Veris Dominica prima quadrageſimæ. Habitum vero ſacrum ordinis D. Benedicti quem & abbatiſa portabat & omnes ſorores illic recluſæ, Apoſtolica authoritate, poſtea dimittentes, à manibus D. Patriarchæ Dominici candidam virginis candidiſſimæ veſtem noui ord. receperunt. Hic ergo ſecundus erit conuentus ordinis primúſque ſororum, quorum primogenita fuit beata ſoror Siſilia quæ annum tunc agens ætatis ſuæ decimum ſeptimum, prima ſe deuotè nouo habitu virginis induenda, coram D. Patriarcha Dominico obtulit & tanquam viuus lapis fundamentum iecit poſtea conuentui ſororum S. Agnetis Bononiæ, deinde Abbatiſa & reliquæ ſorores, vſque ad numerum quadrageſimum quartum, habitum & ordinem nouum ſimul profeſſæ ſunt. Illarum nomina hæc tantum leguntur ſex quæ apud doctiſsimum Magiſtrum fratrum Seraphimum Razium numerantur in hiſtoria ſua quem compoſuit idiomate Italico.

Soror Siſilia primogenita D. Dominici.
Soror Conſtantia ianuæ cuſtos. Nimfa
Soror Theodora. Soror Theodramia, (ſoror
Soror Amara, quę octauo die poſt alias ſorores: ſeptem dæmonibus expulſis per miranda merita D. Dominici, ab eodē nouo hoc nomine illi impoſito, nouo etiā fuit habitu induta. His ergo iam erectis duobus monaſteriis Romæ, Toloſam rediens clauſtrum pro maiori parte cōſtructum in eccleſia S. Romani inuenit, atque ſocios ſuos aucto iam numero illū hilariter præſtolantes. Promulgata igitur ordinis confirmatione nouo virginis habitu eos induens, redditibus temporalibus renunciare præcepit quos iam, quamuis ſatis tenues, habebant ex gratuita Epiſcopi & collegii Toloſani conceſſione. Deinde Pruliani monaſterium adiens, ſorores ſimiliter candido virginis ſcapulari, Auguſtiniano habitu ex parte dimiſſo non minus interius quam exterius ornauit. Affirmant aliqui Autores non ſine difficultate aliqua, atque temporis decurſo ſpacio, tam reditibus quam habitui canonicorum regularium, Toloſanos primos fratres renunciaſſe, quamuis per literas ante admoniti eſſent à ſancto Patriarcha Dominico. Quod ſi verum eſt, non eodem anno quo confirmatio ordinis fuit obtenta miraculum cō-

tigit Reginaldo ſed poſtquã ſecundò D. Dominicus Romam petiit, ordine iam antea ſtabilito per Honorium III. vt aliqui opinantur authores.

De fundatione conuentuum aliquorum Hiſpaniæ & Luſitaniæ prouinciarum

ANno 1218. ordine iam in quatuor ſupradictis cõuentibus Romæ ſ. & Toloſę firmiter fundato: quatuor patres Hiſpanos ex ſociis ſuis ſupra citatis in Hiſpaniam patriam ſuam ſanctus pater Dominicus direxiſſe fertur, quorum nomina hæc ſũt. Frater Petrus Madritum vel Madinus, Frater Gometius, Frater Michael de Vziero, & Frater Dominicus, quem Cubenſem eſſe cognomine coniector. Hos patres ipſe etiam Patriarcha poſtea Hiſpaniam petẽs eodem anno 1218 ſecutus eſſe perhibetur. Et quamuis non multùm ſtatim proficerent in noui ordinis dilatatione, ex illis enim quatuor duobus remanẽtibus tantum alii quia operã in Hiſpania perdebant in Bononiã ſunt ab eodem remiſſi. Tamen quatuor extructa ſũt protinus cœnobia in eadem Regione, in Luſitania nempe conuentus Samorenſis & Scallabitanus quorum hic ſecundus fauore & expenſis Regis Sancii

erectus eſt,opera etiam &induſtria ſancti viri, fratris Dominici Cubenſis qui ibidem, miraculis clarus olim, requieſcit. In Terraconenſi vero prouincia conuentus Segobienſis pro fratribus & apud Madritum alius Regius pro ſororibus, fuit eodem anno inchoatus. Hæc quatuor monaſteria prima fuerunt in tota Hiſpania tanquã quatuor fundamẽta iacta pro quatuor celeberrimis Prouinciis multorum matres aliarum, quæ modo in eadem cõtinẽtur vt poſtea dicetur & ex quibus aliæ in Indiis orientis & occidentis ſunt ortæ.

De fundatione conuentus Pariſienſis *&* *aliorum primorum in* Prouinciis *Franciæ.*

EX reuelatione poſt hęc D. Dominico facta Romæ & Toloſæ in morte comitis Montis-fortis in qua fratres ſuos per orbem diſperſos Euangeliũ portare vidit, ſubiit illi in mentem, paucis Toloſę dimiſſis, reliquos ad varias mundi partes dirigere. Et cum poſt noui habitus ſumptionem, ordiniſque confirmationem Toloſam reuerſus hoc ſociis ſuis intimaret propoſitum, non parua omnes huius nouitatis tenuit admiratio tam ſubitæ mutationis, ſed quia illum ſpiritu dei gubernari cerne-

bant, nihil contradicentes, ſecundum illius diſpoſitionem ad itinera deſignanda & conficienda ſe pararunt. Anno igitur 1217. deſtinauit S. Pater Pariſius venerandum patrem & ſocium ſuum fratrem Matheum Gallum, qui iam in Abbatem canonicè electus fuerat, & fratrem Bertrandum Gallum Lingonenſem & fratrem Michaelem & fratrem Otherum Normanum ex profeſſione conuerſorum primum, cum literis Apoſtolicis ſupra noui ord. prędicatorum confirmatione, quò illas in vrbem Regia celebrique orbis vniuerſitate, promulgarent. Hæc ſecundùm authorem librorum quos apud S. Victorium reperi. Tamen Seraphinus Razius: & ante eum Magiſter Iordanus dicunt quod primi duo ſupradicti patres fuerunt prius ſeorſim miſſi cum literis Apoſtolicis: & poſt eos duo alii fratres ad ſtudendum, F. Ioannes nempè de Vanaria Gallus vel Italus, & fr. Laurentius Anglus, atque vltimò frater Mannes germanus eiuſdem D. Patris carnalis & fr. Michael de Vrſieres & frater Otherus Normanus conuerſus in miniſtrum illorum. Addit M. Iordanus, hos tres nouiſsimos velocius Pariſios appuliſſe quam reliquos omnes; & pridie idus ſemptembris (per

ſpaciūm trium heudomadarum, ante alios) Regiam hanc ingreſſos eſſe vrbem. Aliis vero quatùor poſtremis invia detentis, fuiſſe diuini tus reuelatum qualiter pariſiis recipi debe-rent & vbi etiam habitaturi primò & ſecundò atque de aliis multis ad noui ord. progreſſum ſpectantibus. Igitur vrbem ingreſſi, domum ſibi cōſtruxerunt, ait M. Iordanus, apud hoſ-pitalem B. virginis ante foreis pariſiēſis Epiſ-copi. Anno vero ſequenti 1218. (non deficiēte fauore ſum̄mi Pontificis Honorii III.) deuo-tione noui ordinis tact⁹ quidā Magiſter Ioan nes Decanus S. Quintini fratribus predicat. conceſſit domum hanc S. Iacobi, quam octa-uo idus Auguſti ſunt ingreſſi. Modicum vero poſt tēpus venit S. pater Dominicus Pariſſius ex Hiſpania reuerſus aut Roma vt aliqui au-thores referunt: & in domo S. Iacobi trigin ta fere fratres inuenit iam congregatos repe-rit ex pręcipuis doctoribus & Scolaſticis vni-uerſitatis. Inter cos F. Berard. Archidi. Ling. vnde exultans ſpiritu (vt de Chriſto Ioan. Euang. refert, noua ſeminis cœleſtis multipli catione) domum hanc S. Iacobi regulariter diſpoſuit, & clauſtrū, dormitorium, refecto-rium, ac cellas ad ſtudēdum ordinate deſigna uit. Hanc vero domum quam D. P. ſic condi dit vel diſpoſuit, inter omnes alios ordinis ſui

ſpeciali

ſpeciali amore ſemper dilexit, ſpiritu cœlitùs illuſtrato præuidens, celeberrimum hoc futurum ſeminariũ ſolidæ doctrinæ qua eccleſia Dei per multa ſecula mirè ſplenderet. Eodem verò tempore ex eodem tenero patrum collegio Pariſino B. pater miſit Aurelianum quoſdam fratres, quamuis iuuenes, ait Magiſter Iordanus, & ſimplices qui tamẽ tanquã parua ſemina, vberrimæ futurę meſſis principium fecerunt. Ad Lemouicenſem vero vrbem deſtinauit fr. Petrum Ceſlanum vel Cillanum vbi cuiuſdam monaſterii tantus pater conditor fauſtus extitit. Alios etiã in Remenſem ciuitatem miſit, qui duos cõuentus ibidem fundaſſe referuntur, vnum fratrum, alterum ſororum. Hæc ſunt prima Gallicarum prouinciarum exordia.

De fundatione Prouinciæ Lumbardiæ.

ANno 1218. cum D. Dominicus ex hiſpania Romam peteret, Bononiam deſtinauit circa eiuſdem anni principiũ, vt teſtificatur M. Iordanus, fr. Ioannem de Nauarra & fratrẽ Bertrandum, poſtea verò fratrem Chriſtianum cum quodam fratre conuerſo, vbi omnes paſſi ſunt diutinò magnas propter Deum penuriæ & ægeſtatis tribulationes. Refert fr. Serafinus,

cum his patribus Reginaldum etiam fuiſſe deſtinatum Bononiam, Iordano olim oppoſitum aſſerente, qui cum poſt emiſſam ordinis profeſſionem, ſanitate recuperata, terrã ſanctam prius luſtraſſe, atque propè principium anni 1219. 12. cal. Ianuar. reuerſũ eſſe & tunc BONONIÃ petiuiſſe. Vt cumque tamẽ ſit Rodolphus Faentinus in ordinis noui pręd. obſequium, fratribus illis primis eccleſiam D. Nicolai, cuius Rector erat, cõceſſit, atque ſeipſum eorum collegio ſociauit religioſus etiam factus. Prædicationibus verò feruentiſſimis B. Iordani fratrum numerus mirabiliter ibidẽ eſt auctus. Tandẽ D. Pater Dominicus in Gallias illũ remiſit, vbi ſuis concionibus & ſãctæ vitæ exẽplo, omnes in ſtuporẽ ferè vertit, ſed poſt, paucis decurſis mẽſibus fato ceſſit, & cõſũmatus in breui expleuit tempora multa.

De fundatione Prouinciæ *Angliæ & Scotiæ.*

IN Anglia, quidam venerabilis pater eiuſdem nationis primorũ ordinis cõuentuũ fundator extitit, qui frater Gilbert⁹ dicebatur. In capitulo enim ſecundo generali apud Bononiam celebrato, anno 1221. vel ad petitionẽ Anglorũ deffinitũ fuit vt fratres illuc deſtinaretnur. Dicit enim B. Iordanus quod in

prædicto capitulo generali miſſus eſt conuẽtus fratrũ in Angliã, cũ fratre Gilberto primo illorũ Priore. Alia verò eiuſdẽ Britaniæ portio quæ Scotia dicitur iã tunc vt conſtat ex annalib⁹ eiuſdẽ regni monaſteria aliqua habebat. Alexãder nãque 2. Rex Scotiæ dũ in Gallias deueniret, vt antiquũ fœdus cum Philippo Frãcorũ Rege innouaret, B. Dominicũ hic Pariſiis vidit, cõuenit, ab eóque octo fratres obtinuit quibus in ſuo regno recẽs ordo præd. erigeretur. Illorũ autẽ vnus frater Clemens vocabatur, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Dũblanenſis, qui in eadẽ ſede doctrina & pietate, ſatis benemeritus fulſit. Rex igitur in Scotiã reuerſus apud vrbem Bernik ad quã ſoſpes appulerat, pro gratiarũ actione primũ cœnobiũ ediſſicari præcepit trinitati dicatũ. Deinde verò alia ſeptẽ iuxta numerũ fratrũ quos acceperat à D. patre, atque ita quã citiſſimè vbique illarũ regione ordo fratrũ præd. mirè diffuſus eſt.

De fundatione Prouintiæ Poloniæ *&* *Vngariæ*

IN eodem initiantis ordinis tẽpore, Vngaria & Polonia fratres ord. pr. exultãter vidit & excepit. Fuit enim hic ſacratus ordo fundatus exultatione vniuerſæ terræ. Quando igitur D. pater D. Romæ nepotẽ Cardinalis ſuſcitauit anno 1216.

aderat fortè, Dominus quidam Iuo, Polonus natione & Epiſcopus Cracouienſis, atque tanti miraculi propriis oculis viſi, ſtupore & deuotione ſimul affectus, à D. Patriarcha enixè petiit vt aliquos ſibi cōcedere fratres ex ſuis dignaretur, qui in illis remotis regionibus Euãgelium prædicarent, atque nouum ordinē ſuũ plantarent. Sed quia ad tantã meſſē, adhuc operarii pauci erant, idē deuotus Epiſcopus poſtquam hoc reſponſum accepit à D. Dominico, illi nepotem quendam ſuum cum duobus aliis Ceſlao & Hermanno ex ſuo cōmitatu inſtruēdos tradidit, vt quod optabat aliquãdo obtineret. Hii tres Euãgelici inſtituti iugo cola libēter ſub mittentes, poſt regularis catacheſis annũ Romæ tranſactũ, in religione & doctrina Euãgelica ſufficiēter inſtructi, anno 1218. in Poloniã deſtinati ſunt, Hermano habitu cõuerſorũ profitente. Cũ verò iter agreſſi Firanzũ deuenirēt in Germania, rogati à ciuibus magna cũ deuotione populi, verbũ Dei ibidem predicãtes, cõuentũ ordinis fũdauerũt, qui ante ſex mēſeis (ea erat plebis deuotio) perfectè cõſtructus & plenus fratribus fuit. Poſt hæc, relicto illic Hermano Iacintus & Polonus Cracouià per rexerunt. Tandem ab Iuone Epiſcopo & omni plebe maxima cum

deuotione & lætitia excepti, in eccleſia Epiſcopali primū ordinis cōuētū, Epiſcopali ſede in alium locum tranſlata, erexerunt. Anno verò 1221. in Vngariā miſſus eſt etiam frater Paulus natione Vngarius cū quatuor ſociis, qui ibi multos etiā illuminando populos prædicatione & vita ſimul, aliquos ediſicarūt cōuentus, quos poſtea ſanguine ſuo martirio laureati, immortalitati cōſecrarūt.

De fundatione Prouintiarum Germaniæ.

IN eodem ferè tēpore, Belgicis efflagitantibus, miſſi ſunt aliqui Apoſtolici viri in illā Prouintiā, qui per Inſulas tranſeuntes deuotione plebis ibidem detenti, verbum vitæ diſſeminare atque cōuentū extruere cæperunt, proindéq; neceſſe fuit alios de nouo fratres in Belgicā deſtinare, qui Gandauenſē Louanienſéq; cōuētus voluntariis populi expenſis, & nō minori lętitia inchoarunt. In Saxonia etiam ad poſtulationē Archiepiſcopi Magdeburgenſis & aliorū Epiſcoporum, infra duos annos multi cōuentus erecti fuerunt. Inter eos autem conuentus Colonienſis anno 1224. cōſtructus, ſanctiſſimū fratrem Henricū Teutonicum Magiſtri Iordanis indiuiduum ſocium Priorem habuit. Attamen aliqui referunt Priorē Coloniæ, aliū Henricū extitiſſe.

De numero Prouinciarum in 2. cap. generali.

DEnique quam mirabilis, repētinúſq; fuerit progreſſus noui huius Apoſtolici inſtituti, quamque ſimilis illi quem lex gratiæ in primitiua ecclesia habuit, & ex ſupradictis & ex ſubſequentibus ſatis conſtabit. Quartus tantum agebatur annus poſt ordinis confirmationē quādo in ſecūdis comitiis generalibus, quæ B.D. Bononiæ habuit ann. 1221, neceſſe fuit propter Prouinciarum diuerſitatem ſub eodē inſtituto iā militātiū, vt ordo in octo prouincias diuideretur: vt in hac infra ſcripta ſupputatione patet.

1 Prouinciæ Hiſpan.		Segobienſis
prim⁹ Prouintialis fuit	Conuentus	Zamorenſis
frater Gometius aut	verò primi,	Scallabitan⁹
Dominicus Hiſpanus		Madritēſis.
		Toloſanus
2 Prouinciæ Frāc. pri-		Pariſienſis
mus Prouintialis fra-	Conuentus	Aurelian.
ter Mathæus vel Petr⁹	verò primi,	Remenſis
Cellanus Gallus.		Lemouicēſ.
		Prulianus.
3 Prouintiæ Lōbard.	Conuentus	Nicol. Bol.
1. prouintialis M.Ior-	verò primi,	Agnet.Bol.
danus vel Stephanus.		Mediolan.
4 Prouintiæ Roman.		S.Sixti
primus Prouintialis	Conuentus	S.Sabinæ
frater Clarus Italus	verò primi,	Venetus
vel frater Tancredus.		Florētinu

5 Prouintiæ Prouētiæ 1. Prouintialis frater Bertrandus Garrica,	Conuentus verò primi,	Narbonēſis Aquenſis S.Maximini Frizancēſis Inſulæ.
6 Prouintię vtriuſque Germaniæ 1. Prouintialis frater Henricus Colonienſis	Conuentus verò primi,	Magdeburg Colonienſ. Gandauēſis Louaniēſis
7 Prouintiæ Angliæ & Scotię,1.Prouintialis frater Gilbertus.	Conuentus verò primi,	Londinēſis Oxonienſis Canturiēſis
8 Prouintiæ Poloniæ & Vngariæ.1.Prouintialis F.Matthæus Epiſcopus & martyr.	Conuentus vero primi,	Cracouiēſis Viſprimēſis Silezienſis Silezienſis

De fundatione prouinciæ Græciæ & terræ ſanctæ.

EIſdem fermè tēporibus quibus ſupradictæ familiæ prædicatione ſūt erectæ,in Græcia & terra ſancta,ordo hic Apoſtolicus plantari incœpit. Anno enim 1219 circiter, diuina ſibi facta reuelatione frater Iacobus Sutonius Medialonenſis cōuentus filius, cū ſocio fratre Angelo de Baſilica S. Petri, Græciā petiit, vbi aliquibus patratis miraculis ad prædicationē Euāgelicā anhelans, cū magno totius populi ſpirituali fructu, aliquorū cœnobio-

rum,vt creditur, fuit fundator. Ex inde vero vanæ gloriæ vitādæ cauſa in Candiā trāſfretauit, ibique anno 1220, honorificè corā Deo & hominibus diē clauſit extremū,præceditq; ideo Prouincia hæc antiquitate Prouintiā terræ ſanctę quoad ordinis fundationē.In capitulo verò generali quem D.Pater ſecundò & vltimò Bononiæ anno ſequenti celebrauit,in eaſdem Regiones vltra marinas orientis, patres aliquos deſtinare inſtituit.Conſtat hoc non ſolum ex actis eiuſdē congregationis ſed & ex libro Magiſtri Vmberti,Vitæ fratrū dicto, vbi narratur de duobus patribus ad eadē comitia generalia proficiſcentibus,quod ab illis Demon,in curſoris effigie obuius apparens, quæſiuit quónā pergerēt,&quid in ea cōgregatione patrum ordinari debebat,An etiā aliqui fratres mitti deberent in Græciam, terram ſanctam,& in Vngariā,Ibunt reſpōderunt illi,Deo dāte quā plures. Quibus auditis curſor ille Tartareus honoribili voce ſtridēs *Ordo veſter,inquit,confuſio noſtra.*Et hæc dicēs in auras protinus euanuit. Igitur in eiſdē comitiis ſicut prædicti patres dixerant,D. Patriarcha,Domino diſponente, etiāque Demone timēte animarum profectū,fratres deſtinati ſūt multi tam in Græciā quam in terrā ſanctū, inter

quos quidẽ vnus illorũ ab aliquibus nominatur authoribus,dictus frater Brochardus. Erat autem eo tempore maior pars terræ ſãctę,dẽpta vrbe Hieroſolimitana,ſub Chriſtianorũ dominio, vnde patres illi Apoſtolici in principatu Anthiochiæ, in comitatu Tripolitano, Edeſſino, in Armenia minori & aliis eiuſdem Sirię partibus,in breui tẽporis curriculo multos cõuentus erexerunt,ex quibus prouintia terræ ſãctæ nõ multo poſt fuit ordinata cõpletè.Primi autem conuentus quos in illis trãſmarinis regionibus fratres prẹd.habuerũt ſunt.Apud vrbem Ptholemaidam,Acherontam olim dictã inuocationis S.Ioannis,vn⁹ alius Anthiochię,alius Tripoli. In inſula Citherea etiã quatuor fuerũt extructa monaſteria, quorũ primũ,quædam Comitiſſa Ludouica de Iblim in vrbe Regia Nicoſſia erexit,quod rex Hẽricus Luſignanus munificè auxit, 2. Nemoſiæ 3. Famagoſtæ,4.Vaſlæ.Hæc quatuor cũ aliis quæ in continenti Terræ ſanctæ florebant, hanc antiquiſſimã Paleſtinæ Prouinciã ex 22. cõuentibus conſtantem effecerunt. Anno etiã 1222. in capitulo generali Pariſino in quo & Magiſter Iordanus in Generalẽ fuit electus, denuò in terrã ſanctã alii fratres ad exequẽdũ munus illud etiam deſtinati ſunt.

De inſtitutione cantandi Salue Reginæ.

SIc igitur vt ſtelliferus hic ordo pręd.frat.,exortus & radicatus eſt, ſtatim malignus ſpiritus nouã viã excogitauitqua fratres cõturbaret. Anno. 1222. narrat B. Iordanus, quod cum ipſe electus eſſet in Prouincialẽ Lõbardiæ & eam viſitaret,contigit quẽdã fr. Bernardum in conuentu Bononienſi,vt à Deo ipſe petierat in purgationem delictorum ſuorum,eſſe corporaliter obſeſſum.At verò Angelus ille tenebroſus qui in ſuo ingreſſu ſub virtutis ſpecie & verbis modeſtis fratres ferè decipiebat, detecta poſtea M. Iordano diuinitùs malicia eius,turpiſſima iã verba clarè in fr. tentationẽ proferebat.Hæc fuit occaſio prima qua in conuentu Bonon. ante omnes alios cantari cæpit Salue Regina, deinde per totã prouintiã, denique per totum ordinẽ. Contigit eodẽ ferè tẽpore in conuentu iſto Pariſienſi, in quo fratres dæmonẽ maximè impugnabant , ab eodem etiam horrendè infeſtari. Nam huic, fornacem ardentem deſuper cadentem monſtrabat, illi formã ſpecioſæ mulieris ipſũ amplexantis . Vni aſinũ cornutum, illi ſerpentem ignitum oſtendebat. Aliqua aliis iocoſa aut horrenda verba inferebat.In tantúmque turbatio creuit vt

propter hæc fantaſmata & dæmonũ illuſiones, aliqui in freneſim caderent inter quos filius quidã Regis erat. Proindeque viciſſim cogebãtur fratres vigilias noctis cuſtodire. Quare remediũ excogitãtes efficax, ad virginem Dei matrem confugere decreuerunt, atque poſt complectorium, proceſſionaliter deuotiſſimã antiphonã, Salue Regina genibus flexis inchoata à toto choro cãtaretur. Ex tunc autem fugata ſunt omnia fantaſmata, & qui primũ vexabãtur fratres curati ſũt, inter quos ſupradictus filius Regis, qui in iſto conuentu erat cauſa prædicta inſanus, pleniſſimè eſt liberatus, & omnia in ordine deinceps proſperè ſucceſſerunt. Hæc nõ ſolum B. Iordanus, ſed & magiſter Vmbertus in libro vitæ fratr. p. 1. cap. 7. ſed & Thomas Brabant. lib. 2. de apibus cap. 6. aſſerũt. Quantum verò Regina angelorum hac veſpertina ſalutatione delectetur, nõ ſolũ tunc rei proſper euentus probauit, Bononienſi illo fratre Bernardo à Demone liberato, & viſionibus tartareis tam ibidem quam hic Pariſiis penitus exterminatis, ſed etiam in multis eiuſdem Dei genitricis reuelationibus, quæ latè continentur in ſupradictis authoribus.

De numero cõpleto Prouintiarũ cõuentuũ & fratrũ.

POſt hæc firmiſſima fundamẽta, in Deiparæ virginis deuotione iacta, ordo hic literis, virtute, patribus, taliter incæpit fulgêre vt mirũ eſſe videatur & appareat. Anno namque 1226. in capitulo generali Pariſiis acto, ſupradictis octo prouintiis quatuor ſunt adiectæ, Græcia, Terra ſancta, Polonia, & Datia. Poſtea verò ſunt additæ, ſex, deinde aliæ ſex, deinde tres, quib⁹ 27. numer⁹ cõpletur, nulla de Armenia maiori facta mentione. M. Antonius C. S. lib. 6. Aneadis nouæ loquens de ordine prædic. ſic teſtificatur.

M. Anto. Sabell. teſtimoniũ, ord. præd.

Innocẽtio III. ſedente duo Chriſtianæ pietatis luminaria affulcêre, quibus multũ ortodoxa creuit fides. Dominicus Calagurita nus Hiſpani generis, & Frãciſcus Aſſiſias in Vmbria Italiæ regione ortus. Hiſpanus ille cũ paucis quos ſibi delegit ſocios, nouã inſtituit obſeruationem nouumque habitũ, Nec tantum pietatem colere docuit, ſed pietatis lucem ſua prędicatione, vnde nomẽ habet. Nec facilè ſit refferre quot numero ſanctitate & doctrina clari in ea familia extiterint. Cenſebantur autem cũ hæc cõmentaremur, vna & viginti Prouinciæ Prædicatorum, cõuentus quatuor milia centum quadraginta

tria, & in his iniciati ſacris ſex & viginti milia quadringenti ſexaginta,quorum circiter millequingenti,eſſēt Theologicæ profeſſionis Doctores,multæ præterea familiæ huius in Armenia & Ætiopia, hodiè Indiam vocant.Ad hæc congregationes circa Biſantiū quorum numerus iniri non poſſit. Hæc ille. Nō meminit etiam Sabellicus Indiarū occidentalium,in quibus fratres Hiſpani innumeros populos ad fidem reduxerunt,neque orientalium in quibus etiā Luſitani fratres prædicatores multas ciuitates & Regna, verbo,vita & exemplo illuminarūt. Annuatim enim à Luſitania vela vētis laxātes,poſt ſex mēſium nauigationem,ad illas remotiſſimas regiones appellētes nulli parcentes labori,ſanguine ſæpe pro Chriſti fide fuſo,firmiſſimas eccleſias fundarunt, atque monaſteria multa pro ſeminariis Euangelicæ prædicationis alendis. Horum Signifer frater Eduardus Nunez fuiſſe dicitur ex conuentu de Auiario.Inter monaſteria verò illius Apoſtolicæ congregationis præcipua ſunt, Goenſe,Mallacenſe, Chaulenſe,Cochinēſe. Prouincia vero Luſitaniæ cui Orientalis iſta ſubeſt XXIII. conuentus fratrum habet, & XII. ſororum, quorū præcipui,tres ſunt Vliſiponę fratrum: & tres ſororum.

De Magiſtris & comitiis generalibus, ex bibliotheca Abbatiæ S. Victoru Pariſ. & libro fundationis ord. fratris Ioannis Teutonici.

ANno Domini CIↃ CCXVII. ordo præ frat. confirmatus fuit & prima eccleſia recepta Toloſæ.

Anno CIↃ CCXVIII. Beatus Dominicus à Roma pergens in Hiſpaniam, domos ibidem inſtituit aliquas & eodem anno domus hæc S. Iacobi Pariſienſis data eſt fratribus, licet alibi ante habitauerint, & idem Magiſter ſanctus ordini nouo præerat.

Anno vero CIↃ CCXX tenuit primũ capitulũ generale ipſeme B. Dominicus Bononiæ, & magiſter Iordanus in quadrageſima præcedente receptus ad ordinem & in illo cap. ſtatutum fuit quod fratres noſtri non haberent poſſeſsiones & quod capitulum generale vno anno Pariſiis, altero Bononiæ celebretur. Præfuit igitur quinque annis toti ordini B. Pater ab anno 1217. vſque ad 1222.

Anno CIↃ CCXXI tenuit D. Dominicus ſecundum capitulum generale Bononiæ & miſit fratres in Angliam, Græciam & terrã ſanctã & frater Iordan⁹ factus eſt Prouincialis Lombardiæ, & illo anno obiit B. D.

Anno Mileſſimo CCXXII. celebratum fuit Pariſiis primò cap. tertium generale in

quo electus eſt in Magiſtrum generalem B. Pater Magiſter Iordanus, qui ordinem rexit tredecim annis glorioſè, & fecit cãtare Salue Regina, ſub eo etiã fuerũt fratres primitus licentiati Pariſiis & habuerũt duas Scholas.

Anno CIↃ CCXXIII, fuit B. Dominicus ſanctorum numero & cathalogo relatus à Papa Gregorio nono & eius corpus tranſlatũ, & fuit quartum capitulum ibidẽ, Bononiæ nẽpe, celebratum à Magiſtro Iordano, quo anno iam in terra ſancta fratres habebant conuentus aliquos vt patet ex libro Vitę fratrum dicto. Deinceps vero ſeruata lege primi capituli generalis alternatim fuerunt celebrata comitia ordine ſemper ſeruato, Bononiæ & Pariſiis vſque ad annum CIↃ CCXXXVI, quo anno in capitulo generali Pariſiis celebrato (quod dicũt fuiſſe ſecundũ generaliſsimum) ille mentem ſuam aperuit qua decreuerat ire in terram ſãctam ad viſitandum fratres. Nã antea in cap. generali ibidem celebrato anno CIↃ CCXXVIII de hoc verba faciens multos ad eandem peregrinationem admiſerat, qui ſe vltro obtulerant. Profectus igitur in vltra marinas regiones Deo ita diſponente occulto ſuo, iudicio pio tamẽ & propicio, idẽ Magiſter Iordanus, tanquam alius Moyſes, viſa cominus promiſsionis terra, exorta tẽpeſta-

te cum ſociis duobus & multis ſecularibus perſonis vndis ſubmerſus eſt. Nec aliquem offendat hoc, cum etiam ſanctiſsimus quidam anachorita, à leone quodam deuoratus ſit, & cũ diſcipulus eius oſſa ſemimanſa Magiſtri ſui inueniret, atque in diffidẽtiã lapſus eſſet: reuelatum eſt illi ſanctiſſimum Magiſtrum ſuum ad purgãda quædam venialia ſic occubuiſſe. Non diſſimile B. Iordano contigit, qui poſtquam 25. annis ordinẽ rexerat, quamuis ſubita morte, ad cœlum migrauit. Extat epiſtola quædam in qua teſtimonium hoc veriſsimũ aparet, cuius hoc eſt exẽplar.

Epiſtola B. *Reginaldi & M. Godofridi, ſuper obitu M.* Iordani *& eius naufragio, in patribus tranſmarinis.*

VEnerabilibus & dilectis in Chriſto Priori & conuentui fratrum ord. præd. Pariſienſ. fratres Reginaldus & Godofridus eiuſdẽ ordinis, Domini Papæ pœnitentiarii, Sancti ſpiritùs cõſolationem. Noueritis nos recepiſſe quaſdã literas quas fratres noſtri qui morãtur Brũduſii, fratri Ioãni Priori Prouinciali Romanæ prouinciæ direxerunt. Quibus literis ſignificatur ſibi quod à peregrinis qui ſocii fuerant itineris fratris Iordanis Magiſtri or-

dinis & in eadem galea cum ipſo naufragiũ paſſi veris inditiis, vt pote qui libros fratrum & tunicas aportauerunt, acceperunt, quod inundante ſæuitia maris & ſuo impetu propellente prędictã galeam ad littus inſulę quæ dicitur Sathaliæ rupta eſt eadem galea & ſupradictus pater noſter dulcis memoriæ frater Iordanus cũ fratre quodam Gerardo & vno conuerſo periclitatus eſt ibidem, & multæ perſonæ aliæ numero nonaginta nouem pariter cum ipſis mortis periculum incurrerunt. Super hoc tamẽ chariſſimi non paueat cor veſtrum, licet auditionem audieritis in terrore, quia nobis orphanis & pupillis abſque patre, pius pater manet & Deus, qui cõſolationis remedia procurauit. Nam dum iacerent corpora inhumata, vt teſtãtur qui de naufragio euaſerunt, & qui tradiderunt eoſdem propriis manibus ſepulturæ, luminaria magna ſuper ipſos ſingulis noctibus effulſerunt, ad quod miraculum, licet infideles, qui Turci nominantur loci incolæ confluebãt. Sed & cruces de cera in eorum corporibus ſunt repertę, quodque adhuc mirabilius eſt, tanti odoris ab eis fragrantia procedebat, vt iuxta teſtimonium ipſorum qui eoſdem tradiderunt poſt viſa miracula ſepulturę, vſque poſt decem dies ab eorum manibus odor

nimius non receſſit. Sed & per circuitũ ſepulturę eiuſdẽ odoris ſuauitas latius emanabat. Locus autẽ vbi ſancta corpora requieſcunt vocatur Albiſium in contracta Sathaſiæ, quod vel quę dicitur Parſilenæ. Obierũt autẽ mũdo idib⁹. februarii an. CIↃ CCXXXVI. viuũt autem Deo in ſecula ſeculorum amẽ.

Tranſlatus fuit autem poſtea ad conuentũ de Achom vel tunc ſtatim, à fratribus, in cimba delatus ad eãdẽ vrbem Tholemaidẽ hic reliquiarum theſaurus vbi taliter etiam ab infidelibus veneratur, quod cũ à Turcis ciuitas eſſet capta anno domini CIↃ CCXC. circiter & monaſterium funditus eſſet euerſum intactum ſepulchrum in angulo quodam eccleſiæ immanes illi barbari reliquerunt, in quo corpus B. Iordani adhuc integrũ veſtibus etiam religioſis & omnino illęſis inuenerunt. Paſſi ſunt autem in eadem triremi naufragium, vt dicitur in libro vitæ frat. III. parte 37. capitulo, 99.

Anno CIↃ CCXXXVII. non celebrata fuerunt comitia generalia

B. Raimũdus 3. Magiſter.

Anno CIↃ CCXXXVIII. celebratum fuit capitulum generale Bononiæ, in quo electus eſt abſens in Magiſtrum ordinis fr. Raimũdus, de Pœna forti, ad quem miſſi ſunt à capitulo frater Vgo Prior prouincialis Prouenciæ, &

frater Philippus Prior ante in Siria & frater Stephanus Hiſpanus prior in Lombardia, & multi alii, qui omnes non ſine lachrimis hinc inde prius effuſis, ſanctũ ſenem Raimũ dum Barchinonæ quieſcentem, à curia Romana iam ante religioſè profugum, vt onus Magiſterii ſuſciperet perſuaſerunt. Hic ſanctus pater, poſtquam anno ſequenti Pariſiis capitulum generale celebrauit, anno cIɔ ccxxxx in altero capitulo generali officio generalatus: non ſine magno patrum mærore & diſturbio renunciauit.

Anno cIɔ ccxxxxI. Pariſiis celebratis comitiis electus fuit in Magiſtrũ S.P. fr. Ioannes Teutonicus olim Epiſcopus, qui ad ordinem ſe iterum contulerat, in hoc capitulo an. 1241. cum fratres electores Pariſiis variæ eſſent opinionis in eligendo Magiſtro, quidam ſanctus pater dum in oratione eſſet poſitus raptus in ſpiritu, vidit Magiſtrum Ioannem Teutonicum qui Epiſcopatui Boſinenſi ceſſerat, per clauſtrum iſtius conuentus in curru igneo procedentem, vnde factum eſt vt narrata viſione, in eo omnes electores miraculoſè conuenirent: & ita electus eſt in Magiſtrum, & tribus capitulis poſtea generalibus Bononię & Pariſiis alternatim de more celebratis quartum in Germania aſſi- B. Ioãne 4. M.

gnauit. In pariſienſi vero in paupertatis decore ordinatum fuit, vt veſtes fratrum examinarentur per viros paupertatis noſtrę zelatores, ante quam fratres illis vterentur.

Anno igitur cIↄ ccxlv. capitulũ Teutoniæ celebratum fuit in Colonia ſub eodem S. Magiſtro Ioanne de Vvildeſ-huſen in hoc capitulo, ordine iam per totum orbem difuſo atque fratribus curioſis domorum ſtructuris intẽdẽtibus: ſtatutũ fuit vt in eccleſiis noſtris non fierẽt prominentes ſculpturæ, nec aliæ curioſitates ſuperfluæ.

Vide D. Antonin 3. p. tit. 2. c. 18. 4.

Anno cIↄ ccxlvij celebratum fuit cap. generale apud Montem-peſulanum ſub eodem D. Ioanne Teutonico, in quo quando patres illic congregati gratiam ſpiritus ſancti himno dicto inuocabant, quædam deuota & illuſtris matrona ſoror Epiſcopi cuiuſdam ordinis noſtri deuotiſſimi, qui fuit poſtea Papa Clemens 4. vidit cum in Eccl. eadem oraret, eodem tempore copioſiſſimũ ignem in choro ſuper fratres cadentem.

Anno cIↄ ccxl. celebratum fuit Treueri generale capitulum ſub eodem ſancto Pontifice magiſtro Ioanne. Quia verò tunc ſecundum regulas & ſtatuta fratrũ, carnibus abſtinebant in comitijs etiam generalibus,

Deo ſeruis ſuis prouidente, apparuit tunc in Moſella flumine piſcis quidam magnus quē ſturionem vocant Germani, Galli vero ſtorgiō cuius ſimilis in illa regione nunquā viſus fuerat, qui mox captus, & ad comedēdū ſanctis illis fratribus in capitulo generali cōgregatis oblatus eſt à deuotis fidelibus. Hoc miraculum, in ſecundo ac tertio capitulo generali ibidem celebrato, contingit, vt ſuo loco annotabitur. Sequēti anno fuit celebratum Londinis, deinde Metis, deinde Bononiæ, quo anno mortuus eſt S. Magr.

Anno vero cIↃ cclIII non fuit capitulum generale celebratum, ſed ſubſequenti anno Budæ in vngaria, vbi patres elegerunt in magiſtrum gener. ordinis fratrem Vmbertū de Romanis de Trili, conuentus Lugdunenſis, qui pro tunc fuit Prouincialis Franciæ hic ordinauit officium Eccleſiaſticum ordinis, cōfirmatumque fuit à Clemente 4. Celebrauit autē hæc capitula generalia annuatim, Mediolanenſe, Pariſienſe, Florentinum Tholoſanum, Valentinenſe, Argentinenſe, Barchinonenſe, in quo capitulo, Prior Barchinō & patres à cōcilio fuerūt per diffinitores cōdēnati ad pœnā ieiunij ſolius panis & aquæ exceptæ per tredecim dies, illeque ab officio prioratus abſolutus: quia dormito- *S. Vmbertus 5. Magiſter.*

rium de nouo conſtructum, paupertatis noſtræ anguſtos præſcriptos limites aliquantiſper excedebat. Celebrauit deinde idem Magiſter capitulum Bononienſe, Londinēſe, in quo ceſſit Magiſterio regiminis ordinis anno cIↃ cclxiii.

Anno cIↃ cclxiiii celebratum fuit Pariſiis capitulum generale electionis, in quo F. Ioannes de Vercellis, totius obſeruantiæ exemplar Lombardus natione, electus fuit in Magiſtrum ordinis, qui ſequenti anno abſtinuit à capitulo generali.

Anno vero cIↃ cclxvi ſub eodem M. fratre Ioanne de Vercellis celebratum fuit Treueris ſecundò, vbi contigit ſimile miraculũ de Sturione quodã inopinatè fratribus capitularibus diuina prouidentia portato. Poſt hoc, annuatim ſubſequentia celebrata ſunt ſub eodem Magiſtro capitula. Bononienſe, Viterbenſe, Pariſienſe, Mediolanenſe Montiſpeſulanenſe, Florentinum, Pretēſe, Lugdunēſe Bononienſe, Pariſienſe, Burdegalenſe, Mediolanenſe, Pariſienſe, Exeminenſe, Florentinum, Viennenſe Montiſpeſulanēſe: anno verò ſequēti cIↃ cclxxxiiii, defuncto Magiſtro ordinis fratre Ioanne, non fuit celebratum capitulum generale.

Anno cIↃ cclxxxv. fuit Bononiæ celebra-

tum capitulum generale, & electus in Magiſtrum ordinis, frater Munio, qui tum actu erat Prior prouincialis Hiſpaniæ, & anno ſequenti Pariſijs comitia generalia habuit; deinde apud Burdegallam, deinde in ciuitate Luca. F. Munio 5. M.

Anno cIↃ cclxxxIx tam generale quã Prouinciale capitulum ſub eodem Magiſtro fuit celebratum Treueris. In eo ſeptingẽti quinquaginta fratres numerati fuerunt, & trecẽti famuli, quibus omnibus & multis aliis, incidenter confluentibus lautè omnia neceſſaria fuerunt miniſtrata. Rex enim Angliæ & Regina, de omnibus, fratribus munificè prouiderunt. Rex etiam Bohemiæ rogauit Magiſtrum ordinis vt futurum capitulum in regno ſuo celebrare dignaretur: quia ipſe ſe offerebat omnibus fratribus prouidere de neceſſarijs pro ſolẽnitate capituli. Illuſtris etiam Princeps Carolus filius Regis Apuliæ per literas ſuas humiliter & deuotè in eôdem capitulo petiit, dari ſibi centum quinquaginta fratres, quibus ipſe libenter volebat & domos conſtruere: & de neceſſariis ad victum & veſtitum prouidere. Patriarcha etiam Conſtantinopolitanus miſit ad iddẽ capitulum, rogans humiliter per ſuos nũtios, vt ei mitterẽtur fratres

qui Græcam linguam vellent addiſcere, quia paratus erat libętiſſimè centum ſtudentibus prædicatoriæ familiæ prouidere de neceſſariis expenſis. In hoc tertio capitulo Treuerẽſi tertiò cõtigit idem miraculũ piſcis ſturgii. Nam pauper quidam piſcator, inuenit circa littora in aquà quendam ſturionem latitantem, quem poſtquam interfecit ad terrã extrahens, vix cum quadam ſorore ſua reptando pertrahere poterat, qui viſus à populo nõ ſine nouitatis admiratione, à deuotis ciuib⁹ ſtatim emptus eſt atque honorificè preſentatus religioſis patribus capituli, qui à carnib⁹ ſtricte abſtinebant, fuitq; laudis Dei, lætitiæ honeſtæ, & ordinis gloriæ, occaſio nõ parua.

Annò verò ſequenti Ferrariæ capitulũ fuit celebratũ. Deinde Palentię, & ſtatim M. ordinis ab officio ſuo fuit abſolutus per Nicolaum 4. ordinis ſeraphici patris Franciſci.

Anno 1292. capitulum generale fuit Romę celebratum in quo electus eſt in M. ordinis frater Stephanus Biſuntinus, qui ſubſequẽtibus duobus annis duo capitula generalia tantum celebrauit, primum apud Montempeſulanum

Frater Stephan⁹ Biſu. 8. Magiſter.

Anno vero 1295. propter M. obitum nullibi comitia ſunt habita, ſed ſubſequenti anno in Argentina, vbi tam generale quam Pro-

uinciale capitulum concurrit. In eo verò electus eſt in M. ordinis frater Nicolaus de Treuiſio Lombard' qui poſtea fuit Benedictus XI. P. M. & in eodem cap. plus quã viginti Priores conuentuales à ſuis officiis abſoluit. Fuerunt congregati in hoc cap. octingenti fr. & totidem Milites. Eſt autem Miles quædam in Germania & Gallia antiqua nobilitatis nomenclatura, vt ex antiquis codicibus patet. Quadringentæ etiam matronæ nobiles, ſertis aureis & argenteis ornatæ, & reſidui promiſcui vulgi circa centum milia hominum recenſita ſunt. De proceſſionibus autem ſatis multis Magnatibus ſtipatus procedebat nouus M. ordinis, ita vt nec de D. Dominico nec de B. Iordano aut aliis primitiuis aliquid ſimile legatur. Hic S. pater antequam ad collegium ſacrum Cardinaliũ eſſet aſſumptus, tria tãtum tribus ſubſequẽtibus annis comitia celebrauit. Venetiis prima, deinde apud Inſulas, vltimo Metis, vbi ſimul prouinciale concurrit, & ſequenti anno, eo ad Cardinalatum aſſumpto capitulũ intermiſſum eſt. *F. Nicolaus de Treuiſi 9. Magiſter.*

Anno CIↃ CCC. celebratum fuit capitulum electionis Maſſiliæ at que electus in Magiſtrũ frater Albertus Ianuẽſis, qui tribus tãtũ menſibus, morte preuentus, ordinem rexit. *Frater Albertus XI. Magiſter.*

Anno cIↄ ccci. generale & prouintiale capitulum fuit celebratum apud Coloniam, vbi electus fuit in Magiſtrum frater Bernardus de Viſiaco Tholoſanus, ſequens capitulum apud Baſileam in quo capitulo congregati fuerunt quingenti & ſeptuaginta fratres, & cum à M. ordinis admonerentur, per literas vt ſe offerrēt ad prædicationis officiū & conuerſionem infidelium exercendam in Græcia & apud Barbaras nationes, adeo iam extinctus erat ſpiritus apoſtolicus patrum noſtrorum, & clauſæ erant Iani portæ quoad militiam noſtram vt nec vnus inuent⁹ ſit qui ſe ad hoc offerret, vt teſtatur in ſuo tractatu quidam F. Ioannes Teuto. qui vixit anno 1433. Hic Mag. duobus celebratis cap. annualibus, Bononiæ & Biſunti 15. cal. Octobris obiit ante ann. 1303. in quo propter eius obitū comitia generalia ſunt interciſa.

F. Bernardus 11. M.

Anno 1304. Toloſę celebratum fuit cap. generale in quo in M. ordinis electus fuit F. Aymericus qui annuatim ſequentia ſine intermiſſione celebrauit comitia Ianuēſia, Pariſien. Argentinenſia, Palentiana, Cæſarauguſtana, Paduana & Neapolitana, in quibus Magiſter ceſſit officio ſuo.

F. Aimericus 12. Mag.

Anno 1312. fuit celebratum cap. generale apud Carcaſſonem, in quo fuit electus in M.

F. Berengarius 13. Mag.

F. Berengarius Toloſanus, qui hęc annuatim celebrauit cap. Mentenſe, Londinenſe Diuionēſe, Montpeſſulanenſe Pāpilonenſe. Lugdunēſe verò anno 1318. celebratum fuit pro electione M. ordinis, cui oneri ſubeūdo. Herueus Brito fuit à patrib' deſignatus. Hic nouus M. ordinis annualia habuit quinque generalia Cap. Caturenſe, Rothomagenſe, Florentinum, Giennenſe & Barnienſe, quo anno nempe 1323. extremum clauſit diem, *F. Herueus 14. Mag.*

Anno 1324 apud Burdegallā fuit celebratum generale capitulum, & in eo electus F. Barnabas de Vercellis, qui ſequētia celebrauit annuatim in his locis. Venetiis, Pariſiis Perpiniani, Toloſę, apud Caniſtum, apud Traiectum, Victoriæ quo anno nempe 1331. obiit Pariſiis idem M. & ſepultus dormit coram ſede ſubcantoris: quo anno 32. propter eius obitū capitulum generale fuit intermiſſum. *F. Barnabas 15. M.*

Anno 1333. Diuioni fuit generale capitulū celebratum, in quo electus fuit in M. generalem F. Hugo capuanus qui annuatin octo celebrauit comitia generalia, Lemouicis, Londoni, Brugis, Valentiæ, impeditum à Papa, Claremonti, Mediolano, Carcaſſone, quo anno idem M. obiit in Auinione vbi tunc erat curia Romana, & poſt paſcha obiit *F. Hugo 16. M.*

Papa Benedictus.

F. Girardus 17. Mag. Anno 1342. apud eandem vrbẽ Carcaſonæ fuit celebratum cap. generale, & electus in M. F. Gerardus de S. Odomario Toloſanus qui non multo poſt euectus in Cardinalitiã dignitatem nullum ſuo tempore celebrauit cap. ſed anno ſequenti Pariſiis comitijs in-*F. Petrus 18. Mag.* dictis electus eſt in M. F. Petrus de Palma, qui anno 1344. cap. generale apud Podium celebrauit, & poſtea è viuis ſublatus, fuit in cauſa quominus ſequẽti anno celebraretur.

F. Garinus 19. M. Anno 1346. Briuis Prouintiæ Toloſanæ habita fuerunt comitia generalia in quibus electus eſt in M. ordinis F. Gaurinus Prouintialis Franciæ, qui duobus ſubſequentibus annis Bononiæ primũ & Lugduni ſecũdũ cap. generale celebrauit, obiitque ibidẽ.

F. Ioannes 20. Mag. Anno 1349. cap. generale fuit Barchinonæ vbi eſt electus in ordinis M. F. Ioãnes de Molendinis qui poſtquã ſequenti anno cap. generali prȩfuit apud Montẽpeſulanum: in ſequẽti feſto natiuitatis Domini euectus eſt in Cardinalatus dignitatem, atque ita intermiſſum eſt illius anni capitulum.

Frater Simon 21. Magiſter Anno 1352, habita ſunt comitia generalia in Caſtris opido prou. Toloſanȩ vbi electus fuit in M. ordinis F. Simon Lingonenſis. Hic annuatim octo habuit cap. nempe Bi-

ſuntinum, Narbonenſe, Pampilonenſe, Antiſiodorenſe, Venetū, Argētonenſe, Pagēſe & Derpinianēſe, in quo cap. quia nō affuit nec ſui rationem miſit propter quāda feſtinam legationem exequendam D. Papæ, fuit à diffinitoribus abſolutus, ſed tamē cognita re, per eundē ſummum Pontificem ad priſtinum gradum fuit reſtitutus.

Anno 1361. fuit cap. generale Brugis deſignatum, ſed occaſione orta celebratum Rothomagi ſub eodem M. deinde Ferrariæ, deinde Magdeburg, deinde Valentiæ, deinde Ianuæ, poſt quæ, idem M. ſi fas eſt dicere, ſuæ ſupremæ vocationis & regiminis oblitus, Epiſcop. Nanetenſem in Britania acceptauit, quod certe munus nec redditibus nec in aliis Pontificē Colonienſem in Germania nec Tholetanum in Hiſpania æquiparat, vt pro eo tanti M. cura dimitti libenter deberet. Sed ſemper, vt parabolicè loquar, Aphrica monſtrum genuit. Propter hanc cauſam anno ſequenti celebratum nō fuit generale capitulum.

Anno 1367. Auinioni habita ſunt generalia comitia in quib⁹ electus eſt in M. ordinis F. Helias, Pœnitētiarius Papæ Vrbani quinti, Toloſanus natione. In hoc cap. ordinatū fuit vt de biennio in biennium, tantūmodo F. Helias 22. Mag.

comitia generalia celebrarētur ac propterea deinceps non annuatim celebrata fuere: ſub M. Helia: quorum primum fuit Valentiæ Aragoniæ, ſecundū Toloſæ, 3. Florētię, 4. Bituris. 5. Carcaſſonę. His quinq; comitiis generalibus in circulo nouem annorum celebratis ſub M. Helia, ſedē Petri tenuit ſēper pacificè Vrbanus ſextus.

Anno vero 1379. Galliæ Cardinales non ferentes ſummi Pontificis, vt fertur, nimiā morum reformationem, ab eo defficientes elegerunt Auinioni quendam pſeudo Papā quem vocarunt Clementem 7. M. vero Helias qui antea, eiuſdem vrbani fuerat Penitentiarius vt diximus magis propriæ nationis quam Eccleſiæ Chriſti factus Zelator, derelicto vero Petri vicario vrbano Clemēti adhæſit, propter quodà Vrbano Apoſtolica autoritate fuit à ſuo officio abſolutus abſens & excōmunicatus, & ita diuiſa māſit tunica vel Eccleſia in duos paſtores ordo etiam noſter in duos magiſtros.

F. Raimūdus 23. M. Anno enim ſequenti 1380. legitimum generale cap. Bononiæ fuit authoritate Apoſtolica congregatum in quo electus fuit in Magiſtrū ordinis fraterRaimūdus deCapua ad cuius electionem conuenerunt omnes electores Prouintiæ Italiæ, & Germaniæ &

Angliæ,Vngariæ,Bohemiæ, Portugalliæ ſiue Luſitaniæ,Hiberniæ, Daciæ, Poloniæ. Tunc ſola autem Francia & aliqua pars Hiſpaniæ adhęſeruntClementi illi pſeudo Pontifici, atque in hoc obſtinato propoſito perſiſtentes,capitula ſua ſiue conciliabula eodē ferè tempore Galli & Hiſpani fratres continuarunt ab anno. 1380. vſque ad annū 1407. ſed notat huius hiſtoriæ autor, frater Laurētius Pignon Gallus natione & Prior cōuentusRemēſis,quod ex factione iſtaGallicana, intra ſpacium duorum annorū. mortui fuerunt ex fratribus, ordinis noſtri qui erāt ſub obedientia pſeudo PapęClemētis & aliorū, pluſquam mile centū fratres: & tres ſui M. ordinis, Helias & Nicolaus de Troia & Nicolaus de Valle oleti & Epiſcopus Ebroicēſ. & Niuernenſ. ex eodē ordine aſſumpti. Infra verò idem tempus, per quinquēnium Galli à ſuo Papa obedientiam ſubtraxerūt, de conſilio Magnatum & vniuerſitatis Pariſienſis,deinde iterum illū recipientes denuo obedientiā preſtiterunt anno 1407. poſtremo autem ſubtracta iterum obedientia de conſilio eiuſdem vniuerſitatis,declaratus eſt hæreticus, multis eiuſdē factionis hominibus vexatis & in Carceres coniectis. Hac de cauſa de capitulis generalibus illis hoc tem-

pore factis, à Gallis & Hiſpanis ex toto pretermiſis, & obliuioni traditis, tanquam illegitimis & nullius momenti; ad hiſtoriç reuertamur ſeriem.

Anno 1382. legitimum capitulũ generale ſub Magiſtro Raimundo celebratũ fuit apud Budam, in Vngaria qui annus ſecundus erat poſt eius electionem, ſecundũ noua ſtatuta, de celebrādis comitiis generalibus à biēnio in biennium, deinde apud veronam in Lombardia, deinde apud Viennam in Teutonia, anno nempe 1388. in quo de reformatione maxime actum eſt.

Anno vero 1389. Galli qui hactenus ſua capitula priuatim generalia ſub Anti-magiſtro ſuo Helia celebrabant quotānis, abſtinuerũt à comitiis generalibus; ſuborta tam graui perſecutione contra illos à vulgo ſcholaſticorum Parienſium propter opinionem circa materiam conceptionis immaculatæ virginis mordicus & pertinaciter defenſatam, vt incendium illud & ſcandalum non facile extingui potuerit. Nec immeritò, quia cum quæſtio hæc parum vtilitatis & multum ſcādali puſillis & idiotis afferat: conſultius erat & erit ſemper in his & ſimilibus (etiam ſi veritas demonſtratiuè cognoſcatur) contētionem vitare, ne videamur imperito vulgo angelorum

angelorū reginam (ſub cuius vmbra & deuotione ordo noſter ortus eſt, & floruit atque conſeruatur) minori deuotionis & amoris gratitudine proſequi, quā teneamur. Non enim iam mentis compotem iudicarē qui de hac quæſtione tā dubia & inutili atque ſcandaloſa: publicè vel priuatim diſputare vellet, nec pro vna nec pro altera parte.

Anno 1391. celebratum fuit ſub eodē M. Raimundo capitulū generale Ferrariȩ, triēnio iam ab alio cap. tranſcurſo. Ad euitandas enim F. laborioſas peregrinationes pro comitiis, non ſolum de biēnio in trienniū, ſed iam hac noſtra ætate in quadriēnium ſunt tranſlata. Hactenus ex codice S. Victorij & aliis antiquis.

Anno 1397. celebratum fuit cap. generale in Franck fordia vbi ſuper reformatione aliquorum cōuentuum fuerunt promulgatæ literæ Apoſtolicæ. Quia vero reliquorum M. ordinis & capitulorū generalium in quibus ipſi electi fuerunt, exacta ſupputatio in nouo libro conſtitutionum Romæ impreſſo continetur: ſufficiet eos curſim tantum deinceps recenſere omnes.

Anno 1401. electus fuit in M. 24 ordinis, poſt obitum Raimundi, F. Thomas de Firmo, apud Vtinum comitiis generalibus ce-

lebratis. Ex comitiis vero quę ille habuit ſuo tempore, alia fuerunt anno 1405 in. Nurimberga, vbi tria ſimul cap. Prouin. fuerunt celebrata, atque multa pro reformatione ordinis fuerunt inſtituta, Deinde, in capi. Florentino F. Leonardus Statius.
Bartolomeus Teix. quo tempore Galli & Hiſpani reuniti ſunt vero Paſtori.
Petrus Rochim, & poſt e. Guido Flamoche.
Martialis Gallus, & poſt e. Conradus Ital.
Martialis & poſt eum Leonardus Italus.
Saluus Siculus, & poſt eum Barto. Italus.
Barnabas Napolit poſt e. Ioach. Venitus.
Vincent. Bãdel. & poſt e. Ioan. Cler Norm.
D. Thomas Caietan. Romæ electus pręfuit.
Gar. Aloaſ. & poſt eũ F. Ferrar. Romę elect.
Paul. Ital. & poſt eũ I. de Fenar. Romę elect.
Aug. & poſt eũ Albert. de Caſ. Romæ elect.
F. de Caſt. & poſt eũ Step. Vſ. Romæ elect.
Vin. Iuſtin. & poſt eum Seraph. Ca. elect.
Sixtus Fabri, electus Romę præeſt adhuc iã aliquibus annis ſub quo fortunata deſiderãtur tempora ordine peſum vbique eunte.

Quia verò inter numerãdo viros illuſtres quos ordo hic ſacer parturiuit; neceſſariò præponendi erant, Magiſtri generales, tanquam fundamenta incipiendo ab Eccleſiaſtica Hierarchia in qua ſacri Pontifices primo loco numerandi hi ſunt.

Nomina ſummorum Pontificum qui ad Papatum ex ordine præd. ſunt aſſumpti.

PRimus pater ordinis noſtri, in quē ſacrū Cardinalium colegium oculos cōiecit, vt eccleſiæ Dei Paſtor vniuerſalis crearetur: fuit B. Ioannes de Vercellis, qui cum eſſet Magiſter ordinis anno 1283. poſt Nicolaum tertium electus fuit in ſummum Pōtificem, ſed ante quam Romam adiret vt cōnſecraretur, apud Montem peſulanum clarus miraculis extremum clauſit diem.

Secundus fuit B. M. Nicolaus de Treuiſio, qui cū eſſet generalis ordinis Magiſter, mortuo Bonifacio 8. electus eſt in Papam, & vocatus Benedictus vndecimus, qui & claruit miraculis in vita, & poſt mortem anno 1304.

Tertius fuit M. Petrus de Tarantaſia, qui electus in ſummum Pontificem anno 1277. vocatus fuit Innocentius quintus & ſex tantum menſibus ſuperuixit.

Quartus fuit M. Michael Alexādrinus, qui anno 1566. Romæ poſt obitum Pauli quarti electus fuit in ſummum paſtorem, & vocatus Pius quintus, qui ſanctitate & miraculis vt fertur, claruit & eccleſiæ maximum ſplēdorem dedit.

De Paulo quarto affirmant aliqui authores quod etiam ordinis præd. fuit primum

alumnus ſed ante quam profeſſionis emitteret votum, à parentibus ſuis fuit ab ordine, habitu exuto, extractus.

Cathalogus patrum, qui dignitates Pontificias repudiarunt ſibi oblatas.

APoſtolicæ ſedi digna prius habita reuerentia, ad quam qui aſſumuntur, pie credimus, ſi ritu ſancto Eccleſia dirigente vocari, lubet antequam de inferioribus dignitatibus, fratribus noſtris indultis loquamur, prius eos recenſere patres, qui intra clauſurã & volũtariæ paupertatis arcta ſepta ſe firmiter continentes, maioris altioriſque ſtatus precipitiũ, ex humilitate timentes, ordini ſuo vſque ad mortem, vt profeſſi erant inſeruientes: Cardinalatus, Epiſcopatus aliorumque honorum infulas abieccrunt.

D. P. noſter Dominicus, in Archiepiſcop. Tarraconenſẽ fuit electus vt affirmat Claudius à rota Iacobus de voragine, D. Anthoninus, Seraphinus Razius, atque etiam in Epiſcopum Cotorienſem. deinde in Citarienſem, quas omnes dignitates recuſauit, Chriſtum pauperem pauper ſequens.

D. Thomas de Aquino ab Vrbano 4. electus & vocatus fuit ad Archiepiſcopatum. Neapolitanum, quem recuſans, pro recompenſatione à ſummo Pontifice petiit vt fe-

ſtum corporis Chriſti in altari immolati celebraretur, quod & obtinuit, vt patet.

D. Vincentius Valentinus, Cardinalatum ſibi oblatum à Papa Benedicto 11. conſtantiſſimè recuſauit, & ita per totam Italiam, inſulis iſtius dignitatis à tergo poſitis, depingitur. Antea etiam Epiſcopatũ Illerdenſ. & Valentinenſem renuit.

D. Corradinus clarus miraculis in Italia, cum pro Eccleſiæ obedientia confirmanda magnos Bononiæ exiſtens Prior eiuſdẽ conuentus paſſus eſſet labores: à Martino quinto ad Cardinalitiam vocatus eſt dignitatem quam etiam conſtanter recuſauit.

F. Ioãnes de Allodiis Aurelianenſis canonicus & Cancelarius Pariſienſis, anno 1280. cum pręſciret ſe electum & deſignatum eſſe in Epiſcopum eiuſdem vrbis Pariſienſis in die reſurrectionis Domini, ad hunc conuẽtum veniens, moxque ſacro habitu indutus, anchoram tenuit ſacram. Iacet ſepultus in choro ad ſedẽ cantoris in eodẽ tumulo cũ M. Matheo depoſitus atque in manibus librum præſe fert ſiue rotulum cũ his literis. Nolite conformari huic ſeculo. Epitaphiũ deinde tale habet,

Suſcipe ſolemnes titulos deuote Ioannes.
Eccleſiæ Cancelarie qui Pariſienſis.

Dum fungens decore, gemino decorare decore.
Dum tibi collatum per Papam Pontificatum.
Non ſibi concordans renuis, huic ordini cordis.
Exemplo Chriſti mundum fugiens docuiſti.
Quod ruat in peius, quod gloria ſit breuis eius.

M.Gerardus vel Benardus Archidiaconus Lingonenſis viuente adhuc D. Dominico habitum ordinis ſui hic Pariſiis ſumpſit & tamquam Natael Chriſtum ita ille D. Dominicum videre cupiens cum Magiſtro Ior. huius rei gratia Italiam petiit. Electus vero in Epiſ. de Lomſana: acceptare renuit, atque ſanctè viuens in eadẽ vrbe migrauit ad Do.

M. Vmbertus de Roma. antequam totius ordinis M. eſſet, Patriarchatum Hieroſol. à Nicolao tertio ſibi oblatum recuſauit.

B.M.Raimondus de Pena forti, ad Archiep. Terracon. vel vt alii ad Epiſ. Barchin à Gre. nono electus, ab hoc onere ſummo humilitatis exẽplo ſe liberauit. f. Albertus de Talkemberg. Teuto de quadã Comitũ familia ortus & Regi. Galliarũ ſanguinis nexu coniũctus, à ſummo Põtifice electus eſt, propter famã ſuæ prudentiæ, religionis & feruentiſſimũ predicandi Euang. zelum, in Epiſcop. cuiuſdã vrbis, reſpondit. Securius & lætius moriar f. ordinis mei, quã Epiſcopi honore ſublimatus, M. Munio Hiſpanus, qui in of-

ſicio Generalatꝰ maximũ nomẽ ſuæ reliquit obſeruántię:ad Archiepiſ. Cõpoſt. vocatus renuit etiam illam Pontifitiam dignitatem.

M. Dominicus de Soto Hiſpanus Epiſco. Segobienſẽ à Carolo 5. oblatum recuſauit etiam,ſi verum eſt quod fertur.

M.Rainerius Piſanꝰ Epiſ.Claritanũ renuit.

B.F.Albertus Facheberg.Flander, Epiſco. oblatum noluit.

M.Ioã.Pariſ.Epiſcop.Aquil. nõ acceptauit.

M. Martinus Ledeſin. Hiſpanus lector primarius & meus M. iã emeritus in alma vniuerſitate Conimbricẽſi Luſitaniæ,à literarũ exercitio nunquã,&cathędræ moderamine deſiſtens,vſque ad ſenectam,cum in Epiſco. Viſenſiẽ.eligitur, conuentum & vniuerſitatis eiuſdem exercitia pluris faciens, intra ordinis clauſuram religioſè vſque ad mortẽ perſeuerauit. M. Ludouicus Granatenſis ad Archiepiſ. Bracharenſem,vt fertur,vocatus eſt & electus à Rege Luſitaniæ, deinde verò ad duos alios in eodem regno Epiſcopatus,numquam tamẽ hic venerãdus pater noſtræ Luſitanæ prouintiæ ſplendor à Rachellis amplexibus, à religionis inquam & ab ſpiritualiũ exercitiorũ ſopore abſtrahere ſe voluit.

M. Barthol. de martiribus eũdẽ Archiep.

poſtquam per obedientiã ſummi Pontificis conſtrictus acceptauit & rexit, per ſpacium ferè 20.anno. in quibus numquam ſuę religionis in victu & veſtitu, rigorẽ mitigauit, monaſterium quoddã ſuis ſumptibus prius conſtruens, ad ordinem confugit.

M. Ioan. Furtado Hiſpanus Archiep.Granatenſem repudiaſſe etiam fertur.

Multi etiã alij quorum nomina & laudes in ſupremo iudicio innoteſcẽt,terrenas multas dignitates repudiarunt quorũ nomina, vel ab illiſmet occultata de induſtria ſũt,vel obliuioni à noſtris tradita.

Cardinales aſſumpti ex ord. Præd.

HVgo de ſancto Charo Burgundus natione, anno 1244. ab Innocentio 4. factus eſt primus Cardinalis.ord. præd. & legatus Apoſtolicus in Teutoniam.

F. Hugo Viennenſis vel vt alij, Barchinonenſis factus eſt Presbiter Cardinalis.

F. Robertus de Bilibri Prouintialis Angliæ ab Innocentio 5. factus eſt Cardinalis Portuenſis anno 1278.

F. Thomas de Rore vel Iores Anglus & cõfeſſor Regis anno 1310. factus eſt Cardinalis Sanctæ Sabinæ.

F. Galterus Anglus anno 1303. factus eſt Cardinalis ſanctæ Sabinæ à Benedicto 11.

F. Nicolaus de Prato Italus Epiſcop. Spolletanus, deinde Oſtienſis & Card. an.1303.

F. Latinus Romanus ab Innocentio 5. factus eſt Card. & Epiſ. Oſtienſis an. 1378.

F. Giliermus qui puer vel iuuenis ſocius fuit aliquando D. Dominici, vt fertur, Cardinalis & Epiſcopus Sabinienſis.

F. Vviliermus Petri, vel de Baiona, vel Barbadenſis (omnibus enim his cognominibus à diuerſis notatur auctorib⁹) Toloſanus, an. gratiæ 1336. Card. primū ſanctę Sicilię trāſlatus & creatus Epiſcopus Sabinienſis.

F. Matheus de Vrſinis ab eodem Papa Ioā. 22. creatus eſt Cardinalis anno D. 1327. ſub titulo Eccleſiæ Sanctorum Ioan. & Pauli.

F. Anibald⁹ Roman⁹ Patritius ab Vrbano 4. anno gratiæ 1264. creatus eſt cardinalis.

M. fr. Guillelmus, Card. & Epiſ. Oſtienſis.

Fr. Hugo de ſenſeno Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.

Frat. Gerardus de S. Odomaro Tholoſanus cum eſſet Magiſter ordinis anno 1342, à Clemente vi. creat⁹ eſt Cardinalis S. Sabinę

M. fr. Ioannes de Molendinis M. ordinis anno 1352, factus eſt Cardinalis S. Sabinæ.

Frater Nicolaus de farinula, Gallus cōuentus Rothomagenſis, & cōfeſſor Philipi Belli dicti, Regis Franciæ Cardinalis S. Euſebii.

M. fr. Nicolaus Roſtelius Prouincialis Aragoniæ & cõfeſſor Regis, anno 1356. ab Innocentio factus eſt Cardinalis S. Sixti.

Frat. Ioannes Sicorum Toloſanus ab Vrbano quinto factus eſt Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis.

Frat. Guillelmus Sudic Toloſanus anno 1366. ab eodem Vrbano v. factus Epiſcopus Aſtienſ. Cardinalis & ſub titulo ſanctorum Ioannis & Pauli.

M. fr. Guilelmus Anglus anno 1303, à Benedicto xi. factus eſt Cardinalis S. Sabinæ, ſed cum ad eum Apoſtolicæ literæ erant directæ, iam ad Dominum migrauerat.

M. fr. Hugo Billonius Claremõtanus Epiſ. Lugd. factus Cardinalis à Nicolao 4. anno vel à 1290. Celeſtino Papa factus eſt Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, niſi ſint duo diſtincti eiuſdem nominis.

M. fr. Nicolaus de S. Saturnino Prouintialis Franciæ Mag. ſacrj palatij anno circiter 1380. Cardinalis. obiit Auinioni.

B. fr. Ioannes Domin. anno 1406. legatus in Vngaria Cardinalis, ſub titulo ſancti Sixti clarus miraculis.

Fr. Ioãnes de Turrecremata legatus in Gallia & Cardinalis tituli S. Sixti, anno 1439. in cõuentu Andegauẽſi infulas dignitatis hu-

ius ſolemniter ſuſcepit, eſt que ibidem in vitrea quadã feneſtra hui⁹ rei hiſtoria depicta,

B. fr. Martinus de Frangipanis Cardinalis.

Fr. Nicolaus Frõbergius Sueuus natione. à Paulo III. creatus eſt Cardinalis.

Fr. Gerardus Lemouicinus Cardinalis.

Fr. Nicolaus de Munchinis Napolitanus Cardinalis tituli S. Siriaci.

Fr. Philipus Guezza Roman⁹ ab Vrbano VI. factus eſt Cardinalis tituli S. Suſanæ.

Fr. Ioannes de Caſtro nouo Aragonenſis Cardinalis S. Sixti, vel quatuor coronatorum, & Epiſcopus Oſtienſis.

Fr. Ioannes Toletanus, germanus cuiuſdã Ducis Hiſpanici Cardinalis tituli S. Sixti.

Fr. Ioannes de Raguzio Cardinalis.

F. Ioannes de Caſa noua Cathelanus, anno 1430. Cardinalis S. Sixti

F. Gartias de Loaſia Cardinalis S. Suſanæ.

Fr. Nicolaus Scomberus ſiue Alemanus Cardinalis & Archiepiſcopus Capuanus.

F. Thomas de Bade de Modenar Card.

F. Bertrandus de Modena Cardinalis.

F. Thomas de Badia Mutinenſis Card. tit. S. Siueſtri à Paulo 3. creatus, qui Caietani opera in concilio ne damnarentur, contra cordigeros deffendit acerrime.

F. Petrus Bertrãd. Mutin. Card. tt. S. Marcel.

F.Nicolaus Alemanus.Card.& Arch.Cap.
F.Nicol.de Chuſa Card.tt.S.P.Epiſ.Brix.
F. Archangelus de Gambello antè Epiſcopus Theanus,poſtea vero Card.ſub Pio 5.
M. Vincent.Iuſtin. in officio generalis cum eſſet Legatuſq; in Hiſpan. Card.factus eſt.
F. Michael.Bonel. Alexan.Card.ſub Pio 5.

Cathalogus fratrum qui pro fide chatholica tuenda per totum orbem martirio ſunt coronati, vel ab infidelibus occiſi.

S. Petrus Veronenſis, Inquiſitor hæreticorum vitæ ſanctitate, fidei zelo clarus, & Diuorum numero relatus, in tota inclita eccleſia cognitus ſatis celebratur.

B. frater Theocorius primus inquiſitor in ordine,pro fide tuenda anno 1228. in Germania martirio coronatus,Anteſignanus chori hui⁹ roſei ab Autoribus multis eſſe dicitur atque Protomartir non canoniſatus.

B. nonaginta fratres,in Vngaria iuxta Leādri ſententiam anno 1222.à Tartaris pro fide martirio coronati ſunt.

B. fr. Paulus Vngarus cum duobus ſociis anno 1230. martirium pro fide conſumauit.

B.fr. Ioannes Vngarus Epiſcopus,an.1230 pelle adhuc eo viuēte extracta,martir.abſol.

B. fr. Nicolaus Vngarus, Epiſcopus,lapidi

bus occiſus, martirium obtinuit.

B. fr. Guilelmus Arnoldi inquiſitor, cum duobus ſociis an. 1240. Tholoſæ iuſſu hereſiarchæ comitis Toloſani apud Auinionem martirium obtinuit, quorum vnus fr. Bertrandus vel Bernardus de rupe, alter verò fr. Garcias de Aura dicebatur.

B. ſex præd. fratres Toloſę iuſſu comitis ſunt decolati qui capita lumine cœleſti præcedente in manibus reportantes, & ad monaſteriũ reuertentes, martiriũ cõſumauerũt.

B. frater quidam princeps innominatus, Dux olim magnus in Polonia, relicto filiis Principatu ſuo ordinẽ ingreſſus eſt, deinde vero irruentibus tartaris, fratribuſque à cõuentu aufugientibus, obtinuit à Priore vt cũ remanẽtibus infirmis per miteret ſe in eorũ ſolacium remanere. A tartaris igitur cõprehenſus membris conſciſis, cerebròque per eccleſiã diſperſo, quando fratres poſtea conuentum repetierunt hunc Beatũ religioſum in modũ crucis expanſum pronumque prope maius altare inuenerũt an. 1262. & ſtatim quadam reuelatione ſubſecuta innotuit, de eius perpetua fœlicitate.

B. frater Berengarius Archiep. Cracouiẽſis in Vngaria lancea per latus dextrum confoſſus & viuus decoriatus, martiriũ pro fide

Chriſti conſummauit anno 1230.

B. frater Ioannes Vngarius, inquiſitor Toloſanus cum ſex fratribus lapidibus obrutis, lancea ille confuſus martirium abſoluit feliciter, qui forſan idē eſt cū epiſ. ſupra citato.

B. frater Sadoch Polonus ſtrangulatus in Vngaria anno 1222. vt aliqui, vel anno 1270. cum quadraginta octo fratribus aliis martiriū vario mortis genere omnes abſoluerunt.

B. frater Bartolomeus Ceruerius, inquiſitor Poloniæ, ab hæreticis fuit occiſus atque Martirio Laureatus.

B.3. fratres in Vngaria an.1240.vel ſaltem anno 1260, in mare ſunt merſi molis ad colla ligatis, per impias Turcarum manus martirium, conſumauerunt.

B. frater Antonius Pauo de Saliano inquiſitor, Poloniæ, Martirio coronatus.

B. frater N. Boſingena, Florentinus, ſerra ſciſus à capitis vertice vſque ad aures, martirium conſumauit.

B. frater Adrianus vel Albert⁹ Prior in Vngaria cum viginti quinque fratribus à Turcis fuerunt ſtipitibus perfoſſi ſiue infixi propter fidei conſtantiam, & martirio coronati, anno 1240.

B. frater Chriſtianus Patriarcha Antiochenus, anno 1270. vt narrat Petrus de Pa-

Iude,& Seraphinus Razus capta eadem vrbe pontificali veſte indutus,propè altare maius noſtri conuentus,cũ quatuor aliis fratribus àTurcis vel Tartaris irruentibus,pro fide telis cõfoſſi,martiriũ glorioſũ cõſũmauerunt.

B. frater Paganus inquiſitor apud Cumas in feſto ſancti Stephani an. 1277. martirio coronatus eſt, & miraculis claruit

B. frater Franciſcus Toloſanus, pro fide tuenda ab hæreticis ſpinis coronatus,ſagitis confoſſus, martirium impleuit

B. Dominicus ſancti Petri martiris ſocius, quinta die poſt eius tranſitum glorioſum, ex vulneribus tũc ab hæreticis receptis,martirium conſumauit.

B.F. Guido Longimelus cum quodam ſocio ſuo apudCumanos,prope vngariã vel vt alij melius dicunt in partibus tranſmarinis prope Anthiochiã an.1270 mart. caronatur,

B.F. Pontius Hiſpanus an. 1243.vel vt alii an. 1292.Inquiſitor Catholicorũ in cathalo uia,veneno interficitur propter fidei zelum ibidẽque claret miraculis apud Vergellam.

B. fr. Benardus propter fidei defenſionẽ, ſerra diuiſusfuit ab hereticis an.circiter 1270

B. fr. Ioan vngarius inquiſitor Toloſa. cũ quinq;ſociispro fide ocubuit,lãceáq;cõfoſſ⁹

B.frs. centũ & ſeptẽ in partibus vltra mare

poſitis quando terra ſancta fuit à paganis iterum occupata pro fide Chriſti occubuerunt, anno circiter 1280, vel 1290.

B. etiam multi fra. quorum numerum tercenteſimum excedere, autores affirmant, apud Vngaros pro fide occiſi ſunt.

B. fr. Petrus de Caderata, inquiſitor hereticorũ pro fidei zelo Martirio coronatus interficitur ab hereticis.

B. fr. Concordius Alemanus, inquiſitor, eodem fere tempore martirio coronatur.

Declinante verò iſto primorum patrũ feruore adeò ordo peſũ iuit poſt hæc feliciſſima tempora, quod deinceps in ſpacio circiter tercentorũ annorum vnus ſolũ ex fr. noſtris legitur inter medius poſt fidẽ tamẽ pri* abiuratam martirio coronatus. Is fuit, frater Anthonius de Ripolis diſcipulus D. Antonini qui apud Tuniſium conſtanter fidem profitens Chriſtianã, lapidibus obrutus, deinde combuſtus martirium glorioſè conſummauit.

Anno antẽ 1520. iterum ſpiritu Heliæ, Patriarc. inquam noſtri D. Dominici, repululante, aliqui Fra. pro fidei catholicæ defenſione vitã mortalem contemnere incœperunt, inter eos autem primus quidem fuit B. fr. Franciſ. Cordubenſis, dum euangeliſando

liſando occidētales Indias luſtrat: à paganis occiditur cum aliquibus ſociis, atque martirio coronatur.
B. fr Renatus Poiuet, in Gallia martirio pro fide coronatus eſt.
B. fr. Frāciſ. Toloſæ, ſpinis coronat⁹, ſagittis cōfoſſus mart. ſuum glorioſè conſumauit.
F. Anthonius Vrgellenſis, lancea occiſus martirium impleuit.
F. Ant. Vrſi ab hæreticis mart. coronatur.
F. Anthonius Vviliers fame perſequutus ab hereticis, periit.
F. Anthonius de Roſa fame periit propter hæreticorum perſecutionem.
F. Franciſcus Picardus cum 4. ſociis in mare merſis, lancea transfixus eſt.
F. Ioan. Soyerius, nouit. F. Ioan. Boleth.
F. Petrus Gilliotus. F. Ioannes de Torta.
F. Ioannes fœrn. F. Ioannes Argempſonis.
F. Ioannes Cabaſius. F. Ioannes Iunius.
F. Ioannes Mirabelli. F. Ioannes Targallus
F. Ioan. Picardus. F. Vicentius de valleuiridi Epiſcopus Indorum.
F. Iaon. Fegen Gallus. F. Robert. de Beloiſu decoriat⁹ & diuiſus eſt pro fidei cōſtātia.
F. Petrus Mereto Claremontenſis ab hæreticis occiſus eſt.
F. Concor. inquiſitor, in Germā. mart. corō

B. F. Hieronimus de cruce Luſitanus & Oliſipōne meus in domo nouitiorum contemporaneus, dum fidem prædicat Indis & RegemSiō cum multis ex illius ſubditis in obſequium Chriſti reducit, & ſemel ſacra faceret ab hierodulis indignantibus, ſuſcitata perſecutione lancea transfixus, glorioſum mart. conſumauit. F. Anth. Peſtana, poſt eum ibidē etiam pro fide plantanda & tuenda mart. coronatur. F. Apolinar. Vien. F. Robertus Culuan. F. Leonard. Talaſij. F. Guilidinus Brelian. F. Iacobus Magiſtri. F. Raimundus de Plano, cui hæretici proprios oculos comedendos obtulerunt. F. Augerius de Montealto. F. Laurētius Frāconii, viuus combuſtus. F. Ioannes Malchd. F. Ioannes Garcez. F. Anthonius de Vald. F. Ludouicus Caſuicel cum duobus ſociis, apud Indos. frat. Ioannes. Blak Scotus letaliter percuſſus, dein veneno ſublatus martyrum conſummauit. F. multi quorum numerus nec nomina certó ſciuntur cōprehēſi ab Hereticis in Scotia cum aliis Sacerdotibus & viris eccleſiaſticis vſque ad numerū 517. propter fidei conſtantiam fame, ſiti, frigore, aliiſque variis mortis generibus, coronati ſunt. In Anglia autē ſub iſta grauiſſima perſecutione, quod ſint extincti l. coniicias.

Regiſtrum Beatorum patrum confeſſorũ qui ſanƈtitate & miraculis in vita vel in morte claruerunt.

B.P. Dominicus in vita & in morte miraculus & ſanƈtitate clarus ord. prȩd. Fundator.
B.P.S. Thomas de aquino Doƈtor Eccleſiȩ.
B. P. S. Vincentius Valentinus Prædicator.
B. P. S. Anthoninus Archiep. Florentinus.
B.P. S. Benediƈtus xi. Pontifex Maximus.
B. P.S. Gondiſaluus Amaranthus Luzitanus, dequo celebratur officiũ ſicut deſupradiƈtis
B. F. Arnol. Mõtis peſulã. B. Albert. Siculus. A
B. F. Ambro. de ſenis B. F. Auguſt. Vngarius
B.F. Albertus Aleman. B.F. Auguſt. de Vincẽt.
B.F. Angnus l. Aug. Flãder. B.F. Arnol. Treuer.
B. F. Ardigonus Mediolanenſis, miraculis clarus annno 1288. B. F. Alarius Hiſpanus
B. F. Andreas Flander. B. F. Auguſtinus Buiſella venetus, clarus miraculis poſt mortẽ.
B. Frater Andreas de Peſchera Morliuius
B.F. Ant. de s. Germ. B.F Ant. de †. Bononiẽ.
B.F. Anthonius de vercellis, reuelationibus & ſanƈtitate vitȩ clarus an. 1458. B.F. Alanus de Rupe Hol. reuelationibus & vita clariſ.
B. Frater Barnabas Druzius Mantuarius. B
B. F. Bern. de Tranſu. Gaſco, multis clarus miraculis. B. frater Benardus Lingonienſis.
B. fr. Benediƈtus de Ponte Claremontenſis
B. fr. Ben. mõtis peſul. B. fr. Bern. de pupi Fõt.

B.fr. Bonapena Peruſinus B.fr.Brit.Anglus èxcuius tumba oleum reſudabat olim. B. fr. Bart. Aragonēſis apud Agē quieuit an.1261. B. frater Bernardus de Cauſia Toloſanus. B.fr.Bern.vaſco Luſitaniæ apud Sātirenam.

B B. f.Bernard.Gerar. Toloſ. B.fr. Bonifacius B. frater Bernardus de Tranſuuano.

C Bea. frater Corard' Teuto diſcipulus S.D. B. fr.Clarus Bononiēſis B.fr.Corardus Teuto an. 1260. B. fr. Corardus Conſtantienſis Prior, B. fr. Corardus Bononienſis B. fr. Corardus Breſcienſis B. fr.Corardus de Pruſia B. frater Conſtius de Fabriano.

D Bea. fr. Dominicus de Valentia,B. fr. Dominicus de Cubo Santirenēſis,B. fr. DominicusHiſpanus,B.fr.Dominicus Segobiēſis, B.fr. Donat. Hetruſcus, B.fr.Dauid Anglus B.fr.Dom.Cathal.B.fr.Didoc. de Bermud.

E B. fr.Ægidius Sāctirenēſis,B.fr.Philippus Marin. Saon. B. fr. Ægid. de S. Odomaro. B.fr.N.Fabrianenſis,B.fr.PhilippusPiſanus B. fr. Erardus Teuto,B.fr.Egnat. Luſitanus

F Bea.fr.FerdinandusSanctirenenſis.

G Bea.fr. Gualterus Teuto, ſtigmata 5. Paſſus eſt,& vulnus lanceę. B. frater Guido de Neapoli B.fr. Guilelmus de Sazeo.B.fr.Gerardus Cauſterenſis B. fr. Guilelmus de Monte peſulano B. fr. Guilelmus Anitenſis

B. fr. Guilelmus Arelatenſis præuiſa diuinitus morte obdormiuit, B. fr. Guido de Ludunio, B. fr. Guilelmus Teuto clarus in vita miraculis. B. fr. Gualterus Hibern⁹, Cortagiæ B. f. Guericus de S. Quintino B. fr. Gualterus de Midelburg. Flander, B. fr. Guilelmus Senonenſis, B. fr. Gregorius de Vercellis.

Bea. frater Henricus Polonus, vnratiſlan. B. fr. Henricus Sueuus vlmenſis, B. fr. Helias Lingonienſis, in Armenia B. fr. Henricus Teuto Colonienſis, B. fr. Hermanus Teuto. B. frater Hieronimus Fuligineus, claruit poſt mortem miraculis Venetiis. H

Bea. fr. Iacintus Polonus diſcip. S. Dominici Cracouiæ clar. mirac. B. fr. Ioannes Vincentius diſcipulus vel ſocius B. Dom. clarus mirac. B. fr. Ioannes de Salerno B. fr. Iacobus Venetus, Forliuii B. Magiſter Iordanus Saxo Tolemaidę, B. Iacobus de Forliuio Lōbard. B. Iacobus Putonus Mediolanenſis, B. Iacobus Ciprius, B. fr. Iacobus de Mancia B. fr. Iacobus Sextius, Mediolan. B. Dominus Ioannes Dominici Cardinalis B. fr. Ioānes Polonus B. fr. Ioannes Botambii, Bononienſ. B. Pater Iſuardus Papienſis Prior. B. fr. Ioannes Valletenſis B. fr. Ioannes de Lugduno, Lauſaniæ B. fr. Iordanus Piſanus, B. Pater Iulianus Burdegall. Prior, B. fr. Iaco- I

bus de Caſſeta B. frater Ioannes Rocotus B. frater Ianeredus miles,

L B. fr. Laurentius Menendius Luſitanus B. fr. Lãbertus Piſanus, Florentiæ B. fr. Laurẽt. de libra facta B. frater Ludou. Belt. Arag.

M B. frat. Mauritius Toloſanus cum cruce pingitur, B. fr. Mauritius Vngarus ex Regia ſtirpe Iauriæ, B. fr, Moneta Cremonenſis, clarus vitæ ſanctitate, B. fr. Matheus Carrerius Mantuanus clarus miraculis, B. fr. Marcus Mutinenſis, Piſaur. B. fr. Matthias Dacus, Rhoſtild. fœliciter anno 1490. migrauit B. frater Marcolinus Foiliurenſis,

N B. fr. Nicolaus, Fundator cœnobii Peruſini, B. fr. Nicolaus Rauenenſis B. fr. Nicolaus de Auinione, B. fr. Nicolaus Brugenſis, Flander, B. fr. Nicolaus de Iuuenatio, Peruſini cõuentus fundator, clar. mir. an. 1233. B. frater. Nicolaus Parmenſis.

O B. frat. Oto cui reuelata eſt hora mortis, B. fr. Odemundus Maſcha. Piſanus.

P B. Petrus Bonihominis, Aleſtẽſis cõuentus clarus ſanctitate, B. fr. Petrus de Marſilia. B. pater Petrus Tudenſis, B. pater Pelagius Luſitanus, pingitur cum cruce, B. fr. Petrus Montis peſulani B. fr. Petrus Fernandus Hiſpanus, B. frater Petrus Sendre Cathalanus B. fr. Pet. Garcha, Brito. B. fr. Pet. Pira Burde.

B. fr. Petrus Mirelonus, Brenienſ. B. fr. Pet. de Confluentia, Baſileæ B. fr. Pet. Gallus, Vincentiæ, B. fr. Pontius Prouincialis Toloſanus clarus ſanctitate, an. 1263.

B. fr. Reginaldus de S. Ægidio Aurelian. Floruit miraculis B. pater M. Raimundus de Penaforti, B. pater Rodolphus de Faenſa, B. pater Rolandus de Cremona, B fr. Raimerius Longus Piſanus, B. fr. Rolandus Argẽtinẽſis, B. fr. Robertus Saxonus, B. fr. Rainerius Cathalanus, B. fr. Robaldus Mediolanenſis, diſcipulus S. Dominici clarus miraculis, B. fr. Robertus Auinionẽſis, B. fr. Rainerius Segaloſcus, B. fr. Rodolphus Baſilienſis B. frater Robertus Neapolitanus, an 1393. clarus ſanctitate Venetiis.

B. fr. Salomõ Comeus Teutonicus B. fr. Seruatius Teuto, B. fr. Sebaſtianus Brixienſis B. fr. Stena Dacus, B. fr. Stephanus Bandellus B. frater Stephanus de Auernia.

B. frat. Tho. de Per. B. fr. Thom. de Regno, T

B. frat. Venturinus de Burgamo B. fr. Vinc. Finatienſis B. fr. Volãdus Argentinẽſis cruce ſignatus in paſtore B. fr. Vvalterus Argentinenſis Prior, vitæ ſanctitate inſignis, V

Beatus frater Xantes Florentinus. X

Cathalogus ſacrarum virginum ſecundi & tertii ordinis frat. præd. quæ ſanctitate vel miraculis claruerunt.

B. Soror Helena de Vngaria, in vita & in morte clara miraculis ſtigmata domini Ieſu Chriſti ſenſibiliter paſſa eſt, atque floruit in initio ordinis, fuitque magiſtra S. Magar.

B. ſor. Margarita filia Andreæ Regis Vngariæ, diſcipula S. Helenæ, pingitur etiam plagis Chriſti, vel propter ambiguitatem, vt ait Razius, vel quia etiã vulnera Dominica ſicuti Magiſtra ſua paſſa eſt.

B. ſoror Siſilia primogenita ſanctimonialis Diui Patriarchæ S. Dominici, Bononiæ, ſanctitate vitę clara, obiit ann. 1290.

B. ſoror Gertrudis, quæ pingitur vt cõuerſa, & virgo ſpecioſſima. Vtrũ verò fuerit illa de Iunctlhot quæ nobilis & delicata in ſeculo, oppoſitã in ordine vitã elegit, dubitatur. De hac enim affirmatur tanta animæ puritate claruiſſe, vt in hora mortis poſita, hæc verba ſororibus dixerit. Ego per 20. annos quib⁹ in ordine ſteti, ſic vixi, quaſi quolibet die migratura eſſem.

B. ſoror Agnes de Monte policiano, cuius admiranda vita & mors in multis legitur authoribus, & adhuc integrum virgineumq; eius veneratur hodie corpus, & cernitur,

Pingitur inter ſorores ad mẽſamſedẽs, pane cœlitusangelicis manibus miniſtrato; quod D. Dominico aliquando contigit.

B. Margarita de Caſtello, inter præcioſos lapides vitæ regularis vnica,in vita miraculis & in morte claruit..

B.ſoror Micia filia illuſtris comitis Simonis de Montforte, quæ viro viduata dixit.Quãdoquidẽ non valeo eſſe frater ordinis, volo ſaltẽ ſoror fieri.Fũdauit igitur monaſteriũ ſo rorũ ordinis,atq; illud bene dotauit,in quo taxatus eſtnumer⁹quinquaginta ſororũ,quę ſpeciali ſãctitatis prerogatiua fulgebãt olim.

B. ſoror Benedicta, prima fuit ſororũ mona ſterii deSubtilia in diœceſi Baſiliẽſi induta ſa cro habitu à fratre Vvaltero, claruit mirac. in vita & in morte multi ſanctitatis indiciis.

B,ſoror Ila germa. Rodolphi de Habſpurg. de conſilio fratrum præd. ad monaſterium ſororum de AdelnhuſenCõſtancienſis diœceſis,ſe recipiens vitæ ſanctitate floruit.

B. ſoror Eliſabet filia Stephani Regis Vngariæ, maximo humilitatis exemplo floruit in monaſterio inſulæ Danubii,in Vngaria deinde tranſlata eſt in Sciciliam ad inſtaurandũ monaſterium Sancti Petri martiris.

B. ſoror Stephania, filia Fiderici Comitis Phiretrorũ vitæ ſanctitate inſignis, maximè

in pacientia ſuperexcellens,in ſuo trāſitu miraculoſa ſuæ gloriæ indicia prebuit, à virgineo eius corpore,odore ſuauiſſimo manāte.

B. ſoror Anna de Vvinegg. nobilis genere probitate clarior,variis virtutum floribus ornata nunquam lethalis criminis (ex confeſſorum teſtimonio) culpam in currit.

B. ſoror Eliſabet filia Andreæ Regis Vngariæ, miraculis & vitæ ſanctitate valde coruſcans, anno Domini 1336. celeſtem aulam ingreſſa eſt.

B. Rilindis de Biſſegg. nobilis genere ex mariti cōſenſu ordinem ingreſſa eſt,& ſeptē filias in diuerſis etiam eiuſdē inſtituti præd, Deo obtulit,& poſtea poſt glorioſam mortem,reuelatione cōfeſſori ſuo facta, ad æternam tranſiuit fœlicitatem.

B. ſoror Eliſabet de Oyge, in monaſterio O tembach Conſtantienſis territorii,ſanctitate vitæ claruit.

B. ſoror Hedeuidis in eodem monaſterio, ſanctitate floruit.

B. ſoror Mathildis de Vvitenheim,multis miraculis in vita ex in morte claruit,& in oratione cōſtituta ſępe in aëra eleuata,viſa eſt,

B. ſoror Eliſabet Staglin, carnē iugiter affligens, eáque regularis obſeruātiæ diligēs cuſtos,poſt tranſitū glorioſū miraculis claruit.

B. ſoror Berchta, quæ fūdatrix extitit monaſterii Friburgenſis in Conſtantiæ territorio, pro Diua colitur à populo, & circa eius tumulum perpetuo lampas accēſa depēdet.

B. S. Gertrudis de Rinfelden. vitæ ſanctitate clara fuit, & in feſto S. Auguſtini reuelationem habuit de quadam gloriæ cœleſtis circunſtantia: quam ſcire deuotè cupiebat.

B. ſoror Adelheidis nobiliſſima Domina ex ſtatu coniugali ad vitam cœlibatus ord. præd. confugit, quod & maritus ſimiliter fecit. Clara fuit ſanctitate, & mirabiles reuelationes habuit in vita ſua.

B. ſoror Hedevvigis de Guebxvvilr. poſt decurſum quadraginta annorum in ordinis obſeruantiā ſpacium, reuelationibus ornata cœleſtibus, ad Dominum fœliciter migrauit

B. ſoror Eliſabet de Semiheim vitæ ſanctitate humilis & obediens in vita exiſtēs, poſt mortem clara miraculis extitit.

B. ſoror Agnes de Horchen vidua nobilis, quę duos filios habuit in ordine noſtro, vltimo facta ſoror, ante mortem glorię ſuæ futurę certitudinem, cœleſti ſibi facta reuelatione meruit habere.

B. ſor. S. Catharina de Senis quæ ſtigmata Chriſti paſſa eſt, & ſanctarum cathalogo Apoſtolica authoritate relata: vt ſtella micat.

Hui⁹ Fœnicis S. ſtigmata, cũ aliqui ęmulatione quadã ſæpe delere tentarent; cauſa in ius vocata, Caſtellæ, lata ſentẽtia, in proceſſione publica plagis depingitur, & Pius 2. ſic ait, *Stigmata paſſa tulit: dictu mirabile Chriſti.*

B. ſoror Agnes Senenſis ibidem in conuẽtu S. Dominici claret miraculis.

B. ſoror Vana in Vrbeuetana claret mirac.

B. ſoror Daniella, clara vitæ ſanctitate.

B. ſoror Brigida in Holandia, quæ ſtigmata Chriſti meruit habere in virginali corpore ſuo, clara miraculis.

B. ſoror Catherina de Raconiſio. in vita & in morte multis clara miraculis.

B. ſor. Lucia de Narni, B. ſor. Anna de Came, B. ſor. Angela, B. ſor. Ioan. Luſitaniæ Regis filia, clara ſãctitate, B. ſor. Oſana de Mant.

B. ſoror Lucia quæ oculos erutos iuueni preſentauit impudico.

B. ſoror Colũba de Rieto, B. ſor. Mar. Dom. B. ſor. Stepha. de So., quæ ſtigmata Chriſti & omnia paſſionis miſteria in vita tulit.

B. ſor. Maria Veneta, B. ſor. Ioãna Florẽtina B. ſor. Pina Piſa. B. ſor. Cat. 2. de ſenis dicta.

B. ſor. Ioãna de vercellis, quæ ſtigmata paſſa eſt Chriſti in corpore ſuo, ſicut virgo ſenẽ.

B. ſor. Sibilla de Papia, B. ſor. Diana de Andalis, Bononienſis, quæ fundatrix fuit monaſterii ſororum S. Agnetis ibidem floret.

De fratribus profeßionis conuerſorum qui miraculis vel vitæ ſanctitate claruerunt.

B. frater Otherus Normanus diſcipulus S.Dom. primus. conuerſus B. fr. Hermanus diſcipulus S. Dominici,Friſiaci.
B. frater Iacobus de vlma Teuto, Bononiæ clar⁹ miraculis & fuit primus ſocius & diſcipulus S. Dominici ex profeſſione cōuerſorū
B. fr. Martinus Luſitanus claruit miraculis.
B. fr. Oderius Rom. diſcipulus S. Do. clarus
B. fr. Martinus 2. Luſitanus Sanctir. clarus.
B. fr. Rainer. Piſæ: Ioannes Teuto Baſileæ,
B. fr. Petrus Luſit. Eburæ: Nicolaus Piſæ.
B. fr. Simon de Arimino : Guilelmus Piſæ.
B. fr. Leonardus Baſileæ:N. Pol. Cracouię.
B. fr. Ioannes,Bonon. Fauētię clar.an.1494.
B. fr. Ambro. Soncinas ibidem clar.mirac.
B. fr. Nicolaus Holādinus, de tertio ordine
B. fr. Nicolaus de Salucio, de tertio ordine
B. fr. Loth Piſanus claruit anno 1341.
B. fr. Bonus Vrbeuetanus:Martin. 3. Luſit.
B. fr. Beneuentus Piſanus:Do. Sāctirenēſis,
B. fr. N. an. CIↃ cccc lxxiij. Neapoli floruit.
B. frater Reginaldus Portugallus in obſeruantiſſimo conuentu de Benfica Oliſiponæ ſanctitate vitæ, eodem fere tempore clarus.
B. frat. Matthias Hiſpanus Salmanticę clar.

Cathalogus Patriarcharum qui fuerunt ordine præd. aſſumpti.

M.Thomas Agni anno 1272. ex Prouintiali Romano, creatus eſt Legat. Apoſtolicus & Patriarcha Hieroſolimitanus.
M. Nicolaus de Anapis ann.1288.creatus eſt Epiſ.Achonēſis & Patriar.Hieroſolimitan⁹.
M. Iſuardus Patriarcha Aquileyę.
M. Petr⁹ de Palud. Pat. Hieroſ. Epiſ. Podi.
M. Raimundus M. ſacri palacii Pat. Hieroſ.
M. Guidō de Suldraco, Pat. Gradæ & Aquitanię Primas & Archiep. Bituricen.an.1276.
M. Angelus Patriarcha Gradenſis.
M. Ægidius ferrariēſis, Patriarcha Gradēſis.
M. Laurētius Parmenſis, Patriarcha Gradæ.
D. Vmbertus Delphinus Vien.Pat. Alexan.
M. Ioan.Raguzinus an.1428.Pat.creat⁹ fuit.
M. Guilelmns Militis inquiſitor Carcaſſon. Patriarcha Hieroſolimitanus anno 1302.
M. Rodolphus de Burgūdia Patriar.Hieroſ.
M. Chriſtianus Patriarcha Antiochenus an. 1270. vt ait Razius vel vt alii an. 1290.quo tēpore capta eſt Ant.ſanguine laureat⁹ quieuit.
M. Paulus filaſter Peruſinus, Patriar. Gradæ.
M. Thomas Donatus Patriar.Venetus trāſlato iam Gradēſi Patriarchatu in eandē vrbē.
M. Tho. de Berdanio Patriar. doctiſſimus.
M. Iſnardus vel Iſuardus Papiēſis Patriarcha

Antiochenus, anno 1244. vt refertur in antiquo cathalogo quod eſt, in clauſtro cõuentus noſtri Nanetenſis in Britania.
M. Hieronimus Querinus Patriar. Venetus.
M. Matthæus Patriar. Cõſtantinopolitanus, vt teſtatur Sixtus Senẽſis in ſua bibliotheca.
M. Petrus Ronzanus, ſiculus Panorm. Patr.
M. Hugolinus Patriarcha Armenienſis.
M. Bernardus de Hancinnis Patriar. Hieroſ.
M. Nicolaus de Hancinnis Patriar. Hierroſ.
Vltra hos autẽ Patriarchas, in Armenia maiori ſub Rege Perſarum, vſque nunc, ad Patriarchatum aſſumuntur, ex ordine præd. atque per Papam confirmãtur. Hæc enim regio ad fidem Catholicã per fratres præd. fuit reducta, quorum primus fuit B. frater Bartolomeus, Bononienſis an. circiter 1280.

Archiepiſcopi Primates ex ordine aſſumpti.

M. Robert. Cãtur. Archi. & primas Angl.
M. Reginaldus cõtemporaneus D. D. & primus ex fratribus noſtris Penitentiarius Papæ, Archiep. Armacha. & Primas Hiber.
M. martin. Archiepſ. Armach. Primas Hiber.
M. Gualter. Archiep. Armach. Primas Hib.
M. Ioan. Paul. Archiep. Piſan. Primas Sard.
B. Simon Saltarellus Archiepiſcopus Piſanus & Primas Sardiniæ & Corcicæ.

M. Vmbertus de Roro Archiep. Armachan.
M. Carolus de Alentonio relicto amplo Comitatu intrauit ordinẽ Pariſ. Archiepiſcop⁹ Lugdunenſis Primas Galliarum.
M. Iacobus de Lugduno Archiepiſcopus Lugdunenſis Primas Galliarum.
M. Carolus de Alançon alter ab illo ſuperiori Comes de Alançon ante ordinis ingreſſũ, Archiepiſ. Lugdunenſis Primas Galliarum.
M. Hẽricus de Brito Luſit. Archiep. Goẽſis Primas Indiæ cum orientalium
M. Bartholomeus de Martiribus Luſitanus Archiep. Bracharenſis Primas Hiſpaniarũ.
M. Vincentius de Fonſeca Luſitanus Archiepiſcopus Goenſis qui adhuc viuit, Primas Indiarum Orientalium.
M. Raimundus, Archiepiſcopus Armachan⁹ Primas Hiberniæ anno 1286.
M. Vvilhelmus Hallas Archiepiſcopus Primas Lugdunenſis Doctor inſignis.
M. Georgi⁹ Temudo Luſitan⁹ Archiepiſcopus Goenſis Primas in Indiis Orientis, ex Epiſcopo Coachinienſi.

Archiepiſcopi non Primates ex eodem ordine præd. aſſumpti.

M. Robertus Anglus Archiepiſ. Cantuarienſis anno gratiæ 1277.

M. ordinis

M. ordinis, frater Berengarius Archiepiſcopus Cõpoſtellanus, Gallus natione an. 1317.
M. Bonifacius Rubeus vel de Laugrana Archiepiſcopus Rauenenſis vel Romanenſis.
M. Guilelm. Laudẽſis Aarchiep. Toloſanus.
M. Iacob. de Voragine Archiep. Ianuenſis.
B. Ioannes de columna, Romanus, Archiepiſcopus Nicoſſienſis in Cipro.
M. Ioãnes de Columna Prouincialis Tuſciæ Archiep. Meſſinenſis in Siciliæ regno.
M. Iacobus de Coruo Archiep. Toloſanus.
M. Hugo Retuh. Burg. Archiep. Beneuẽtin.
M. Guilelmus de Hodone vel Hõdẽ Archiepiſcopus Dublinenſis in Hibernia.
M. Martinus Polonus Archiep. Boſnauiæ.
M. Andreas Vngarus Archiep. Autilianẽſis.
M. Lãdulphus de vico, Archiep. Materanus
M. Theodoricus de Naſovv Germanus carnalis Federici II. Imperatoris Alemaniæ Archiepiſcopus Treuerenſis.
M. Iacobus de Colũna Archiep. Meſſanẽſis.
M. Rainerius de Aquino Germanus frater, S. Thomæ Archiep. Meſſanenſis poſt aliũ.
M. Rodericus Conſaluis Archiep. Cõpoſt.
M. Laurentius Archiepiſcopus Conſanus.
M. Landulphus Archiepiſ. Acharontinus.
M. Henricus Panormi. Archiep. Acheront.
M. Raimund. de Madul. Archiep. Ebredun.

M. Stephanus Archiep. Trecanienſis.
M. Ioannes Archiep. Niphalenſis in Dacia.
M. Nicolaus Archiepiſcopus Tirienſis.
M. Bonacurſius Archiepiſcopus Tirienſis.
M. Iuo Gallus Archiepiſcopus Nazarenus.
M. Petrus de Cõflicto Archiepiſcopus Tiri.
M. Guilelmus de Moreta Archiep. Corinth.
M. Iſuardus Archiepiſcopus Thebanus.
M. Matth. de Cõſtantia Archiep. Corinthi.
M. Nicol. de Seza Archiep. Zaretẽſis in Dal.
M. Alexander Hungarus Archiep. Cretẽſis.
M. Andreas, Græcus Archiep Collocenſis.
M. Ægidius Gal. Bononien. Arch. Cretẽſis.
M. Iacobus Archiepiſcopus Turdetinus.
M. Nicolaus Archiepiſcopus Sardiniæ.
M. Stephanus Hiſpanus, Archiep. Trechan.
M. Rodulphus Archi. Materanus, in Apula.
M. Auguſtinus Saluago, Archiep. Ianuenſis.
M. Thomas Seraphinus Archiep. Corinthi.
M. Michael de Muriano, Archiep. Spaletrẽ.
M. Hieronim. Moſarel. Bonon. ar. Cãpſa.
M. marcus Cathaneus archiep. Rhodienſis.
M. Roſtaganus Candaui arch. Neupotienſis.
M. Sebaſtian⁹ Secauel Gręc. arch. Nixiẽſis.
M. Iulianus Pauulſius, Archiep. Surentinus.
M. Leonardus Marinus, Græc. a.. Lanſiani.
M. Andreas de Pera archiepiſcopus.
M. Henricus Ratiſanſ. archiep. Nidoſienſis.

M.N.Conſaluus archiepiſcopus Conſanus.
M. Diterus germanus frater Rodolphi primi Regis alemaniæ, archiepiſcopus Treuerēſis.
M. Didocus d'Eſſa archiepiſ. Hiſpalenſis.
M. Petrus Burgundus archiepiſ. Tiramēſis.
M. bartholomeus Carranca, ar. Toletan.
M. antonius de auila Cipriota natione, archiepiſcopus inſularum modon & Corron.
M. matthæus archiepiſ. armeniæ maioris ſepultus in Cipro inſula ✱
M. berēgarius archiepſcopus Cracouienſis.
M.Gaſpar adæ archiepiſcopus antibariēſis.
M. Theodorus de Nauſau germanus Rodolphi Regis alem. ſi non eſt idē archiep. Treu.
M. angelus Aciaiol. Archiep. Florentinus.
M. Martinus Polonus, archiep. in Polonia.
B. antonius archiep. Florentinus.
M. ambroſius Catharin. archiep. Compſen.
M. alfonſus de Montfort archiep. Mexico.
M. Hieronimus de Loaſia archiep. vrbis trium Regum in Indiis occidentalibus.
M. Iulius Paueſius archiep. Surentinus.
M. anton. Iuſtin. apud inſulā Chio, arc. Nax.
M. Nicolaus alemanus, archiep. Capuanus.
M. Ioannes Polonus archiepiſ. Piſanus.

Epiſcopi ex ordine præd. aſſumpti.

A B. Albertus Magnus Ep. Ratiſpon. B. Ambroſius de Senis, Ep.Senenſis,Fr. Aluar. ep.Badioſanus,in Regno Caſtellę,Arnuldus Ep. Launenſis, Auguſt. Ep. Sagabirnenſis, Albertus de Brixia Ep.Brixię,Antonius Bernardez Luſitanus Ep. Marro. ſuffrag. Card. Antonius Malten.de Vicho in Napol.regno Alexander Ep. vrbis de Caſtello. Adam de Nemoſio conuentus ſenonenſis, confeſſor Regis Francię & Ep. Siluanetenſis Alfonſus Burgenſis Ep. N. conuentus Trecenſis,cõfeſſor Regis Frãcię & Ep. Antonius Piſanus Epiſ.Saletrẽs. Andreas de Aragonia Ep.Valentinus,Ambroſius Florentinus Ep.ariminenſis, Aldrobantinus, Epiſ. Vrbeuetanus, B. Auguſtinus de Vngaria,Ep. ſanctæ Mauriæ in Apulia,B.auguſtinus Vngarus Ep.Zabrinenſis, Aloiſius Bergomenſis Ep. Mantuanus, Angelus Ciprius Ep. Saturnienſis, Ambroſius Ariminẽſis,Ep. Cernienſis,Antonius de Ponteſurono Ep. Cephaducenſis, Andreas Coronatus ep.Crunenſis, Ademarus,Ep.in Oſcha,Antonius de comitibus ep. Brugnatẽſis,Adrianus Venetus Ep.in Iſtria, Antonius Burgenſis Epiſ. Cordubenſis in Hiſpania, Antonius Auet Epiſ. Namur, Auguſtinus Iuſtin. Ep. Neuienſis Græcus, Auguſtin' Caietanus Ep. Caietę,Ambroſius

MantuanusEp. Caſalēſis,Anton.Barducius Ep.Threnicanus, Anton. Iuſtianus Græcus Ep. Sibarenſis, Ambroſius de Baneolo Ep. Neritonenſis,Antonius Auetius Ep.Namur cenſis, Antonius de la Pena Ep. de Chito in Indiis Occidentis.

Fr.Bartolomeus Ep.Vincentius,Benedictus Epiſ. Nonocomenſis Doctor Fariſ.Beneuē- tus Epiſ. Adriſenſis, Bartolomeus Bonon, Epiſ.Comarlēſis,Bartol.Epiſ.Torcelanēſis, Bernardus Epiſ,Claremōt.vel Cathalanēſis Berēgarius Epiſ. Craconiēſis Martir.Bartolomeus Medicus Epiſ.Comoclenſis,Baptiſta Epiſ.Vintimellenſis,Berengarius Epiſ.Berō dēſis,Bertrādus Epiſ. Thelephicēſis an.1387. Bern.de Menſa Epiſ.Badioſanus in Hiſpania Benedictus Mantuanus Epiſ. Caſalenſis. Baptiſta de Sugo, Epiſc. in regno Neapol. Bartol. de Lugo Epiſc. Tarn. in Marca Anchonę,Benedictus de Cumis Epiſc.Cuman. Barterus de Argentina Epiſc.Marmonenſis, Bartolom. LuſitanusEpiſc. Siluēſ. an.1268. Bernard.de cruceLuſit.Ep.inſulę S.Thomę. B

F. Cyprianus Vilēſis ep.in Polonia: Cōradus Lugdun.ep.Lauſan.Chambert.Bonon. ep.Caſtellan.Clemēs ep.inScotia, obiit an. 1250.Cōſtan.ep.Vrbeuetan. Clemens Bnoles epiſc. Tullenſis,Camillus Campeius.ep. C

Neap. Camelius Papienſis, epiſc. Nepinus. Cyprianus ep. propè Neapolim.
D F. Dionyſius conuentus noſtri ordinis præ. Leodicen. ep. Bracil. Dñicus Toloſ. ep. Eſpamar. Dñicus, confeſſor Clementis 7. epiſ. Albẽſis & poſt Toloſ. Durãdus Gallus epiſ. Meldenſis, Dñicus ep. Appom. Domin. Forocorn. epiſ. Domin. Cornata, epiſ. Sebaſt. Deſiderius de Mouſche epiſ. ſuffrag. Tullen, Dominicus Hiſpanus, ep. Siracuſanus, Dominicus de Riuere, ep. Aſten. Durandus de S. Portianoep. Podien. Anienſis, Meldenſis,
E F. Eghiſilus ep. Aroiſen. & Legatus Papæ. Enguerrant ep. Antiſiod. Ægid. Bonon. ep. Forcol. Enenus Begř, pœnitentiarius Papę, ep. Trecor. Ecco de Colual Saxo epiſ. Mind. Eugenius Haort Hibernius ep. Achadenſis, Ægidius Fuſca Epiſc. Mutin. Euſtachius Lẽcatel. Epiſc. Reghien, Eurardus Brixien. Ep. Ceſenenſis, Eduard. Nonius Luſit. Epiſc.
F Fr. Franciſcus Bonon. Epiſc. Salubr. Franciſcus Triuiſ. Epiſc. Senen. Frãciſcus ferrar. epiſc. Domoclen. Franciſcus Bonon. epiſc. Comoclen. Franciſ. epiſc. Denet. Franciſ. de Regno ep. Nazar. Felicianus à Norbin. epiſc. in Auſtria. Serafin. Cypr. epiſ. Nemoſ. Federic. epiſc. Fulgin. Ferdin. de Tauora Luſit. epiſ. Funchal. Frãciſ. de Robl. ep. Terrac.

Fr. Galla de Breſcia 1. epiſc. ord. præd. qui in tranſitu D. Dominici vidit ſcalam è cœlo prominentem Guido epiſc. Ferrar. Gualterus epiſcop. Venetus Compoſt. Guilelmus Parui epiſc. Trecenſis Guido Burgundus epiſc. Claremont. Guido à turre epiſc. Claremõt. Guilelmus epiſc. Ataconienſis Guilelmus ex monte Cat. epiſc. Vrgel. Gentilis Rom. epiſc. Cathan. Guido Vincent. epiſc. Ferrar. Guerinus Cenom epiſc. Sagon. Gerardus de Mõtepeſ. epiſc. Diataragor Perſię Galardus Vrſiſal. epiſc. Bethleem. Gaſpar de ſancto Ioanne epiſc. Imole. Gilerus de Balã Antiſiod. epiſc. Bethlermi, & Ebroicẽſis. Gaſpar Bonon. ep. Forocorn. Greg. Floren. ep. Fauen. Gualterus ep. Caſtellanus, venet. Gabriel de Bergamo, ep. ſuffrag. Tridentin. Gottofred⁹, ep. Harlemen. in Belgio. Geor. de S. Lucia Luſitanus, ep. Malacen. Galonus epiſ. Mantuanus. Geor. de Lemos Luſit. ep. Angren. Gaſparus de Regib. Luſitanus, ep. Tripolitanus ſuffrag. Henrici Cardinalis de S. Iacobo Luſitanus, ep. Funchalenſis, Garſias Vaion Hiſp. ep. ſuff. Laodicen. Gentilis, epiſcopus Cartaginenſis an. 1296. G

F. Hugo Turon. ep. Bethlemitanus, Henric. de Stenreberghe, ep. Babenbergen, Hieron. de Arimino, ep. Arimin. & Cæſarien. Henr. H

Kaltiſenus Conflut.ep.Nidroſien. Henric⁹ Siculus,ep.in Sicilia,Hieron.Genonēſis,ep. Caſen.Hiero. Politius,ep.Trinican.Hiero. de Nicola Veronēs,ep.Thean.HieroVenet. ep.ciuitatis nouæ,Hiero.Triuiſa.ep. Veron. Hiero.Vuielm⁹,ep. Ægaten.Hugo de Cartis,ep.Bethleen,Henr.Dacus,ep. Birionen. Hieron.Pereira Luſitanus, ep. de Sale ſuff. Cardinalis Henrici Arch.Eboren.

I F.Ioan.de Liochtemberg ep. Ratisbonēſis. Iſrael.ep.Araliē.Ioan.Teutonicus,ep.Ratiſ. Ioan.Penitētiarius.Ioan.22. ep. Reshilden. Ioan.de Baſilea,ep.Belamen.Iacob.de Cartagine,ep.Maſſilien.Io.de Limegamblir,ep. Stopienſis. Io. Datus, ep. Burdegal. Io. de Conſtantia, ep. Scopienſis, Inguerrādus Picardinalis conuent.Cademon.ep.Antiſiod. & confeſſor caroli ducis Burgudiæ. Ioan. de Helchiſade Angl.,ep. Laudun. Iacob. de Baiona, ep. Baionen. Ioan. Gilberti Angl⁹ ep. Gang. Ioan. de Geneuſe Flander, epiſ. Bethlemiticus. Ioan. Rothomagenſis. ep. Caphenſis & deinde Tauriſienſis

Ioannes de Girbroto Prunienſis,epi.Tolen. & confeſſor Regis Siciliæ.

Ioannes Mercat.ep.Bethlermi.Iacobus ep. Oſana.Ioannes Leithenberg,ep.Ratiſ.Ioan. Iordan⁹ Roman. ep.Paduen,Bonon.Iacob.

Benedictus ep. Mant. Ioannes Seruandi,ep. Lucæ in Gallatia.Iacob' Lauſ. ep. Lauſ.Iac. Placen.ep.Vintemil.Io. Sthandelan. epiſc. Culmēſis,Vvorm,Auguſt.Iacob.Arigono, ep.Laudun.Iacob.de Benefactis, ep. Mant. Iordanus Romanus,ep.Mant.Iac.Peruſinus ep.Floren.Iac.Nāclatus,ep.Elodien. Iſrael, ep.Auon,Iulian'Garcez,ep.in Mexico.Ioā. de Mileto,ep.Chephadul.Io.de Podio.epiſ. Chatan.Ioa,Boncābij epi.Bonon.Io.Paris, ep. Laudu. Iac. Fourre,ep. Cabillon.Iulius Ciprius, epiſc.Boſnenſis in Calabria.

F.N.Cornachini ep.Mant.N. ep. Narnien. N. de Vallalbi Trecen. conf.RegisFran.ep. N. Sarracenus ep. Interā.N.de Garſino ep. Anagin. N. Bragadenus ep. Vicentin. N. Panagotus Epiſcopus Napen

F.Laurentius ep.Arimin.Leon.Roman.ep. L
Aquil. Ludou. Bongo,ep. Noton. Lauren. Pino. ep. Antiſiod.Ludoui.Viterbenſis,ep. Sigunius N. de S. Maximino ep.Bethleem.

F. Mauritius de Coleguriis, ep. Niuern. & M
conf.Regis Fran. Martin.Perier ep.Atrebatenſis Maſeus Vrbeuetanus, ep. Cluſinenſis Mateus Cathan. ep.Patren.Mat.de Deo ep. Mant.Munio Hiſpanus ep.Palent. Matheus Bonipatris, ep. Mant. Michael Epiſcopus Cameræ,in creta Mart.Lignan. ep. Cōſent.

Math. Lulmus, ep. Leodien. Melchior Cano, ep. Canarien. Marcus de medicis, ep. elugiē. Munio Palentin. ep. Palentiæ. Michael Fabri ep. Valent. Marcus Ciprius ep. Paphens. Martinus de Mendoca, ep. Cordubenſis.

N F. Nicolaus, ep. Burglanen. Nicol. de ripis, ep. Varnaten. Natu. ep. Bergen, Nicol. de S. Mart. ep. Rachan. Nicol. Vngar. ep. & Mar.

O F. Oto de malis, Saxo, ep. Minden. an. 1271. Ottonelus, ep. Elugien. Oſingus Teuto, ep. Babēberg. & duorū cōuēt. ibidē fundator.

P F. Paparinus Romanus. ep. Spoletan. Petrus Remenſis, ep. Agganen. P. martirati, ep. Vē-cen. P. Polon. ep. Caminen. P. de Alauanone ep. ciſtorien. P. Placēt. ep. Bobiēs. P. Vnga. ep. Boſinens. P. Vilars, ep. Trecen. P. de Pireto, ep. Mirapiſacin. P. Raſanus ſiculus, ep. in Sicilia. P. de Scalla, ep. Veron. Paſchaſius ep. Burgen. P. Apulus. ep. S. Mariæ. P. de Pagne, ep. Nioginen. P. ep. Lucanus. Philip. Frumenti Antiſiod. ep Niuer. & conf. Ducis Burgun.. P. de Grato Antiſi. Georg. ep. Siluanetenſis conf. Regis Franciæ. Paul. de turribus, ep. Panamenſis in Indiis occidentis.

R F. Raimundus ep. Gradæ inſulæ. Rambert. Madiciorū, ep. Venet. Rainer. ep. Magolē. Raimund. ep. Toloſ. Radulfus de Damone, ep. Chitiguens. Raimūd. Prouen. ep. Gradę

Riboldus vng. ep. Bergom. Rābert. Bonō. ep. Venet. Raimund. ep. Barchin. Rufinus Stricens. ep. Viterb. Rainaldus Spoletinus, ep. Theatin. Robert⁹ Normanus, ep Paphē-ſis Cipri Rogerius Calcag. ep. capienſis, F. Simon Lucdun. vel Ligonien. ep. Nanet. Simon de Laude, conuentus Duacen. conf. Ducis Burgundiæ ep, Salubrien. Surleus genuē ſis, ep. Bugnatē. Stephan. ep. Lucherin. Stephan⁹ Paris, ep. Aureli. Stephan. Romanus, ep. Balneonegenſis. Simon de Putro, ep. Cathan. Sixtus Comenſis, ep. Mutin. Seraphinus Ciprus, ep. Nemoſiæ. Salomon Cardona, ep, Nemoſienſis Stanis laus Suffrag. ep. Vilmenſis in Lituania. Stephanus Aurel, ep. Abelonenſis. Simō de Balcinola, Epiſcopus Paphenſis.

T

F. Thomas Ruiſat ep. Baienſis Theodor. ep. Fauenti. Thomas de Senis, ep. Senen. Theodor. ep. Ceruien. Thomas Bergom, epiſc. Ceruien. Thomas Malumbra, ep. Curzul. Thomas albis ep. calien. Thomas S. Saluatoris. epiſcop. Minoris Thimoteus Iuſtin. ep. calamon. Thomas Scotus. ep Interam. Thomas ſtella. ep. Iuſtinopol. Thomas Iacomelus, ep. Tholon. Theodoricus ep. Magolan. Thomas Taurinenſis ep. Cartagin.

V

F. Vuifrinus dealbatis, Picardus ex conuen-

tu Ambianenſi in Galla ep. Bethlermi. Vincentius Burgundus, ep. Belloua. Vuolfrangus, ep. Bambergenſis. Vgolinus, ep. Cenogaliæ & Arimin. Vincent. ep. Mutin. Vincēt. Hercul. ep. imolę. Vincēt. Plac. ep. Baguard. Vincēt. de Monte regali, ep. Sulmon. Vincent. de S. Cipriano, ep. Sarn. Vincent. de Lugo, ep. S. Agathæ, Vincent. de vale viridi, ep. Panā. in Indiis. Vinc. de Peraſa, ep. Pana. Non eſt dubitandum, multo plures ex fratribus ad dignitates ſupradictas fuiſſe ex ordine aſſumptos, cum teſtentur multi authores in concilo Lugdunenſi ſub Gregorio x. an. 1274 numeratos eſſe ex hac prædicatoria familia, tres Cardinales & pluſquam triginta Epiſcopos, inter quos Magnus ille Albertus vnus erat, alius vero ſanctus quidā Antiſtes ex Hibernia, qui in viſitationibus Prouincialiū, ſe ita obedientiæ & correctioni ſubmittebat: tanquam vnus ex aliis: rigore ordinis in omnibus ſemper ſeruato. Et non multo poſt tempore cum M. Ioannes de vercellis, qui Epiſcopatus dignitate abdicata ordinis rigori ſe iterum ſubmiſerat, ad Magiſterium paſtorale totius ordinis eſſet electus, tot fratres fuerunt aſſumpti ad dignitates Epiſcopales, quod narrant authores aliqui illū maximè ſuper hoc, propter ordinis detrimentū

doluiſſe. Ex quibus conjicere licet, quantus feruor, deuotio, cœleſtis ſpiritus, in primęuo ordine extiterit: cum in tam breui tempore tot eccleſiæ Paſtores, qui maximum eſſent eiuſdem ordinis & obſeruātię regularis fulcimen, extracti ſint à nobis, & tamen adhuc à trecentis iam annis & plus, viris abundare doctiſſimis, literis & virtute ornatis non deſtiterit: Quid nā, oro, eſſet ſi oēs iſti ſupra nominati papæ, Patriarchæ, Cardinales Epiſcopi, intra ordinem manentes eius augmento & obſeruantię ſolùm incumberēt.

Cathalogus primorum inſigniorumque patrum, qui ſcholas huius conuentus Pariſienſis rexerunt à principio ordinis.

NOn modicas in hac Pariſina vniuerſitate paſſus eſt ordo hic prædie tribulationes, cumprimum, fratres legendi, prædicandi, ſtudendique gratia huc acceſſerunt. Nāque multi ex doctoribus & ſcholaſticis illius ætatis, noua doctrinæ ſolidæ exoriente luce, ſibi à manibus ereptam eſſe prædam graduū honorum, opinionisq; vanæ exiſtimātes nihil non intentatum reliquerunt, vt illos ab hac vrbe exterminarent. Hoc etiam à patribus ordinis Seraphici D. Franciſci contigit: & couſque quorundā proceſſit venenoſa rabies: vt aliquos libellos cōuitiis plenos

M. Thom. de Aquino Guilel. de Ant. Ang.
M. Anibald. Roman. Valdeuinus Maſtis Pic.
M. Petrus de Tarant. Bartol. Turonenſis,
M. Guilel. de Stampis, Pet. de Cõfleto Burg.
M. Guilel. de Quint. Ioan. de Allod. Aurel.
M. Ioan. de Berſiaco Antiſiod. Franr. Arag.
M. Guilel. de Torn. Pic. Ioan. de Tur. Nor.
M. Berẽgarius Toloſ. Guilelmus de Hoden.
M. Guilel. Burg. Guilelmus Brito Anglus,
M. Thomas Deluc. Cat. Hugo de Bih. Alu.
M. Albertus de bonis Flander Bernardus de Trelia vermans.
M. Domini. Hiſpa. Theodoricus Teuto.
M. Bertrandus de S. Floro Step. de Biſũtio,
M. Oliuerius Trec. Brito Raimũd. Taraſco.
M. Ioannes de Caſtro Teodorico actu Regens obiit in hoc conuentu.
Frat. Ioan. de caſtro Teodor. fr. Gerar. Ren.
Fr. Guilel. de Freuil. fr. Ioan. Micha. Rupell.
Fr. Guilelmus de Man. fr. Martinus Billordi.
Ex his ſupra memoratis, multi in hoc cõuẽtu ſepulti quieſcũt, quorũ adhuc nomina effigieſq; in marmoreis ſcripta in ſepulchris permanẽt, atque omnes, nullis armorum vanis infulis inſigniti, tanquam veræ humilitatis profeſſores conſpiciuntur. Immo etiam in eiſdem marmoribus ſub quibus claudũtur,

ſelectiſſimo ſeminario præcipui Lectores & Prædicatores prodire ſolent. Primus Regẽs fuit M. Martin. Ledeſm. Doctor inſignis. Quanta vero doctorum librorum omnis liberalis ſcientiæ vel artis, hic ſacratus præd. ordo ab ipſo eius exordio ad hæc vſque tempora protulerit, teſtes ſint omnes Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, bibliotecæ, à quibus ſi authorum huius Familię ſubtrahãtur opera, ſatis nudæ vacuæque apparebunt. Denique ſolum Angelicum Doctorem D. Thomam de Aquino in medium adducere ſufficeret ad obſtruendum ora Leonũ. Huius enim ſanctiſſimi Patris, vita & doctrina quam admirabilis fuerit & in quanta reuerentia habita ab vniuerſitate hac Pariſina, & orbe vniuerſo, ex epiſtola iſta ſequẽti, quę capitulo generali poſt eius obitũ miſſa fuit, Lugdunum ſatis conſtat.

Epiſtola vniuerſitatis Pariſienſis ſuper obitu D. Thomæ Aquinatis & eius reliquiis.

VEnerabilibus in Chriſto patribus, Magiſtris & Prouincialibus ord. Fr. Præd. congregatis in capitulo generali Lugduni, Rector vniuerſitatis Pariſiẽſis atque procuratores, cæterique Magiſtri Pariſiis actu Regentes in artibus ſalutem, in eo qui ſalubriter vniuerſa diſponit & ſapienter toti prouidet vni-

uerſo. Singultuoſo clamore, totius Eccleſiæ vniuerſale diſpendiũ, nec non & Pariſienſis ſtudii manifeſtam deſolationem, lachrinabiliter deplangimus, & his diebus præelegimus in cõmuni non immeritò deplorare. Heu, Heu, Heu, quis det nobis vt repreſentare poſſimus Hieremiæ lamentum quod ſupra ſibitummodum, in mentes deinceps ſingulorum in auditam extaſim cauſans & inextimabilem ſtuporem adducens. Demum viſcerum noſtrorũ interiora transfo dit atque lethaliter cordium intima penetrauit. Fatemur, vix valemus exprimere, amor enim retrahit ſed dolor & vehemẽs anguſtia dicere nos compellit, ex cõmuni relatu & certo rumore multorum, nos ſcire, Doctorẽ venerabilem Fratrem Thomam de Aquino abhoc ſæculo fuiſſe vocatum. Quis poſſet eſtimare, diuinam prouidentiam permiſiſſe ſtellam matutinam, præeminentem in mundo, iubar in lucem ſęculi, imo vt verius dicamus, luminare maius quod præerat diei, ſuos radios retraxiſſe. Plane irrationabiliter iudicamus ſuũ reuocaſſe fulgorem & paſſum fuiſſe vmbroſam eclipſim, dum toti Eccleſiæ tanti ſplendoris radius eſt ſubſtractus. Et licet nõ ignoram⁹ conditorẽ noſtrũ ipſum toti mundo ad tẽpus ſpeciali priuilegio conceſſiſſe: nihilominus ſi antiquorum philoſophorum autoritatibus vellemus inniti eum videbatur, ſimpliciter poſuiſſe naturã, ad ipſius naturæ occulta illucidanda. Et cur fruſtra nunc tallibus verbis immoremur, cum eum à noſtro collegio, generali capitulo veſtro Florentiæ celebrato, licet requiſiſſemus inſtanter, proh dolor non potuimus obtinere. Tamen ad tanti, cleric

patris, tanti Doctoris, non exiſtentes ingrati, deuotum habentes affectum, quem viuum non potuimus rehabere, ipſius iam defuncti oſſa à nobis pro maximo munere poſtulamus. Quoniã omnino eſt indecens & indignum, vt altera natio aut locus, quám omnium ſtudiorum nobiliſſima Pariſienſis ciuitas quæ ipſum prius educauit, nutriuit, & fouit, & poſt modum ab eodem doctrinæ documenta & ineffabilia fomenta ſuſcepit, oſſa inhumata habeat & ſepulta. Si enim merito Eccleſia oſſa & reliquias ſanctorum honorat, nobis non ſine cauſa videtur honeſtum, & ſanctum, tanti Doctoris corpus in perpetuùm penes nos haberi in honore, vt cuius famam apud nos ſcripta perpetuant, eiuſdem perſeuerans memoria ſepulturæ, ipſorum incordibus ſucceſſorum noſtrorum ſtabiliat ſine fine. Cæterum ſperantes quod obtẽperetis nobis cũ effectu in hac petione deuota, humiliter ſuplicamus vt cum quædam ſcripta ad philoſophiam ſpectantia Pariſiis inchoata ab eo, relicta ſint imperfecta, & ipſum credamus vbi tranſlatus fuerat cõpleuiſſe, nobis beneuolentia veſtra cito cõmunicari procuretis, & ſpecialiter ſuper libros de cælo & mundo, & expoſitionem Timei Platonis atque de aquarum cõductibus & in geniis erigendis, de quibus nobis mittendis ſpeciali promiſſione fecerat mentionem. Si quæ ſimiliter ad logicam pertinentia compoſuit. Sicut quando receſſit à nobis humiliter petimus ab eo, veſtra benignitas noſtro cõmunicare collegio dignetur. Et ſicut melius veſtra diſcretio nouit in hoc nequã ſeculo periculis multis ſumus expoſiti, fraternaliter

conſenſu totius capituli Pariſienſis, & D. Guilelmi Archiepiſcopi Viennenſis & aliorum vigit, trium Magiſtrorum in Theologia nec non & triginta ſex Bachalaureorum, ipſos articulos annulauit in quantũ doctrinam S. Thomæ infrigebant, atque confeſſus eſt, ſimiles deffinitiones, ad ſummum pontificem ſolum pertinere. Huius retractationis exemplar in hoc noſtro Pariſino ſeruatur collegio ſupradictorum ſigillis firmatum. In his denique & in multis aliis ſanctitate & doctrina claris, qui in hoc ſacro prædicatorum ordine, ſunt nutriti, tam fratrum quam ſororum de quibus difficile eſſet in tã breui compendio geſta narrare velle, quæ ſparſim in multis reperiuntur autoribus, ſit Deus benedictus. Si tamẽ per tempus liceat, Deo fauente in Theatro ord. quod erigere maxime cupio, hęc omnia latius videri poterunt. Interim, hæc ſufficiant in Dei laudem, cui gloria in ſecula ſempiterna. Amen.

In patriam ſi forte liber: non infœlicior alter.
Dum iacet, iſta tibi mitia fata precor.

S S
✱
S S

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INDEX BREVISSIMVS, IN QVO RES INSIGNES HVIVS VOLVMINIS *folio tantum aßignato continentur.*

ANtonij Limij nobilis viri laus fol 7
Athaidorum familia fol. 7
Alfonſus Rex edificat monaſteriũ Oliſip. fol. 55
Annona vini, annona panis ſi debet dici fol. 56
Aloſa quinam piſcis ſit fol. 57
Alacris portus vrbs Luſitaniç fol. 61
Alenquerius olim Alanocherqua fol. 78
Auicella flumen fol. 131
Auis flumen fol. 131
Artabiorum portus vbi ſit fol. 92
Almerinium oppidum fol. 3
B Bernardi Vaſconis laus fol. 37
Baculus D. Ægidii regis podagram ſanat. fol. 97
Brachara Auguſta Primas Hiſpaniæ fol. 130
Brachari olim populi bellicoſi fol. 130
Blaſius ab antiquo gutturi malo ſubuenit meritis ſuis fol. 104
C Cininia nunc citania in Luſitania fol. 2
Ciprianus martyr fuit Magus fol. 5
Cauca vrbs Hiſpaniæ fol. 35
Capa D. Dominici quomodo ſit delata in conuentum Scallabitanum fol. 54
Conimbricenſis monaſterii antiqui patres 63. in greſſus in ordinem frat. præd. 142. pontẽ conſtruit 144 migrat ad pominum fol. 149
Chirographum Demoni traditum reſtituit beat.

Aegidio fol. 16
Cognomina familia fol. 8
Carcinoma qui morbus ſit fol. 81
Capa D. Dominici ſeruatur Scallabi fol. 54
D Dõnus & dõna vtrũ ſint Latina nomina fol.8
Domini nomen diis tributum olim fol. 9
Domini canis,narratur quędam hiſtoria fol. 1
Damaſus papa vbi natus ſit fol. 121
Dyoniſii libri de eccleſiaſtica Hierarchia vtrumne ſint alterius authoris fol. 26
Dionyſius Rex Luſitanuæ liberatur à ſpina ſuffocante meritis b. Aegidii fol. 10
Demon apparet Aegidio inuia fol. 13
E Ægidius magus fuit fol. 13
fit doctor Pariſiis fol. ibidem ſpetrũ videt 14. chirógraphum demonia cum reſtituitur illi fol.17. familiaris fuit magiſtro vmberto fol.18 fit prouincialis Hiſpaniæ 20. facit miraculum orta tempeſtate in mari fol. 46. moritur. Aegidius fol. 65
Eduardi Infantis Portugalliæ mor. fol. 21
Epiſtolæ Martialis ſunt apochriphæ fol. 25
Eraſmi impietas reprobatur fol. 73
Excõmunicatio timenda valde fol. 148
Equus D. Petrum deiicit. fol. 156
F Flumina regionis interamnis fol. 130
Fratres præd. tenẽtur eſſe Reip. zelatores fol. 144
Fons manat vino D.Gondiſaluo fol. 146
Flumina Luſitaniæ fol. 59
G D. Gregorii Turonenſis hiſtoria fol. 31
D. Gondiſalui Amaranthi Patria fol. 29
Peregrinatio in ferus alem fol. 137
H Henricus comes Portugalliæ fol. 3

Igeditana vrbs. vbinam ſit Ieſus nomen an carminibus conueniens folio. 23.
Interamnis regionis laus 130. 131.
Imaginum veneratio fol. 133.
L Luſitauiæ laus,& deſcriptio fol 1.
Lerena vrbs Luſitaniæ fol. 34.
Laurentii Menendii vita fol. 175.
Reliquiarum ab Angelo donatio fol. 177.
Letheus fluuius vbi ſit fol. 130.
Laurentius Menendius fol. 166.
M Miracula quomodo fiant à ſanctis fol. 72.
Mons Peſulanus olim Mons pelerius vide fol. 89.
B. Mariæ virginis erga frat. pręd. humanitas & patrocinium fol. 143.
O Oratorium conſtruit D. Gondiſaluus pro ſe apud Amarantum fol. 140.
Officium virginis incipit & finitur per Aue Maria apud frat. pręd. fol. 143.
P Pluralitas beneficiorum reprobatur fol. 10.
Pacenſis vrbs Luſitanię vbi ſit fol. 12
Paupertas fratrum olim prędicat fol. 14.
Pons vetus, vrbs Calletiæ olim Artabrorum portus dicebatur fol. 92.
Pontem conſtruit fol. 163. moritur fol. 168.
D. Pelagius Conimbricenſis fol. 173.
B. Petri Eborenſis vita fol. 181.
Prudentii carmina fol. 5.
Papiri ſchedula grauatur pondere pro Eclemoſina D. Gondiſalui fol. 146.
Q Quæſtio, de libris Dionyſii fol. 27.
Queſtio de corpore Dionyſii fol. 30.
Queſtio de inuocatione ſanctorum fol. 103.
Quæſtio

Queſtio de Cipriano Mago fol. 5
Queſtio de vrbe Baſcenſi fol. 13
R Rex Alfonſus fundator conuentus vliſipponenſis fol. 55
Rex Sáctius ſanatur à podagra baculo D. Ægidii 99
S. Reginaldi viſio fol. 220
S Sepulchrum patris D. Ægidii fol. 6
Scallabis vrbs vbi nam ſit fol. 11
Sáctirenenſe monaſteriũ quãdo fuit extructũ. 15
Chirographum demoni datum illi reſtituitur. 7
Sancia filia Regis Sancij virgo ſanctiſſima 39
Scallabitanũ monaſterium patribus olim florentiſſimum. 42
Sanctorum inuocatio, laudatur & probatur multis antiquis argumentis, fol. 102, 103 104 105
Stemma ord. pręd. fol. 112
Salue Regina, cur cantatur in ordine fol. 229
Solicitatur D. P. Cõſalui à muliere impudica. 162
Sarracenus conuertitur fol. 120
Sancia Regis Sancii filia mortua apparet B. ægid. 4
T Templariorum ordo quare extinctus fol. 109
Tamaca flumen vbi fol. 140
Tolemaidę ſepulchrum b. Iordanis fol. 233
Triſan piſcis an ſit aloſa fol. 59
Textus cuiuſdam in ff. expoſitio noua fol. 57
V Viriatus Luſitanus fol. 2. pag. 2
Vaoſela vbi ſita ſit fol. 6
Veternus morbus fol. 71
Vimaranum fol. 130
Vizella flumen fol. 131
Vadianus, de Monte peſulano quid dicat fol. 91

m m

ERRATA PRECIPVA SIC CORRIgito, folium, pagina, verſus.

In fine tituli epiſtole lege theologorum minimus, & in fine eiuſdem vbi dicit, dominationi veſtre lege dominationem veſtram, & in prologo vbi dicit nec mutire iam licet. Adde. *Item de apoſtolo galliarum &c, Folio 1. pagin. 1. verſu 15. ſententiam lege inſinuationem & pag. 2. verſu 16. l turpes fugitandi regreſſus occultantes fol. 2. p. 1. verſu 6. orirentur l. ſuſcitarent p. 2 ver. 22. l. Iacobo & Paulo fol. 6. p. 1. ver. 3. l.* CIↃ C. XC. *f. 9. p. 2. ver. 25. l. vectigalium. f. 15. p. 1 ver. 24. l. canonicã f. 28. p. 1. v. 58. l. Corinthienſis & p. 2. v. 2. l. à me quoque perhibetur. f. 30. p. 1. ver 19. l. preciſis literis & p. 2. ver. vlt. l. preconibus, f. 31 p. 1. ver. 2. l. cum ſacram, f. 38. p. 1. v. 23. l. vltima ſolemnia p. 2. v. 7. l. appoſiti, f. 70 p. 2. ver. 14. l. inamenum, f. 71. p. 2. v. 13. ſecuraque, f. 160. vbi dicit, ex hisque, tranſponenda eſt ibidem clauſula hec Martis caſtra cupidinis cauſa ſequuntur & legendum ita : ex his que martis caſtra cupidinis cauſa ſecuntur, f. 160. p. 2. v. 16. vbi dicit aſſectauero, l. allectauero, f. 161. p. 1, f. penult. l. longiorem vllam, f. 162. p. 1. v. 21. loco illius, l. ſui, f 164. p. 2. v. penult. l. itinerantibus, f. 167. p. v. 6. l. diem vltimam & v. ſequenti l. etiamque & p. 2. v. vlt l. dominus, f. 214. p. 2. v. 13. l. non excederent, f. 217. p. 2. v. 7. loco vt l. & f. 218. p. 2. v. 19. l. multoties, f. 222. p. v l. quam compoſuit & p. 2. v. 4. l. Amata. f. 223 p. v. 21. loco, toloſam reuerſus l. apud Tholoſam exiſtens, f. 226 p. v. 13 loco, in, l. de f. 228. p. 2. v. vlt. l. Terram ſanctã f. 129. p. 1. v. 3. l. finibuſque. f. 230. p. 1. v. l. vtque deuotiſſima antifona, f. 241. p. 1. v. 5. l. indicarem illum p. 2. v. penult. loco inqua, l. conſequenter, f. 244. p. 1. v. 16. l. eligitur, renuit.*